Nr 3
22-2775

A
7
Teka
Nr 328

3
26-151

BIBLIOTEKA
ASYSTENTURY

BIBLIOTECA PUBLICA

R. P. F.

LVDOVICI

A S. RAYMVNDO

TRACTATVS VARII VARIARVM RESOLVTIONVM MORALIVM

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

R. P. F.

LUDOVICI

A SS. RAYMUNDO

TRACTATUS VARII

VARIARUM RESOLUTIONUM MORALIUM

R/7331

Compuesto d. PR Pedro de Montenegro

TRACTATVS VARII VARIARŪ RESOLVTIONŪ MORALIVM PARS I.

Auctore R. admodū

P.F. LVDOVICO á S. RAYMVNDO

ordinis discalceatorum

B. MARIÆ de Mercede

redemptionis captiuorum

BIBLIOTECA PUBBLICA DI GENOVA

Ven. Pater F. Ioannes Bap. á Sanctiss. Sac. sacri Ordinis B. Mar. de Merc. instaurator ac Excalceatorū fundator.

Ven. Pater F. Michael á Plagis eiusdē familiæ Excalceatorū restaurator ac fundator.

Redemptorum mater. Dimitte populo tuo.

Redemptorum mater. Dimitte populo tuo.

Camp. inc.

TRACTATVS VARII VARIARVM RESOLVTIONVM MORALIVM

PARS PRIMA

AVTHORE REVERENDO ADMODVM PATRE

F. LVDOVICO

A S. RAYMVNDO

GRANATENSI ORDINIS REFORMATORVM B. MA-

rię de Mercede Redemptionis Captiuorum Sacrę Theologię Primario Professore, & quondam in Collegio Ciuitatis Gadicensis eiusdem Ordinis in Hispania, in Prouincia Immaculatę Conceptionis apud Vandaliam studiorum Regente: Nunc autem Secretario Reuendissimi Patris Commissarij Generalis eiusdem Ordinis in Italia.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

PANORMI, Ex Typographia Iosephi Bisagni. M. DC. LIX.

Imprimatur Abbas Gelosus V. G. *Imprimatur R. D. Petrus de Gregor. P.*

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. FRANCISCO CRESPOS DE ESCOBAR

APOSTOLICO QVAESITORI

In hoc Siciliæ Regno.

FRATER LVDOVICVS A S. RAYMVNDO
Ordinis Diſcalceatorum B. Mariæ de Mercede
Redemptionis Captiuorum.

F.

VRBIS claues ab Athenienſium Senatu apud Zenonem Stoicorum Principem aſſeruari ſanctum fuerat, ſub ſingulari enim viro ſapientia exculto; obfirmatique conſilij, tutius murorum cuſtodia in Vrbe, in qua, vbi nomen Neptuni victrix Pallas impoſuit, Regiam fixit ſedem, gazamque diſciplinarum omnium repoſuit opulentiſſimam; ſagacioris curæ præſidio obuallabatur. Nec mirum ſi cui patuerant adita pectorum ſecretiora, ferarum munimẽta concrederentur. En quam facile lectores, quotquot opus ſibi vẽdicabit, in meam comprobandam ſententiam pellectos adtraxero, cũ ẽgo in obſeruãtiæ pignus, ac ſpem patrocinij in tuæ Illuſtriſſimæ Dominationis manus deuoluo excipiendos labores meos. Claues Theologiæ moralis, reſolutiones, deciſioneſque in hac facultate experſas concinno, quibus vel compellendi inter anguſtias ſunt animi; cum per liberos campos effuſius expatiantur, ne præcipites per abrupta deuoluantur, vel dum dubio morſu hærentique Religionis ſtimulo

arctius detineri contendo, relaxandi tibi ingenij fructus deuoueo; apud quem in hoc Siciliæ Regno Quęsitori munere summum ius factum, atque potestas; quique clauibus reos in censurarum angustias detrudis, vel inde eruis ad se pœnitentia redeũtes. Tuo nomine quod in hac frõte prætexo, celso omine prodo lucubrationẽ meã industria, ac labore concinnatam, quæ dum tuis euoluetur in manibus per honorificum sibi complaudentem experietur. Excipe illam comi supercilij nutu, facilisque frontis illicio. Sat enim erit tàm perhumaniter ad blandientis fauor vmbratilis quo ad te confugientem foues. Nam quantum cœteros dignitate, ac sapientia præcurris, tantum amplior mihi patronus arrides. Quam libere in tua merita, ac libens expatiarer. Dares hanc veniam obseruantiæ meæ, si tuo pudori molestus in tuas inueherer laudes, quando harum magnes virtus adest, non adulatrix assentatio. At micanti sulco, vel inuita nube erumpunt fulgura. Si tuas laudes silentio præfocem, haud illaudatus abibis: *licet enim* (vt cum Seneca proludam) ep. 103. *vir bonus taceat, sed aliquem iudicet laude dignum, laudatus est. Et laudat quem laudandum esse iudicat.* Demirata est Hispania nobilitatis genus, ingenij acumen, consilii promptitudinem, pondus prudentiæ, dulcedinem sermonis morum suauitatem, vitæque candorem, & pietatem. Cum suo fœnore, inquam, est demirata cum te tot perhonorificis functum muneribus animaduertit, vel cum primus Cathedraticus facultatem iuris magna Auditorũ frequentia apté, aperteque exponebas; vel cum Vicarias suppetias tot insulis impendisti: modo inspector in Diœcesibus, modo Rector in Academijs, modo Quæsitorum inuestigator commorabaris. Huc tandẽ nostris vicibus fortuna obsecundante Apostolicus Toleti Quæsitor gradum faciens appulisti. Fortunet Deus Dominationis tuæ Illustrissimæ labores, ac iubar honoris, quod modo in sydus emicat, in Solem se expandat augustius.

APPROBATIO

REVERENDI ADMODVM PATRIS F. IOSEPHI A S. BERNARDO Ordinis Scalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum; quõdam in hac Prouincia Patris Noſtri S. Raymundi Nonnatij in hoc Siciliæ Regno: iterum Vicarij Prouincialis; atque iterum meritiſsimi Prouincialis: vlteriuſque Diffinitoris Generalis dicti Ordinis. Nũc autem Magiſtri Nouitiorum Conuentus S. Mariæ de Populo huius feliciſſimæ Ciuitatis Panormi extra muros.

DE ordine, & mandato Reuerendi Patris Noſtri Fratris Franciſci à S. Ioanne Commiſſarij Generalis dicti noſtri Ordinis pro Italia vidi librum cuius titulus eſt *Tractatus varij variarum Reſolutionum moralium*, Pars Prima compoſitum à Patre Fratre Ludouico à S. Raymundo S. Theologiæ Primario Profeſſore, & quondam in Collegio Ciuitatis Gadicenſis eiuſdem Ordinis in Hiſpania in Prouincia Immaculatæ Conceptionis apud Vandaliam ſtudiorũ Regente; nunc autem Secretario Generali eiuſdem Patris noſtri Commiſſarij Generalis pro Italia. In quo nihil quod, vel à Fide Catholica, vel à Chriſtianis moribus abhorret reperi: imo potius admiratus ſum Authoris ingeniũ perſpicax, & nitidum, & propterea cenſeo, vt Typis mandetur, vtpote opus hoc omnibus valde vtile, & gratum fore. Data Panormi die 18. Menſis Decembris Anni Domini 1658.

Frater Ioſeph à S. Bernardo.

FACVLTAS ORDINIS

FRater Franciſcus à S. Ioanne Commiſsarius Generalis Ordinis Scalceatorum Beatæ Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum in hoc Sicilię Regno, vt liber, cuius titulus eſt *Tractatus varij variarum Reſolutionum moralium* Pars Prima compoſitus à P. Fratre Ludouico à S. Raymundo noſtræ ſacræ Religionis S. T. Primario Profeſſore, ac noſtro Secretario compoſitus & à grauioribus, & doctis eiuſdem noſtri Ordinis Theologis recognitus, & approbatus Typis mandetur tenore præſentium facultatem concedimus; In quorum fidem has literas manu noſtra, & ſigillo, ac Secretarij noſtri nomine ſubſcriptas dedimus: Panormi die 2. Menſis Ianuarij Anno 1659.

F. Franciſcus à S. Ioanne Commiſsarius Generalis.

De Mandato Patris Noſtri Commiſſarij Generalis
F. Ludouicus à Sancto Raymundo Secretarius.

BENEVOLO

LECTORI.

DVm adhuc prælum hæc meorum laborum pars meditaretur exaudire mihi ipſe tacitas, quorumdam voces, haud temere videbar, qui cum nec loquaces adeo ſint, vt cętera ſplendide ignari, ſuas omnes merces in lingua habeant, nec adeo mordaces occurrant, vt turpes gentis humanæ loligines dixeris; nihil nigro non infecturas ſucco; ſuperbas haud quaquam aures merentur. Admonebant iſti noſtram ætatem libris ſatis refertam eſſe, ſi velit ſuam ſapientiæ operam dare, & liberalem nimium defluere auream diſciplinarum venam, quam tot Heroum ſudores publicis vſibus dedere, ſi cordi vnicuique ſit illos ſuam Ingenij vrnam immergere. Inſurgentium vero ſcriptorum votis fręna adhibenda hac in re eſſe, cum tot, tantæque Bibliothecæ tineis tantummodo apertæ Lectorem fruſtra ſuſpirent. Attamen Ego benigne exceptis ſalutaribus hiſce monitis, quæ meus mihi animus amicorũ nomine in aures iſtillat, inceptum tenax propoſiti perſequor, & tot vndique à ſapientia ſolibus per orbem accenſis, meas quoque ſtellulas palam non timeo exponere. Nam ſi rarus hodie pollex libris inſudat, id Auctorum vitio, non Lectoris vecordiæ maiori ex parte tribuendum puto; res enim, Theologiæ Moralis argumenta præſertim, aut ita prolixius tractant, vt ipſam fatigent æternitatem, aut leuiter adeo percurrunt, vt ſplendidos Doctorum nomenclatores merito nuncupaueris. Cœterum mortalibus à natura inſita cũ ſit ſciendi cupido, nulla ne ferrea quidem ſæcula eam valent delere. Inſulſa multorum dicta non librorum frequentia legentium nares corrugant, animoſque à veteribus Bibliothecis auertunt. Aſſurgant vel in montes volumina, ſuo ſi abundent ſale, ſuos actutum ad ſe rapient amatores, & frequens Lector efficiet, vt ſcriptorem ſuę fortunæ numquam pœniteat. Argumento ſint ipſa eadem antiquorum figmenta, qui hominum animam ſolis particulam eſſe voluerunt, eius ſcilicet, qui cum literarum pater, ac radix effingatur; immortales ſapiẽtię Amores ſuis ramis, ac proli communicet, inſerat neceſſe eſt. Eo igitur in præſenti hoc opere mea omnis collemabit induſtria, vt qua lõgos ſcopulos, qua breues Syrtes in dicendo effugiens, placidum Lectori pelagus ſternam: eaque ſemper ſcribendi moderatione vtar, vt dũ antiqua Doctorum ſententia nouo aliquo amictu conueſtita propono, togam illis, non ſyrma videar conſuiſſe faueat optatis Cœlum, & ad Termaximi Numinis gloriam, noſtrique non aſpernandam ſalutem omnia proſpere vertat.

VIdi de mandato Reuerendiſſimi Domini D. Io. Antonij Geloſo Vicarij Generalis Excellentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini D. Petri Martinez Rubio Archiepiſcopi Panormitani, Præſidentis, & Capitanei Generalis in hoc Regno Siciliæ. Nec non etiam de mandato Illuſtriſſimi Regentis D. Petri de Gregorio Præſidis M. R. C. eiuſdem Regni librum cuius titulus eſt *Tractatus varij variarum Reſolutionum moraliũ:* & in eo nihil reperi, quod bonis moribus, aut fidei Catholicæ obſit; Quin imo mira illum eruditione, ac pietate refertum eſſe cenſeo, multorũq; profuturum ſaluti. Panormi 22. Decembris 1658.

Hieronymus Lachiana è Soc. Ieſu Deputatus.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM

D. Dominum meum colendiſsimum

D. FRANCISCVM CRESPOS DE ESCOBAR

APOSTOLICVM SICILIAE QVAESITOREM

De Opere ſibi dicato.

EPIGRAMMA

DOCTORIS D. MATTHAEI CRISTADORO, ET CAVAGNA

IMpia quo commiſſa luant, pœnaſque ſceleſti
Dent meritas, ferrum ſtringere dextra valet.
Sed mentis Pietas ramo ſe prodit oliuæ,
Quò fraus inſontem nulla, doluſue premat.
Dum libro infenſos, Quæſitor nobilis, enſe
Arces, Authoris cingat oliua caput;
Nam reduces fert ad ſummum Metanœa Tonantem
Hìc homines, & Pax eſt ſibi iuncta comes.
Qui pacem expoſcunt præcingit Palladis arbos,
Palladis aſt armant Aegis, & haſta manus.
Mirum opus, & miro munitum numine! Bellum
Et Pax inſolito fœdere iuncta vides.

DON

D. FRANCISCVS E CRESPOS
DE ESCOBAR
Ac Inquisitor Apostolicus Siciliæ

ANAGRAMMA PVRVM

Quos reos noscis plenus claro iubare Fidei,
Citò sana cor, sic dictis pasce.

EPIGRAMMA

CVm siculum Fidei scandis dans iura Tribunal,
Miris vera modis irradiat Pietas;
Quin obscura Fides claro se lumine vestit,
Quo plenus sontes noscis, & innocuos;
Dumque hos absoluis Iudex æquissimus, illos
Et plectis, nobis aurea sæcla fluunt.

EIVSDEM EPIGRAMMA
Ad Reuerendum Admodum Patrem

F. LVDOVICVM
A SANCTO RAYMVNDO
E discalceatis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Auctorem operis.

VIncitur stygijs Animus persæpe catenis,
Tam dura penè, ac compede nemo caret;
Quæ manus, aut quæ vis adamantina vincla resoluet?
Captiuos Erebo quis reuocare valet?
Hoc, Ludouice, tibi debetur iure, Parentis
Id cum lacte bibens munus obire potes.
Sed matri & præstas; transfert hæc corpora Mauris
Ad Patriam, ipse animas è stygе ad Empyre um
Illius vt natus terrenas solue catenas,
Disrumpe vt Doctor vincula Tartarea.

A. R. D.

ABBATIS DON OCTAVII DE AVGVSTINO

SACERDOTIS PANORMITANI V. I. D. PROTHONOTARII

Apoſtolici in Panormitana Diœceſi Iudicis Synodalis, ac olim in Romana Curia quondam Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Iulij S. R. E. Cardinalis Roma ſacri Collegij Decani Auditoris.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM DOMINVM

D. FRANCISCVM CRESPVM

E T E S C O B A R

HISPANVM APOSTOLICVM FIDEI QVAESITOREM

In hoc Siciliæ Regno, cuius Gentilitium ſtemma tres Scopæ Pro Operis dedicatione, & Auctoris laudatione.

EPIGRAMMA

A Miſſam Fidei cum rectè inquirere Drachmam *Luc. 15.*
Sit Quæſitoris munus, & officium.
Quam benè tot ſordes animorũ hæc pagina in vnum
Cogit! vt inde Tibi iure dicetur opus.
Subdit nempè tuis verrenda volumina Scopis.
Vt Fidei mundas ſic tuearis opes.

AD EVMDEM IN AVREA PANORMITANAE VRBIS CONCHA Degentem pro quinis Conchis in eodem Gentilitio ſtemmate Aliud Epigramma.

QVid Tibi Creſpe notant Indo de littore Conchæ
Quæ Gentilitij ſtemmatis orbe nitent?
Indica Concha ſuis pretium dat nobile Baccis
Bacca ſuum Conchis dat pretioſa decus.
Cum Te Gemmam habeat non Inda, ſed Aurea Concha
Maius ab alterutro ſurget Vtrique decus.

IN AVCTORIS LAVREAM, ET NOMINIS SPECIMEN

S. T. ET V. I. D.

D. CAROLVS DE LEO

PANORMITANVS GRATISSIMI ANIMI
Viua Expreſſio.

PATER LVDOVICVS
A SANCTO RAYMVNDO

ANAGRAMMA PVRVM

Aurea componit Vir Doctus laudans

EPIGRAMMA

AVrea componit Vir Doctus, qualia Ibera
Terra, Hæroum Altrix progenuiſſe ſolet.
Hinc Doctos inter Laudans mirabitur Orbis
Auctaque diuitiis Aurea Concha ſuis.

EIVSDEM IN AVCTORIS, ET OPERIS

Encomium.

QVod ſacrum cernis quæſo venerare volumen
Quiſquis es, & gratum ſit tibi Lector opus
Hic Doctor conchæ cæleſtia Dogmata dictat
Temporis, vt noſtri ſit celebrandus olor.

DON IACOBVS LANTERNA

ET LA COMMARI DREPANITA V.I.D.

Dominationis Suæ Deditiſsimus Seruus.

ILLVSTRISSIMVS, ATQVE REVERENDISSIMVS DOMINVS

DONFRANCISCVS ET IOSEPH E CRESPOS ET ESCOBAR

ANAGRAMMA PVRVM LITERALE.

Quæſitor ecce dum reſcindis nodos certos fidei Romanis Phæbus eris præſul almus ſuus Antiſtes.

EPIGRAMMA

DVm generoſa tui natalis ſydera noſco
Nomen ob hoc clarum nomen, & omen ineſt.
Ortus es Hiſpanus, ſed ſunt tamen alma per orbem
Ortus fata tui gloria tu Heſperidum
Roma faue tibi, ſurgit opus, date candida Ciues
Omina, & inceptis dextera cantet auis.
Igitur altitonat, dum ſcandis clare Tribunal
Quæſitor Certos Dum, & Fidei dubios
Reſcindis Nodos Romanis Eccene Phæbus
Antiſteſque Suus Præſul, & Almus Eris.

ALIVD AD EVMDEM EIVSDEM AVCTORIS

ILLVSTRISSIMVS D FRANCISCVS E CRESPOS, ET ESCOBAR

Anagramma Arithmeticum

1 6 7 6.

Bis decor Panormitanus: Triumphus Fidei Siculus.

1 6 7 6.

EPIGRAMMA

NVllum præ cunctis hominem vidit Orbibus almũ
Trinacris hæc ſedes officioſa diù
Te præter Hiſpanum Franciſcum nomine Creſpos
Inquiſitorem maximum Apoſtolicum.
Viue diù felix Felici in Trinacris Vrbe:
Ciues vnde ſui dicta dedere tibi.
Tu DECOR alme PANORMITANVS BISque TRIVMPHVS
Tu FIDEI SICVLVS, ſic cecinere Lares.

ALIVD AD EVMDEM EIVSDEM AVCTORIS

ILLVSTRIS. D. FRANCISCVS IOSEPH CRESPOS DE ESCOBAR

Anagramma Arithmeticum

1 6 4 4.

Heros stellam in fronte deducis Prælatis non cedes doctis

1 6 4 4.

EPIGRAMMA

TE duce delisus nunquam mihi deditus augur
Tuque regis sortes magna Sibilla canit,
Francisci nomen terris fatale regendis
Hispani dederunt prouida fata tuum.
Magnus Heros magnam Deducis denique Stellam
In Fronte & Doctis Non sine velle tuo
Prælatis Cedes, & tu visurus honores
Sint tibi natalis munera grata tui.

AD ADMODVM REVERENDVM PATREM

FRATREM LVDOVICVM A S. RAYMVNDO

AVCTOREM OPERIS.

P. LVDOVICVS SANCTI RAYMVNDI

Anagramma.

Radius lucis Mundi vocant.

EPIGRAMMA

SOl sicut exoriens radios compellere mundo
Implicitas tenebras, sic & abire iubet
Sic Confessorum tenebras tua lumina pellunt
Cum latij Phœbus tu exoriens vocitas
Dant lucem nonlucem magna volumina quærunt
Maxima scripturum gloria docte Pater.
Teque Vocant; Radius Mundi Pater optime Lucis
Quod tua per literas nomina rite probant.

INDEX

TRACTATVVM, ET RESOLVTIONVM

Quæ in hoc opere continentur.

TRACTATVS PRIMVS

De Sacramento Pœnitentiæ.

Reſolut. 1. vtrum Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe validum, & informe. pag. 1.

Reſolut. 2. vtrum qui confeſſus eſt peccatum, vt dubium teneatur ceſſante dubio iterum illud confiteri, vt certum. pag. 21.

Reſolut. 3. vtrum poſſit licitè, & valide abſolui pœnitens, qui confitetur ſua peccata mortalia genericè tantum, vel quia inculpabiliter ea ignorat ſecundū ſpeciem, vel quia habet impotentiam ad aliter ſe confitendum ob imminentē mortis periculum; aut ob aliam legitimam cauſam. pag. 36.

Reſolut. 4. vtrum moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nec confeſſionem petijt, nec vlla dedit pœnitentiæ ſigna, poſſit ſacramentaliter ſub conditione abſolui. p. 41.

Reſolut. 5. vtrum moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nec petijt confeſſionē, nec aliud pœnitentiæ ſignum dedit, ſi Sacerdos inueniat aliquam ſchedulam, in qua moribundus iſte habebat ſcripta ſua peccata ad ea integre confitenda, poſſit eum ſub conditione abſoluere. pag. 66.

Reſolut. 6. vtrum qui confeſſus eſt ſe cētiens plus minuſue commiſſiſſe peccatum furti, ſi deinde certo ſciat fuiſſe centum quinquaginta furta teneatur confiteri exceſſum. pag. 74.

Reſolut. 7. Anqui fecit confeſſionem generalem, & confitetur ſimul aliqua peccata commiſſa poſt vltimam confeſſionem, quæ nunquam prius confeſſus fuerat, teneatur explicare illa peccata eſſe commiſſa poſt vltimam confeſſionem. pag. 84.

Reſolut. 8. vtrum licitè, & valide abſolnatur ille, qui commiſit peccatum, & ob verecundiam, vel ad conſeruandā bonam opinionem, quam de illo habet Confeſſarius, confiteretur de peccatis venialibus commiſſis, & ſe accuſat de vltimo peccato; quod commiſit v. g. fornicationis, vel adulterij, nihil aliud in confeſſione explicando. pag. 92.

Reſolut. 9. Vtrum pœniteus, qui mortale peccatum adeò erubeſcit confiteri proprio Sacerdoti, vt ſit in periculo diminutè confitendi poſſit venialia, ac illud mortale confireri ſimplici Sacerdoti non approbato, ita vt directè abſoluatur à venialibus, & indirecte à mortali cum onore: deinde confitendi cum opportunitas aderit proprio Sacerdoti, vel alteri, cui non ita erubeſcit ſua aperire peccata pag. 95.

Reſolut. 10. vtrum copula habita cum infideli, vel hæretica, habeat ſpeciē malitiæ ſacrilegij, contra reuerentiam noſtræ Religionis, & ſic ſit circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione. pag. 107.

Reſolut. 11. vtrum defloratio virginis ſpōtè cōſentientis vltra malitiam propriæ fornicationis aliam] ſtupri contineat in confeſſione explicandam. pag. 111.

Reſolut. 12. vtrum fornicatio occulta, aut pollutio voluntaria in Eccleſia, aut

alio loco ſacro participet malitiam ſacrilegij in confeſſione explicandam. pag. 115.

Reſolut. 13. vtrum tactus impudici facti in Eccleſia, aut loco ſacro habeant ſpecialem malitiam ſacrilegij mortalis neceſſariò in confeſſione explicandam. pag. 121.

Reſolut. 14. vtrum ille, qui cum matre, aut ſorore carnalem copulam habuit ſatisfaciat ſe accuſando de inceſtu occultando gradum, vel an teneatur illũ explicare in confeſſione. pag. 128.

Reſolut. 15. vtrum ille, qui mille anreos furatus eſt teneatur in confeſſione explicare quantitatem furti, vel an ſatisfaciat dicendo in confeſſione furatus ſum quantitatem grauem, & quid ſi interrogetur à Confeſſario. pag. 143.

Reſolut. 16. vtrum ille, qui in vna nocte plures actus carnales habuit cum eadẽ fœmina committat plura peccata neceſſario in confeſſione explicanda. p. 149.

Reſolut. 17. vtrum ille, qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfaciat in confeſſione dicens ſe commiſiſſe peccatum graue contra caſtitatem cum ſoluta. pag. 155.

Reſolut. 18. vtrum coniugatus, qui cum coniugata copulam carnalem habuit teneatur explicare in confeſſione ſtatũ complicis, vel an ſatisfaciat dicendo in confeſſione ſe commiſiſſe adulteriũ. pag. 159.

Reſolut. 19. vtrum coniugatus, qui morosè delectatur circa ſolutam teneatur circumſtantiam matrimonij in confeſſione explicare pag. 163.

Reſolut. 20. vtrum voto caſtitatis adſtrictus ſi alium, vel aliam tactibus polluat teneatur voti circumſtantiam in confeſſione explicare. pag. 165.

Reſolut. 21. vtrum Sacerdos græcus vxoratus ſi aliam à ſua vxore cognoſcat cõtrahat ſacrilegij maculam, eaque ſit circumſtantia neceſſario in confeſſione explicanda. pag. 170.

Reſolut. 22. vtrum ſponſi cum alijs fornicantes non ſolum peccato intemperãtiæ, ſed iniuſtitiæ peccent, debeantque hanc circumſtantiam in confeſſione manifeſtare neceſſario. pag. 176.

Reſolut. 23. vtrum ſimplex Sacerdos: tam Regularis; quam ſæcularis ab Epiſcopo non approbatus, licitè, & valide poſſit abſoluere à peccatis venialibus, & mortalibus iam rite confeſſis. p. 181.

Reſolut. 24. vtrum Sacerdos Regularis nõ approbatus ab Epiſcopo ad excipiendas confeſſiones poſſit valide, & licitè abſoluere à venialibus: nec non à mortalibus ritè confeſſis abſque licentia ſuorum ſuperiorum. pag. 188.

Reſolut. 25. vtrum Sacerdos ſimplex poſſit in articulo mortis abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis, præſente proprio Sacerdote, aut etiam Prælato, vel alio habente iuriſdictionem delegatam à Superiore abſoluendi à peccatis ſuperiori reſeruatis pag. 190.

Reſolut. 26. vtrum Sacerdos ſimplex: ſiue ſecularis, ſiue Regularis non approbatus à ſuo Ordinario poſſit Regularium cõfeſſiones excipere de licentia ſui ſuperioris. pag. 207.

Reſolut. 27. vtrum ſimplex Sacerdos poſſit de licentia Parochi excipere confeſſiones ſubditorum ipſius Parochi abſq; Epiſcopi approbatione. pag. 211.

Reſolut. 28. vtrum Parochus poſſit ſuam iuriſdictionem delegare ad ſuorum ſubditorum confeſſiones audiendas cuicũque Parocho alterius diœceſis, aut cuicumque Sacerdoti à quocumque Epiſcopo approbato extra diœceſim. pag. 214.

Reſolut. 29. vtrum Sacerdos approbatus ab vno Epiſcopo poſſit vbique in toto orbe audire confeſſiones ſæcularium Sacerdotum. pag. 226.

Reſolut. 30. vtrum vi notitiæ habitæ in confeſſione ſacramentali poſſit Prælatus pœntientem amouere ab officio ad nutum amobili. pag. 228.

Reſolut. 31. vtrum ille, qui diſtulit Confeſſionem anni præteriti vſque ad annũ ſequentem vnica confeſſione poſſit ſatisfacere vtrique præcepto. pag. 240.

Reſolutio 32 vtrum pœnitens per confeſſionem voluntariè inualidam, & nullam ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis. pag. 248.

Reſolut. 33. vtrum pœnitens, qui ob cõfeſſionem inualidam, & nullam non impleuit præceptum eccleſiaſticum annualis confeſſionis incurrat in cenſuras & pœnas impoſitas in conſtitutionibus Synodalibus, vel in ſtatutis particularibus vniuſcuiuſque diœceſis contra nõ adimplentes, & tranſgredientes præceptum annuæ Confeſſionis. pag. 255.

Re-

Reſolut. 34. vtrum Meretrices non implẽtes præceptum annuæ confeſſionis incurrant in excommunicationem ſynodalem, & cæteras iuris pœnas pag. 261.

Reſolut. 35. vtrum ille, qui nunquam confeſſus eſt deſideria praua, quia nõ putabat inuincibiliter eſſe peccata teneatur poſtquam ſciuit, & cognouit eſſe peccata illa confiteri, pag. 262.

TRACTATVS SECVNDVS

Variarum Reſolutionum moralium in Bullã Cruciatæ.

REſolut. 1. vtrum annus durationis bullæ Cruciatæ accipiendus ſit pro anno naturali, & ſolari, vel ſolum pro anno Eccleſiaſtico, ita vt priuilegium bullæ Cruciatæ duret à publicatione, vnius anni vſque ad publicationẽ eiuſdem; anni ſequentis, quidquid ſit de anno naturali, & ſolari. pag. 267.

Reſolut. 2. vtrum Sacerdotes ordinum militarium, ſcilicet Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Alcantaræ, & Calatrauæ poſſint frui priuilegio bullæ Cruciatæ veſcendi ouis, & lacticinijs tempore quadrageſimæ, qui communiter freyles vocantur. pag. 271.

Reſolut. 3. vtrum tempore quadrageſimę ſaltem Dominicis diebus poſſint Religioſi Regulares: etiam ſi ſint Sacerdotes veſci ouis, & lacticinijs virtute priuilegij bullæ Cruciatæ. pag. 278.

Reſolut. 4. vtrum laici poſſint edere oua, & lacticinia dominicis diebus quadrageſimæ abſque Cruciata bulla. pag. 283.

Reſolut. 5. vtrum Religioſus regularis approbatus ab Ordinario ad excipiendas ſæcularium confeſſiones, & à ſuo Prælato ſuſpenſus poſſit licitè, & laudè virtute priuilegij bullæ Cruciatæ Sæcularium confeſſiones excipere. p. 287.

Reſolut. 6. vtrum Religioſus Regularis ab Epiſcopo approbatus, ſed à ſuo Prælato ſuſpenſus poſſit etiam abſque bulla Cruciatę valide pœnitẽtię Sacramẽtum adminiſtrare ſæcularibus ſubditis Epiſcopi, qui illum approbauit. p. 295.

Reſolut. 7. Vtrum indulgentia plenaria, quæ conceditur in bulla Cruciatæ pro mortis articulo poſſit applicari in articulo mortis deficiente Sacerdote à Clerico tonſurato, & deficiente etiam Clerico tonſurato, poſsit à Laico applicari pag. 300.

Reſolut. 8. vtrum indulgentia plenaria quã bulla Cruciata concedit pro mortis articulo poſſit à Confeſſario; etiam in periculo mortis applicari. pag. 304.

Reſolut. 9. vtrum vigore bullæ Cruciatæ poſsit illam habens abſolui ab vnoquoque caſu reſeruato: quouſque abſoluatur ab omnibus ab vnoquoque: tamẽ ſemel durante anno publicationis bullæ Cruciatæ. pag. 308.

Reſolut. 10. vtrum virtute bullæ Cruciatæ poſsit pœnitens abſolui à Confeſſario ab ipſo electo virtute priuilegij dictę bullæ à caſibus Pontifici reſeruatis: non ſolum ſemel, ſed toties quoties dũmodo ſint occulti. pag. 317.

Reſolut 11. vtrum Prælati Regulares poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis, ſi occulti ſint vigore decreti Concilij Tridentini dict. ſeſſ. 24. cap. 6. pag. 327.

Reſolut. 12. vtrum Prælati Regulares, ſaltẽ virtute priuilegij Sixti Quinti Patribus Ordinis Prædicatorũ conceſsi poſsint hodie ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis abſoluere, aut virtute aliorum priuilegiorum Regularibus à Summis Pontificibus cõceſſorum. p. 330

Reſolut. 13. vtrum Prælati Regulares poſſint virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi exteriori occulta. pag. 343.

Reſolut. 14. vtrum virtute bullæ Cruciatę poſsit Confeſſarius abſoluere pœnitentem à criminibus contentis in primo capite bullæ Cœnæ hæreſi excepta. pag. 352.

Reſolut. 15. vtrum Confeſſarij valeãt ſuos pœnitentes abſoluere à caſibus ſanctæ Inquiſitioni reſeruatis [ex his tamen qui non ſunt contenti in bulla Cœnæ Domini) toties quoties virtute priuilegij bullæ Cruciatæ pag. 357.

Reſolut. 16. Vtrum Religioſi Regulares ab Ordinario approbati dè licentia ſuorũ Superiorum poſsint vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere ſuos pœnitentes à caſibus contentis in edicto dictorum Dominorum Inquiſitorum. pag. 358.

Reſolut. 17. vtrum abſoluendus ſit hæreticus, qui ducitur ad cõburendum, & moritur negatiuus: ſi antea non fateatur viritatem publicè. pag. 361.

Reſolut. 18. vtrum vigore bullæ Cruciatæ poſsit Confeſſarius abſoluere pœni-

tentem, qui culpabiliter omiſit denunciare delicta, quæ ſunt in edicto Inquiſitorum: ante quam defacto dennnciet pag. 364.

Reſol. 19. vtrum Religioſi Regulares poſſint vigore ſuorũ priuilegiorũ abſoluere eum, qui culpabiliter omiſit denunciare crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum, & ab excommunicatione lata, in quam incurſit; ante quam actu denunciet. pag. 368.

Reſolut. 20. vtrum ſi quis ſciat aliquem commiſsiſſe delictũ in edicto Dominorum Inquiſitorum contentum, ſed hoc non poſsit probare teneatur in tali caſu denunciare prædictum delictum Dominis Inquiſitoribus. pag. 373.

Reſolut. 21. vtrum quis excuſetur à denũciatione Confeſſarij ſollicitantis mulierem in ſacramentali confeſsione, ſi hoc ſciat ſub ſigillo ſecreti naturalis. pag. 381.

Reſolut. 22. vtrum ſi delictum occultum hæreſis, vel apoſtaſiæ, aut ſollicitationis in ſacramentali confeſsione ſit iam præteritum, & emendatum, nec timeatur recidium, vel ſiſperetur probabiliter emendatio media correctione fraterna; teneatur qui prædicta crimina cognouit, illa denunciare Dominis Inquiſitoribus, vel poſsit non denunciare: ſed fraternaliter corrigere delinquẽtes. pag. 385.

Reſolut. 23. vtrũ denunciandus ſit Cõfeſſarius ſollicitans ad venerem in ſacramẽtali confeſsione, ſi de delicto ſollicitationis non ſit infamatus. pag. 396.

Reſolut. 24 vtrum virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Confeſſarius abſoluere nominatim excommunicatos, aut publicos percuſſores Clericorum, aut alios quorum excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, & lis non eſt finita. pag. 401.

Reſolut. 25. vtrum abſolutio ab excommunicatione publica iam deducta ad forum externũ facta virtute Bullæ Cruciatæ profit etiam pro foro externo, ſi collata ſit parte ſatisfacta. pag. 404.

Reſolut. 26. vttum virtute bullæ Cruciatæ poſſit commutari votum in rem minorem. pag. 411.

Reſolut. 27. vtrum Confeſſarius electus à Pœnitente virtute bullæ Crucratæ, ſi pœnitens petat illi, vt vigore dictæ bullæ ei commutet aliquod votum teneatur Confeſſarius dictum votum pœnitẽtis commutare, itaut aliter faciendo, ſcilicet denegãdo commutationem dictus Confeſſarius mortaliter peccet. pa. 414.

Reſolut. 28. vtrum Confeſsarius poſſit vigore bullæ Cruciatæ commutare votũ caſtitatis emiſsum ante conrractum matrimonium, vt poſſit vouens petere debitum. p. 420.

Reſolut. 29. vtrum ſi aliquis votum disiunctiuum emittens, nempe caſtitatis, vel dandi certam quantitatem elemoſynæ alicui Eccleſiæ, ſi poſtea vouens prædictum votum disiunctiuum deuenit ad tantam paupertatem, vt impoſsibile ſit adimpere votum quoad materiam non teſeruatam, ſcilicet quoad tribuendam dictam elemoſynam dictę Eccleſiæ poſsit Confeſſarius vigore bullæ Cruciatæ illi commutare dictum votum, quoad materiam reſeruatam nẽpe quoad cãſtitatem voto promiſſam, quam poteſt adimplere. pag. 422.

Reſolut. 30. vtrum ille qui emiſit votum disiunctiuum caſtitatis, vel ieiunandi omnibus ſextis ferijs Anni ſi ſemel elegit libera ſua volunlate ſeruare caſtitatem, quæ eſt materia reſeruata dicti voti poſsit Confeſſarius vigore bullæ Cruciatæ illi commutare dictum votũ. pag. 424.

Reſolut. 31. vtrum votum disiunctiuum conſtans ex vraque parte reſeruata, vtſi quis v. g. voueat, vel ingredi Religionẽ, vel perpetuam caſtitatem ſeruare poſsit vigore bullæ Cruciatæ à Confeſſario commutari. pag. 428.

Reſolut. 32. vtrum vota pœnalia religionis, & caſtitatis poſsint commutari virtute priuilegij bullæ Cruciatæ. pag. 432.

Reſolut. 33. vtrum vota pure conditionalia caſtitatis, aut Religionis ſint commutabilia vigore bullæ Cruciatæ. p. 438

Reſolut. 34. vtrum quando Epiſcopus iuſta, & legitima exiſtente cauſa poteſt diſpenſare in votis caſtitatis, & Religionis: poſsint etiam commutari à Confeſſario virtute priuilegij bullæ Cruciatæ. p. 451.

Reſolut. 35. vtrum vota reſeruata poſsint commutari in melius, ſi non conceditur facultas pro ipſis commutandis, vt non conceditur in Bulla Cruciatæ pag. 455.

FINIS

TRACTATVS
VARII VARIARVM
RESOLVTIONVM MORALIVM

AVTHORE R. ADMODVM P.

FRATRE LVDOVICO
A SANCTO RAYMVNDO

Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Sacræ Theologiæ primario Professore, ac Secretario Reuerendissimi Patris Commissarij Generalis eiusdem Ordinis in Italia.

TRACTATVS PRIMVS
DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

RESOLVTIO I.

Vtrum Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, & informe?

1 COmmunis est sententia Thomistarum, asserentium dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, sed informe; Confessionem informem (aiunt) illam esse quando ex defectu caritatis: Sacramentum licet sit validum non confert gratiam nisi recedente fictione, ita videtur sentire expresse D. Thō. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quęstiunc. 1. tam in corpore, quam in solutionibus Argumentorum, quem sequuntur, Riccardus, Paludanus, Capreolus, Durandus, in 4. dist. 17. Sotus dist. 18. Caietanus tom. 1. opusculorum tract. 5. quæst. 5. Petrus de Soto lect. 8. de pœnitent. Syluester verb. confessio 1. quæst. 22. Canus parte quinta Relectione de pœnit. §. dupliciter Nauarrus in summa cap. 9. num. 13. Couarr. Rub. in cap. Alma mater part. 1. §. 4. à num. 13. Reginaldus lib. 6. sect. 6. num. 168. Valentia 3. part. disput. 7. quæst. 9. punct. 2. §. ad quæstionem Granadus controuer. 7. disp. 3. sect. 3. Suarez tō. 4. in 3. part. disp. 20. sect. 5. Rodriquez in summa tom. 1. cap. 57. conclus 6. Henriquez lib. 2. de Sacramento pœnitentiæ cap.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

11. Toletus lib. 3. summæ cap. 10. Tabiena in summa verb. confessor 2. quæst. 39. num 42. D. Antoninus 3. part. titul. 14. cap. 18. in tertia conditione Ioannes à Cruce in direct. part. 1. de Sacrament. pœnitentiæ quæst. 3. dub. 9. concl. 2. Petrus Fray in addit. ad 3. partem quæst. 9. disp. 2. Martinus de Ledesma quæst. 8. art. 2. dub. 4. concl. 7. Petrus de Ledesma in summa cap. 13. de pœnit. concl. 6. Nugnus 3. part. tom. 2. quæst. 9. art. 2. Diana part. 3. tract. 4. resol. 65. Gratianus in cap. quærat hic aliquis, & in cap. vlt. de pœnit. distinct. 3. Vincentius Candidus tom. 2. disquisit. 24. per totam, quos citat, & sequitur Pater Thomas Hurtado tom. 2. resolut. moral. tract. vlt. resol. 10. Gesualdus de Bononijs tom. 1. de sacramentis part. 1. tract. 21. cap. 7. num. 32. & 33. Eminentissimus Cardinalis Delugo disput. 14. de pœnit. sect. 6. num. 68.

2 Probat primo hanc sententiã Pater Thomas Hurtado; quia Sacramentum pœnitentiæ se habet velut arbor quædã, quæ est causa remissionis peccatorũ, & gratiæ sanctificantis; sed amplius requiritur vt sit fructus productus ab arbore, quam ad hoc vt sit arbor ipsa, siquidem ad fructum requiritur terræ irrigatio, temperatus aer; si enim nimis frigidus sit, fructus non oritur, vel detinetur: ergo benè potest esse, quod sacramentum pœnitentiæ validum sit habens quidquid requiritur ad hoc quod existat, quamuis non producat effectum, & fructum gratiæ, quod est Sacramentum esse validum, & informe, probatur consequentia: quia ad hoc vt Sacramẽtum pœnitentiæ validè existat Patres, & Cõcilia solum exigunt materiã, & formam; atqui ad præstandũ effectum gratiæ, requiritur ex parte recipientis aliqua specialis dispositio, quæ non est pars essentialis sacramenti; ergo est dabilis Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, probatur minor ex Concilio Tridentino sessione 6. cap. 6. vbi dum Conciliũ loquitur de modo quoquis se præparare debet ad percipiẽdam iustitiam, & sanctitatem in Baptismo dicit, *quod mouere se quis debet aduersus peccatum per odium aliquod, & detestationem hoc est per eam pœnitentiam, quæ antè baptismum agi oportet*, sine qua pœnitentia, & si consequatur validum baptisma non tamẽ fructus, qui est remissio peccatorum: ergo pari modo ad consequendum fructum sacramenti pœnitentiæ, qui est gratia sanctificans aliqua specialis dispositio exigitur, quæ nõ exigitur ad eius valorem.

3 Secundo probat, quia quamuis Sacramentum pœnitentiæ ex sui primaria institutione sit recõciliatiuum hominum cum Deo, nec de hoc nullus catholicus dubitet, tamen actualis reconciliatio est finis Sacramenti, sicut quælibet operatio est finis agentis; sed quamuis agens sit perfectum in sua natura potest impediri nè finem suum consequatur: Ergo optimè potest dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe probatur consequentia: nam aliud est aliquam medicinam esse sanatiuam, aliud sanare actualiter, nam virtus sanatiua fundatur in natura, & essentia physicè rei, at sanatio actualis requirit benè dispositum subiectum, sed sacramentum pœnitentiæ est medicina animæ: ergo licet sit sanatiuum potest actu non sanare ex indispositione

sub-

ſubiecti, quod eſt eſſe validum, & informe.

4 Tertio probat: quia vt eſt de fide determinatum in Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 5. Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt à Chriſto Domino, tãquam iudicium in quo Sacerdotes sũt Præſides, & Iudices, qui pro poteſtate clauium remiſſionis, aut dètentionis ſententiam pronunciant contra reum, qui pœnitens ſubijciens omnia ſua peccata mortalia præfatæ poteſtati, vt à iuriſdictione ſua quantum ad vim abſoluendi, vel detinendi ipſum abſoluat, & correctum, & emendatum remittat tanquam eum qui dignè ſe accuſauit; ſed digna accuſatio eſt, quod omnia ſua peccata commiſſa propalet Sacerdotibus iudicibus, & ſuæ iuriſdictioni ſupponat emendandà; quod nullus facit abſque aliquo dolore, & odio in prefata crimina, ſi enim illa aliquo odio nõ proſequeretur nullatenus voluntariè ea Iudici cõmitteret, & eo ipſo quod committat nullius habet expreſſam complacentiam, ſed omnia verè confitetur, & ſubijcit clauibus, & poteſtate Iudicum, qui proferentes ſententiam, & abſolutionem pœnitentem liberum mittunt abſolutum, & abſque obligatione iterum ea peccata ſubijciendi clauibus eccleſiæ: Ergo dabilis eſt ſacramentum pœnitentiæ validum, & informe probatur conſequentia: quia prædictum effectum cauſat ſacramentum pœnitentiæ validũ, ſed informe in pœnitente, ſicut baptiſmus, & confirmatio informis cauſat caracterem.

5 Sed quãuis prædicti Auctores omnes cõueniant dari ſacramẽtum pœnitentiæ. Validum, & forme differunt tamen in modo, & radice vnde hæc validitas informis proueniat, primus modus dicendi eſt Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 20. ſect. 5. vbi aſſignat confeſſionem eſſe validam, & informem in eo ſcilicet caſu, quo aliquis, qui commiſit dupplex peccatum mortale v. g. alterum furti, alterum odij confitetur peccatum furti, & de ipſo dolorem habet propter ipſius peccati ſpecialem turpitudinem, & fęditatem, de peccato autem odij non dolet, nec ipſum confitetur, quia illius inuincibiliter eſt oblitus in quo caſu, inquit Pater Suarez, cum homo apponat materiam, ſcilicet confeſſionem formaliter integram, & dolorem efficacem cum propoſito abſoluto nil videtur deeſſe ad hoc, vt adueniente abſolutione, fiat verum, & validum ſacramentum, & tamen non confertur gratia, quia datur obex peccati odij nõ retractati per dolorem aliquem formaliter, aut virtualiter, nam dolor de facto cum ſit ex ſpeciali motiuo turpitudinis propriæ furti, vt ſupponitur, non poteſt extendi virtualiter ad peccatum odij, quod illam turpitudinem non participat, ſed aliam diuerſam: vndè remitti non poteſt etiam indirectè per tale Sacramẽtum: atque adeò ſacramentum in hoc caſu erit validũ, & informe, hunc etiam modum dicendi latè defendit Eminẽtiſſimus Cardinalis Delugo vbi ſupra.

Sed iſte modus dicendi impra- 6 cticabilis eſt, quia potius eſt, vt ait Candidus tom. 2. diſquiſit. moralium diſquiſit. 24. dub. 2. ſpeculatio metaphyſica, quam caſus moralis, præterea quia non eſt neceſſarium ad hoc vt Sacramentum pœnitentiæ ſit formatum, quod attritio ſit de omnibus peccatis ſigillatim propter

eorum ſpecialem turpitudinem, ſeu deformitatem, ſed ſatis eſt de omnibus dolere ſub generali ratione offenſæ Dei, vel priuationis gloriæ apprehenſis, vt late probat Vaſquez quæſt. 86. art. 2. dub. 7. deinde quia vel attritio peccati furti propter eius ſpecificam turpitudinem ſi non haberet ille homo alia peccata eſt ſufficiens ad fructum ſacramẽti, vel non? Hoc ſecundum dici nõ poteſt, vt de ſe patet. Si autem primum dicatur, vt debet dici: ergo etiam ſi haberet alia peccata erit ſufficiens, probo conſequẽtiam: quia de illo peccato furti, & de alijs ſi haberet inculpabiliter non dolet, vt ſupponit Suarez, ergo idem eſt, ac ſi inculpabiliter ignoraret, & ad memoriã non venirent; ſed tunc indirectè remittuntur: ergo ſacramentũ pœnitentiæ erit formatum, & non informe.

7 Secundus modus dicendi eſt Paludani, & Capreoli aſſerentiũ ſacramentum pœnitentiæ, tunc fieri informe, quando talis eſt dolor, qui nec cum Sacramento eſſet ſufficiens ad gratiam conſequendam, vt homo ſe iuſtificet à peccato. Si autem illis interroges qualis ſit dolor iſte imperfectus explicant, vt ſi dolebat de præterito non proponens cauere in futurum, putans inuincibiliter tale propoſitum non eſſe neceſſarium, quod videtur docuiſſe expreſſe Diuus Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. his verbis: *Sicut Baptiſmus eſt Sacramentum; quãuis quis fictus accedat, nec eſt mutandum propter hoc aliquid de eſſentialibus ſacramenti: ita confeſſio non deſinit eſſe Sacramentalis, quamuis ille, qui confitetur emendationem non proponat.*

8 Sed iſte modus dicendi mihi non probatur, quia vel qui confitetur peccata ſua legitimo Cõfeſſore habet veram attritionem ſuorum peccatorum quamuis nõ habeat expreſſum, & formale propoſitum non peccandi de cẽtero, vel non habet. Si habet veram attritionem ſupernaturalẽ ſuorum peccatorum, quæ neceſſario (vt poſtea dicam) requiritur ad validitatem ſacramenti pœnitentiæ, etiam ſi non habeat explicitum, & expreſſum propoſitum non peccandi de cætero facit ſine dubio, non ſolum validam, ſed etiam formatam confeſſionem: nam in illo actu attritionis ſupernaturalis includitur virtualiter propoſitum nõ peccandi de cætero, quod ſufficit, vt confeſſio, non ſolum ſit valida, ſed etiam formata, vt communiter docent Doctores. Si autem non habet veram attritionẽ ſupernaturalem: ergo implicat, quod confeſſio ſit valida, probo conſequentiam: ad hoc vt aliquod ſacramentum ſit validum debet neceſſariò conſtare ex vera materia, & vera forma, ſed materia proxima præcipua ſacramenti pœnitentiæ eſt contritio, vel attritio ordinis ſupernaturalis, vt docet Concilium Tridentinũ ſeſſione 14. cap. 4. quod poſtquam cap. 3. dixit eſſe quaſi materiam ſacramenti pœnitentiæ ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; poſtea cap. 4. inquit; Cõtritio, quæ primum locum interdictos pœnitẽtis actus habet, animi dolor, & deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero: ergo ſi non habet attritionem ſuorum peccatorum, confeſſio erit nulla. Nec valet dicere, quod multoties contingit, maximè illis, qui ſunt in occaſione proxi-

ma

ma peccãdi; isti enim multoties non habent propositum emendæ in futurum, & maximè dolẽt de præteritis, illis autem non occurrit confiteri propositi defectum: ergò in tali casu confessio erit valida licet informis, hoc inquam non valet: nam vel illi, qui sunt in occasione proximæ peccandi taliter dolent de peccatis præteritis, vt Confessarius prudenter iudicet attentis circumstantijs pœnitentis esse sufficienter dispositum, vt mereatur beneficium absolutionis, vel non? Si primum dicatur confessio erit valida, & formata; nam in illo dolore de peccatis præteritis est inclusũ virtualiter propositum emendæ in futurum, quod sufficit, vt supra dixi. Vel ille dolor non est talis, vt Confessarius prudenter iudicet esse sufficiens ad validitatem Sacramenti; quia Confessarius cognoscit pœnitentem non habere propositum emendę in futurum, si hoc dicatur. Ergo confessio erit nulla, etiam si Confessarius ex ignotantia, vel malitia conferat pœnitenti sacramentalem absolutionem. Patet consequentia: nam Concilium Tridẽtinum dicto cap. 4. petit, vt pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ cõtritionem imperfectam, seù attritionem, quæ includat propositum emendæ in futurum, vt cõstat ex illis verbis contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitẽtis actus habet, animi dolor, ac detestatio est, de peccato cõmisso cum proposito non peccãdi de cetero, nec potest dici, quod Concilium loquitur de Sacramento pœnitentiæ, pro vt inducit fructum remissionis peccatorum, non verò quantum ad eius essentiam, & validitatem. Hoc inquam dici nequit; nam Concilium loquitur de cõtritione, quæ est materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, vt cõstat ex illis verbis cap. 3. antecedentis, sunt autem quasi materia huius Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempè Contritio, Satisfactio, & Cõfessio, quæ quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenãque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sed nullum Sacramentum potest esse validũ deficiente parte essentiali materiali: ergo & cętera.

9 Nec Diuus Thomas fauet hũc modum dicendi verbis superius relatis ex 4. sent. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. nam Angelicus præceptor in dicto art. interrogat, vtrum in quolibet casu teneatur Sacerdos celare peccata, quæ sub sigillo confessionis nouit. Et in ratione dubitãdi sibi obijcit primum argumentum sic. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non in quolibet casu teneatur celare Sacerdos peccata, quæ sub sigillo confessionis nouit, quia sicut dicit Bernardus, quod est institutum pro charitate, contra charitatem non militat: sed celatio confessionis in aliquo casu contra charitatem militaret: sicut si aliquis in confessione scit aliquẽ Hæreticum, quem non potest inducere ad hoc, quod desistat à corruptione plebis; & similiter de illo, qui scit per confessionem affinitatem esse inter aliquos, qui contrahere volunt. Ergo talis debet confessionem reuelare. Et post quam D. Thomas in corpore articuli respondit, quod Sacerdotem celare confessionem, est de necessitate Sacramenti pœnitentiæ. Respondet ad argumẽtum

tum in hunc modum. Ad primũ ergo dicendum, quod quidam dicunt, quod Sacerdos non tenetur seruare sub sigillo confessionis nisi peccata, de quibus pœnitens emendare promittit, aliàs potest ea dicere, ei qui potest pro desse, non obesse. Sed hæc opinio videtur erronea cum sit cõtra veritatem Sacramenti. Sicut enim baptismus est Sacramentũ, quamuis quis fictus accedit, nec est mutandum propter hoc aliquid de essentialibus Sacramenti: ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamuis ille, qui confitetur emendationem non proponat, & ideo nihilominus sub occulto tenendnm est. En quomodo D. Thomas non fauet præfatum modum explicãdi cõfessionem validam, & informẽ, nec tam clarè loquitur in eius fauorem, vt malè iudicat Pater Thomas Hurtado vbi supra §. 4. num. 591. aliud enim est, quod confessio sit sacramentalis, aliud vero quod sit valida; ad validitatem autem confessionis necessario requiritur, quod ille, qui confitetur accedat ad Sacramẽtũ pœnitentiæ cum contritione saltem imperfecta suorũ peccatorũ, quę sit donũ Spiritus Sãcti, & efficaci proposito non peccandi in futurum, aliàs confessio erit inualida. Ad hoc vero vt confessio sit sacramentalis non est necessarium, vt ille, qui confitetur emendationem proponat, nã optimè stare potest, quod confessio sit sacramantalis licet non sit valida in qua Sacerdos tenetur celare sub sigillo peccata, quę sciuit in confessione, licet non conferat absolutionem pœnitẽti, qui emendationem non proponit, & hoc secundum est, quod docet D. Thomas, non primũ. Nec exemplum de Sacramento baptismi adducitur à D. Thoma in sensu relato à Paludano, scilicet, quod sicut baptismus est Sacramentum, quamuis fictus accedat, ita & confessio sacramẽtalis est valida, quamuis informis quando ille, qui confitetur emendationem non proponit aliàs sequeretur, quod ille, qui confitetur sacramentaliter sua peccata alicui Confessori absque expresso proposito emendæ faceret cõfessionem validam licet non formatam, quod est plusquã falsum. Exemplum igitur de Sacramento baptismi adducitur à D. Thoma in hoc sensu, quod sicut baptismus est Sacramentũ, quamuis quis fictus accedat, nec est mutandum propter hoc aliquid de essentialibus Sacramenti: ita confesio facta sine proposito emendæ est sacramentalis, & ideo tenetur Sacerdos seruare sub sigillo peccata, quæ nouit in tale confesione cum Sacerdotẽ celare confesionem sit de necessitate sacramenti pœnitentiæ, quod totum ex contextu ipsius art. constat.

10 Tertius modus dicendi est Petri de Soto de institutione Sacerdotum lect. 8. proposit. 3. asserentis attritionẽ existimatam sufficere ad confesionem validã, & informem, dummodo adhibita sit sufficiens diligentia, & cõscientiæ examinatio, ac proindè ex ignorantia inuincibili existimatio orta sit, verba Petri de Soto hæc sunt. Defectus perfectæ contritionis, qui deprehensus non est, à pœnitente, vel Sacerdote bonafide, & debita diligẽtia (quæ videlicet iudicata est sufficere) agentibus, & si nonnũquam factum auferat absolutionis, nõ tamen nullam reddit cõfesionem, aut repetendam, sed est validum Sacramentum, quod

po-

poſtea recedente fictione operabitur. Hæc eſt in qua ſolum locum habet prior ſententia illa, & rationibus, quæ pro illa factæ ſunt ſatis probatur. Nullum ibi peccatum committitur, non repugnat rationi iudicij illius ſententia illa, nec diuinæ bonafide ſe ſubijcit Eccleſiæ clauibus pœnitens, & Sacerdos ſecundum eas ſimiliter bona fide abſoluit; ratum eſt ergo vtrumque; Et cõfirmatur hoc, quia alioquin sẽper ſollicitum oporteret eſſe pœnitentem de iteranda confeſſione, cum nunquam poſſit certus eſſe de remiſſione peccatorum, etiam cũ Sacramento huccuſque ille, quem modum dicendi amplectuntur Granadus, Valentia, Henriquez, & Toletus locis ſuperius citatis, Victoria in ſumma quæſt. 144.

11 Iſte autem modus dicendi cõmuniter reijcitur à Doctoribus aſſerentibus non poſſe dari verũ Sacramentum pœnitentiæ validum adhuc informe abſque vera attritione ſupernaturali exiſtẽte parte rei, & non ſolum exiſtimata ita docent D. Bonauent. in 4. diſt. 17. 2. part. art. 2. quæſt. 3. Suarez in 3. part. tom. 4. diſp. 20. ſect. 4. n. 13. & 16. Eminentiſſimus Delugo diſp. 14. de pœnitẽt. n. 70. & ſequent. Vaſquez quæſt. 92. art. 2. dub. vnico num. 26. Fagundez in præcep. Eccleſiæ præcep. 2. lib. 2. cap. 5. num. 5. & 6. Vincẽtius Candidus diſquiſit. 24. art. 12. dub. 4. & 5. Leander tom. 1. de ſacramentis tract. 5. de pœnitent. diſput. 5. quæſt. 67. Ratio præcipua huius eſt: quia implicat dari aliquod verũ Sacramẽtum etiam informe abſque vera, & reali materia exiſtẽte à parte rei, ſed contritio, aut attritio ordinis ſupernaturalis vera eſt ſola materia præcipua Sacramenti pœnitentiæ, ergo contritio, ſeu attritio exiſtimata non ſufficit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, conſequẽtia eſt manifeſta, nam Conciliũ Trident. ſeſſione 14. cap. 4. petit ad valorem Sacramenti pœnitẽtiæ verum dolorem ſupernaturalem, atqui dolor tantum exiſtimatus non est verus dolor cũ exiſtimatio rei non ſit res: ergo dolor, ſeu contritio exiſtimata non ſufficit ad valorem Sacramenti pœnitentiæ. Minor in qua poteſt eſſe difficultas probatur, quia in Sacramento Baptiſmi aqua exiſtimata etiam inuincibiliter nõ poteſt eſſe materia baptiſmi, ſed ſola aqua vera, & naturalis: ergo in Sacramento pœnitentiæ ſola vera, & realis attritio ſupernaturalis erit materia, & non tantum exiſtimata, aliàs ſequeretur, quod ſi aliquis baptizaret puerum cum oleo, aut vino, iudicando inuincibiliter vinum eſſe aquam, faceret Sacramentum Baptiſmi validum licet informe, quod eſt plus quã falſum. Nec ratio, quæ in ſui fauorem adducitur à Patre Petro de Soto aliquid conuincit: quia licet bona fides cum qua pœnitens accedit ad Sacramentum pœnitentiæ iudicando ſe habere attritionem ſupernaturalem, ſi illam in re non habeat eum excuſet à peccato, non tamen poteſt facere prædicta bona fides cum qua confitetur, & accipit abſolutionem à Sacerdote, quod Sacramentum pœnitentiæ in re ſit validum cũ deficiat vna pars eſſentialis materialis, quæ eſt attritio ſupernaturalis. Ad confirmationem reſpondeo, quod ſi confeſſio facta fuit bona fide eadem bona fide durante nullum eſt periculum, nam, & ſi re vera fuit inualida confeſſio, per ſubſe-

sequentem tamen confessionem remittuntur illa peccata indirectè, attamen si postea pœnitens apertè cognoscat defectũ prioris confessionis, nõ mirum quod oporteat eam repetere, sicut si constet de defectu iurisdictionis in Confessario, qui eam audiuit est necessariò repetenda.

12 Quartus modus dicẽdi est Patris Thomæ Hurtado part. 2. resolut. moral. tract. vlt. resol. 10. §. 7. num. 504. asserentis contritionem, & attritionem ordinis naturalis sufficere ad hoc, quod Sacramentum pœnitẽtiæ sit validum, & quia huiusmodi actus non possunt disponere ad gratiã ideo, inquit, relinquitur informe, & sine fructu. Pro quo modo dicendi citat Dominicum de Soto, Granadum, Caietanum, & Martinum de Ledesma, vt autẽ hunc modum explicandi confessionem validam, & informem suadeat supponit, quod considerandum est triplex attritio. Prima quando quis dolet de peccato propter motiuum naturale, vt si doleat de peccato, quia est cõtra rationem naturalem, & Deũ authorem naturæ, turpitudinẽ naturalem peccati, aut quia ex ipso contraxit infirmitatem, aut infamiam. Secunda attritio est, quando quis dolet de peccato, propter motiuũ supernaturale, orituruque à supernaturali motiuo, vt si quis doleat propter pœnas inferni, aut purgatorij, ex quo dolore oritur odium peccati, considerans homo, quod Deus iustissimus est Iudex puniens peccatum mortale, pœna æterna, & veniale purgatorij. Tertia attritio est, quando quis dolet de peccato, quia est offensa Dei, non summè dilecti, amore charitatis perfectæ, sed dilecti dũ taxat quodam amore imperfecto quo diligitur Deus, vt author donorum supernaturalium de quo amore, & dolore loquitur Tridẽt. sessione 6. cap. 6. peccatores dum se disponunt ad iustitiam Deum tamquam omnis Iustitiæ fontem diligere incipiũt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per pœnitentiam, & cętera. Ex quibus attritionibus prima, inquit, est sufficiens ad hoc vt Sacramentũ pœnitentiæ sit validum licet nõ formatum; duæ autem vltimæ attritiones, non solum sunt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, sed etiam sunt dispositiones ad eius effectum. Quo supposito probat P. Thomas Hurtado suam sententiam, quo ad primam eius partem, scilicet attritionem naturalem sufficere ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ: quia etiam sunt actus naturales confessio, & absolutio, & in Sacramento Baptismi, tam forma, quam ablutio, sunt ordinis naturalis, & tamen eleuantur ad rationem Sacramenti: ergo idẽ potest dici de contritione, vel attritione naturali in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ vt sic non disponit ad gratiam, sed illam causat, sicut cętera alia Sacramenta, vt instrumentum physicum. Ergo cum hac attritione naturali de peccatis commissis potest homo facere confessionem validam, quamuis informem. Patet hæc vltima consequentia, quia cum iste homo de quo loquimur, habeat attritionem solum naturalem, putans bona fide esse super naturalem, aut naturalem sufficere, cum habeat aliquem dolorem de peccatis, non est cur non accipiat Sacramentum validum, cum ex parte pœnitentis detur dolor,

con-

confeſſio, & ſit vera accuſatio, & ex parte miniſtri intentio, & abſolutio. Quod enim contritio ſit naturalis quo ad ſubſtantiam nil obſtat, vt ſupra probatum eſt. Quo ad ſecundam verò partem nempè attritionem naturalem non ſufficere ad faciẽdum Sacramentum formatum probat: quia effectus Sacramenti pœnitentiæ, eſt cauſare gratiã ex ſe remiſſiuã peccati; ſed diſpoſitio ad aliquã formam debet eſſe eiuſdem ordinis cum ipſa forma ad quam diſponit: ergo cum gratia ſit ordinis ſupernaturalis attritio, quæ ad illam diſponit debet eſſe ſupernaturalis. Aliàs incideretur in hæreſim Pelagij aſſerentis hominem poſſe ſe diſponere, ex viribus naturæ ad gratiam ſanctificantem ſuſcipiendam.

13 Sed iſte modus dicendi expreſsè aduerſatur Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 4. nam poſtquam Concilium cap. 3. decreuit, quod actus pœnitentis ſunt materia Sacramenti pœnitentiæ per illa verba, ſunt autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempè Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sed eo ipſo, quod contritio, vt eſt pars materialis confeſſionis requiratur vt diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, quæ ſit media gratia debet eſſe ordinis ſupernaturalis, & donũ Dei, Spirituſque Sancti impulſum, vt poſtea explicat Concilium cap. 4. agendo de contritione perfecta, ſeu attritione, quæ eſt præcipua pars materialis Sacramenti pœnitentiæ: Ergo nullo modo attritio naturalis poteſt ſufficere ad conſtituendum validum Sacramentum pœnitentiæ.

14 Ad hoc argumentum reſpondet Pater Thomas Hurtado vbi ſupra §. 8. num. 508. quod Concilium loquitur de Sacramento pœnitentiæ prout inducit fructum remiſſionis peccatorum, cũ dicat, quod contritio, vel attritio de qua loquitur, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ diſponat, & de eadem loquitur quando dicit, quod eſt quaſi materia huius Sacramenti, non quãtum ad eius eſſentiam, ad quam an ſufficiat alius imperfectus dolor non determinat, ne dum innuit Concilium.

15 Sed hæc reſponſio (ſalua pace tanti viri) eſt omnino falſa, & cõtra mentem Concilij: nam Concilium manifeſtè loquitur de illa contritione, vel attritione, quæ eſt pars materialis Sacramenti pœnitentiæ, & ſimul cum forma conſtituit adæquatam eſſentiam huius Sacramenti; ſed in tantum eſt pars materialis Sacramẽti pœnitentiæ quatenus ad integritatem Sacramenti. ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiritur, vt docet Concilium: ergo contritio vel attritio, quæ conſtituit Sacramentum pœnitentiæ quantum ad eius eſſentiã debet eſſe ordinis ſupernaturalis: aliàs attritio naturalis diſponeret ad gratiam, & remiſſionẽ peccatorum, quod eſt hæreticũ.

16 Præterea iſte modus dicendi eſt contrarius doctrinæ D. Thomæ 3. part. quæſt. 84. art. 1. ad 2. vbi D. Thomas docet, quod Sacramentum pœnitentiæ habet pro materia actus pœnitentis, quos elicit Deo interius inſpirãte his verbis *Ad ſecundum dicendum. Quod in Sacramentis, quæ habent*

corporalem materiam; oportet, quod illa materia adhibeatur à Ministro Ecclesiæ, qui gerit personam Christi, in signum, quod excellentia virtutis in Sacramento operantis est à Christo. In Sacramento autem pœnitentiæ, sicut dictum est, sunt actus humani pro materia, qui proueniuut ex inspiratione interna: vnde materia non exhibetur à Ministro, sed à Deo interius operante: sed complementum Sacramenti exhibet Minister, dum pœnitentem absoluit. Atqui attritio, quę prouenit à Deo interius mouente, & inspirante hominem, est ordinis supernaturalis; ergo asserere, quod attritio naturalis constituit vt pars materialis Sacramentũ pœnitentiæ est manifestè contra doctrinam D. Thomæ. Nec valet si dicas cum Patre Thoma Hurtado supra §. 7. num. 504. quod verba D. Thomæ intelliguntur de Deo inspirante vt est author naturæ, vel à Deo interius inspirante per aliquod auxilium gratiæ non debitum naturæ, sicut inspirat etiam confessionem pœnitenti, quæ est actus naturalis, quæ contritio, vel attritio naturalis, etiam si procedat ex auxilio isto gratiæ, non sat est ad disponendum ad gratiam ad quam debet disponere actus, qui habeat motiuum supernaturale, vt dicit Trident. sessione 14. cap. 4. hoc inquam non valet: nam gratis, & sine fũdamento dicitur. Quia D. Thomas in illo art. docet, quod in Ecclesia Dei datur verũ Sacramentum pœnitentiæ medio quo peccator se reconciliat cum Deo, & accipit gratiam remissiuam peccati, quod Sacramentum constare docet ex materia, quæ sunt actus humani, qui proueniunt à Deo interius operante, & mouente, & ex forma, quæ est absolutio Sacerdotis, quæ per ea, quæ agit, & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata, vt constat ex toto corpore articuli; ergo loquitur D. Thomas de attritione peccatoris orta ex motiuo supernaturali, & de Deo interius mouẽte vt author gratiæ, & non vt author naturæ consequentia est formalis: nam attritio merè naturalis non potest disponere ad gratiam. Antecedens verò probatur ex Diu. Thoma in corpore art. vbi sic ait respõdeo. Dicendum, quod sicut Greg. dicit in cap. supradicto, Sacramẽtum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, vt aliquid significatiuè accipiamus, quod sãctè accipiendum est. Manifestum est autem, quod in pœnitentia ita res gesta fit, quod aliquid Sãctum significatur, tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis absoluentis. Nã peccator pœnitens per ea, quæ facit, & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse: similiter etiã Sacerdos per ea, quæ agit, & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifestum est, quod pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est Sacramentum. Videat ergo Pater Thomas Hurtado si in toto contextu D. Thomæ est aliquod vestigium, aut vmbra ex qua colligere liceat quo D. Thomas in responsione ad 2. Argumentum loquatur de attritione naturali, & de Deo interius inspirante, & mouente, vt est author naturæ.

17 Deinde ratione impugnatur iste modus dicendi: nam iste dolor imperfectus, seu attritio naturalis, quæ dicitur sufficere ad validitatem Sacramenti pœnitẽtiæ, aut consideratur cognita, vt

na-

naturalis à pœnitente, & nihilominus accedit ad Sacramentum pœnitẽtiæ ſciens prædictum dolorem, ſeu attritionem naturalẽ non ſufficere ad conſequendam gratiam, & remiſſionem peccatorum, aut talis attritio naturalis exiſtimatur à pœnitente ſupernaturalis, & ſufficiens ad cõſequendam gratiam ſacramentalem, vel accedit pœnitens cũ ignorantia iudicando inuincibiliter attritionem naturalem ſufficere ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, & ad perfectam peccatorum remiſſionem; ſed nullo ex his modis eſt ſufficiens attritio naturalis ad conſtituendum Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe: ergo iſte modus dicendi eſt falſus. Antecedens quò ad primam partem probatur: quia iſte pœnitens ſciens, & videns attritionem naturalem non ſufficere ad conſequẽdam gratiam ſacramentalis pœnitentiæ, repreſentat ſe Sacerdoti tamquam inabſolubilis, ſeu omnino abſolutione indignus: ergo de ſe non ſufficit illa diſpoſitio ad valorem Sacramenti pœniteniæ. Probatur conſequẽtia: quia cum pœnitens accedit ita diſpoſitus, vel occultat Confeſſori hanc diſpoſitionem, ſeu vt melius dicam indiſpoſitionem ſuam, vel proponit Confeſſori ſuam diſpoſitionem? Si primum dicitur confeſſio eſt nulla, quia non eſt integra: ſi verò ſecundũ dicatur. Ipſe ſuamet confeſſione teſtificatur ſe eſſe abſolutione indignum: ergo incredibile eſt attritionem naturalem in hoc ſenſu ſufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ. Secunda pars antecedentis probata manet ex dictis ſupra num. 11. impugnando tertium modum dicendi. Vltima verò pars antecedẽtis probatur: quia ille modus ignorantiæ, vt benè notat Suarez diſput. 20. ſect. 4. num. 32. præter quàm quod moraliter vix accidere poteſt, ita vt à peccato excuſet, omnino eſt per accidens, & nihil refert ad modum doloris, neque ad modum accuſationis. Quod duppliciter declarat Suarez, primo quia ille dolor de peccatis mere naturalis per ſe eſt inſufficiẽs, dupplici titulo, ſcilicet, quia non auertit de ſe voluntatem à peccato, ſeu ab affectu peccati: quod autem hic, & nunc propter ignorantiam actu nõ peccet eſt per accidens, & non mutat qualitatem materiæ, vel diſpoſitionis: & quia huiuſmodi dolor non ſufficit ad veram accuſationem coram Deo: non enim omnis accuſatio peccati proprij cũ aliquo dolore habet rationem accuſationis, vt de ſe notum eſt: ergo ille modus doloris intrinſecè eſt inſufficiens ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, neque propter illam ignorantiam poteſt fieri ſufficiens.

18 Nec ratio adducta à Patre Hurtado in ſui fauorem aliquid conuincit: quia ſi dolor procedat ex motiuo merè naturali, & humano, quantum eſt ex ſe non auertit voluntatẽ ab affectu culpæ, ſed ad ſummum continet ab actu externo. Vndè non ſufficit ad veram accuſationem coram Deo, ſed potius videtur eſſe narratio quædam periculi proprij, aut incommodi: ſi verò actus ille eſt ex aliquo motiuo honeſto, & virtutis, tamen merè naturali, etiam eſt inſufficiens ad veram attritionem, quam requirit Concilium Tridentinũ, quod eſt in hac materia potiſſimum fũdamentum. Eſt etiam inſufficiẽs ad propriam accuſationem de peccato Deo factam: nam licet

proximè fiat Confessori, tamen reuera principaliter Deo fieri debet. Nec bona fides pœnitentis potest facere, quod ista attritio naturalis sufficiat ad constituendum pœnitentiæ Sacramentũ validum, vt supra probaui nu. 17.

19 Quintus modus dicendi quem sequitur Pater Gaspar Hurtado disp. 6. de pœnitentia difficult. 8. affirmat Sacramentum pœnitentiæ posse esse validum, & informe ex defectu actus expressi fidei, vel spei, quod sic explicat: addimus, Sacramentum pœnitentiæ, non tantum posse esse informe ex defectu doloris, sed etiã ex defectu fidei, & ex defectu actus spei veniæ peccatorum: quia Sacramentum pœnitentiæ potest recipi validè absque nouo actu fidei diuinæ Dei iustificatoris, & absque nouo actu spei veniæ, & absque eis perseuerantibus actu, post aliud Sacramentum pœnitentiæ prius susceptum: & tamẽ sic receptum non confert gratiã: quia quoties nouiter recipitur, requiritur tamquã noua dispositio actus spei veniæ, ac proindè actus etiam fidei diuinæ Dei iustificatoris, & veniam concedẽtis, necessarius ad eum actum spei veniæ quamuis non sit necessarium, quod hi actus sint actu quãdo Sacramentum recipitur, sed sufficit, quod præcesserint, & nõ sint reuocati. Quod autem Sacramentum pœnitentiæ possit validè recipi absque eis actibus, nouiter elicitis, & absque eis actu perseuerãtibus, post aliud Sacramentum pœnitentiæ prius susceptum, constat: quia ex vna parte dicti actus, non sunt partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ: nec sunt intentio recipiendi illud vt Sacramentum; & ex altera potest recipi absque illis non peccando mortaliter in eorum omissione si recipiatur absque illis, ex ignorantia, aut cum ignorantia inuincibili, vel ex inconsideratione, aut cum inconsideratione naturali necessitatis eorumdem ad effectum Sacramẽti. Hæc sunt formalia verba huius Doctoris, quem sequitur Caspensis tom. 2. tract. 24. de pœnitent. disp. 4. sect. 11. conclus. 3.

20 Sed iste modus dicendi nouus, & singularis est, & à nemine alio excogitatus nisi ab hoc Doctore, quare illum non approbo, & eum sic impugno. Ille homo, qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum vera attritione supernaturali, etiam si non habeat expresse, & explicitè actus fidei diuinæ Dei iustificatoris, & spei veniæ facit verum, & validum Sacramentum: ergo etiam facit Sacramentum formatum: ergo nõ potest dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu actus expressi fidei, vel spei. Antecedens concedit Pater Gaspar hurtado; quia vt ipse ait cum isti actus non sint partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ, nec intentio recipiendi illud vt Sacramentum, non est cur sine illis nõ possit saluari validitas Sacramenti pœnitẽtiæ, sicut quia attritio, vel contritio, non est pars essentialis Sacramenti Baptismi, neque intentio recipiendi illud, vt Sacramentum, potest dari Sacramẽtum Baptismi validum sine contritione, aut attritione peccatorum in homine adulto. Secunda consequentia manifestè sequitur ex prima: prima verò in qua potest esse difficultas probatur. Quia Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 4. ad hoc vt pœnitens iustificetur per Sacramentum pœnitentiæ, & illud non solum sit validum, sed etiam firmatum, quod homo ac-

ce-

cedat ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione ſupernaturali, & ſpe veniæ, vt conſtat ex illis verbis: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, & cum ſpe veniæ; declarat non ſolum non facere hominẽ hyppocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum, mouentis. Et quamuis ſine Sacramẽto pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiã in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Sed in his verbis Concilium non petit, vt diſpoſitionem ad iuſtificationem peccatoris per pœnitẽtiæ Sacramentum, quod peccator accedat cum actu expreſſo fidei, vel ſpei, ſed cum actu expreſſo contritionis in quo includuntur, & continentur implicitè actus fidei, & ſpei, quod ſufficit: ergo ille qui ita diſpoſitus accedit ad Sacramentum pœnitentię, non ſolùm facit illud validum, ſed etiam formatum. Probatur minor: quia ad iuſtificationem impij per Sacramentum Baptiſmi eodem tenore verborum requirit Tridẽt. Septem actus, nempè timorem diuinę iuſtitię, ſpem remiſſionis donandę per Chriſtum Dominũ amorem Dei, odium peccatorũ, ſeù actus pœnitentię, propoſitũ inchoandi nouam vitam, propoſitum ſeruandi mandata, & ſuſcipiendi Baptiſmum. Ac requirit ad iuſtificationem per Sacramentum pœnitentię actus fidei, & ſpei: atquì adultus, qui accedit ad Sactamentum Baptiſmi, cum peccatis mortalibus, ex eo

21

præcisè, quod accedat cum contritione, vel attritione ſupernaturali expreſſa, & explicita etiam ſi expreſsè, & explicitè non habeat alios actus quia implicitè includuntur in actu explicito contritionis, vel attritionis ſupernaturalis, non ſolum facit Sacramentum Baptiſmi validum, ſed etiam formatum: vt docet ipſe Caſpenſis eodem tom. 2. tract. 27. diſp. 1. ſect. 6. concluſ. 4. nũ. 59. Ergo idem dicendum eſt de Sacramento pœnitentię. Quarè non fuit conſequẽter loquutus Pater Caſpenſis.

Secunda, & verior ſententia negat dari poſſe confeſſionem validam, & informem ita Vaſquez tom. 4. in 3. par. quæſt. 92. art. 2. dub. 1. num. 13. Aegidius de Coninch. diſp. 4. de pœnit. dub. 11. Fagundez in præcep. eccleſię præcep. 2. lib. 2. cap. 7. nu. 9. Caſtropalaus part. 4. tract. 23. de pœnitent. diſp. vnica punct. 7. num. 3. & 5. & alij, & probatur primò nullum Sacramentũ poteſt eſſe validum abſque materia debita illi Sacramento; ſed ſola attritio ſupernaturalis in re exiſtens eſt materia Sacramenti pœnitentię conſtituens ſimul cũ forma validum Sacramẽtum; ergo Sacramentum pœnitentię nõ poteſt eſſe validum abſque vera attritione ſupernaturali: tunc ſic ſed attritio ſupernaturalis eſt ſufficiens diſpoſitio cum Sacramẽto pœnitẽtię ad cauſandam gratiam remiſſiuam peccati, quę eſt effectus huius Sacramenti: ergo nullum poteſt dari Sacramentũ pœnitentię validum quod non ſit formatum. Maior huius diſcurſus eſt per ſe nota, minor cõſtat ex impugnationibus factis contra tertium, & quartum modum dicendi, minor autem ſubſumpta probatur. Nam Concili-

lium Trident. seſſ. 14. citata cap. 4. declarans contritionem, quæ pars eſt Sacramenti pœnitentiæ affirmauit eſſe dolorem, & deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, quem dolorem imperfectum, ſcilicet attritionem appellat, & perfectum dolorem contritionem vocat. Et loquendo de dolore perfecto, nempè contritione, definiuit per ſe eſſe ſufficientem abſque Sacramento in re benè tamẽ in voto ſuſcepto ad iuſtificandum peccatorem loquendo autem de dolore imperfecto videlicet attritione, decreuit cum Sacramento diſponere ad gratiam impetrandam: ergo nullus alius dolor aſſignatus eſt à Concilio pars huius Sacramenti niſi qui ſufficiens ſit ſaltem cum Sacramento ad impetrandam à Deo gratiam: ergo nullum poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe: nam poſita diſpoſitio neceſſaria ad hoc, quod forma Sacramenti pœnitentiæ cauſet ſuum effectum, ſcilicet gratiam remiſſiuam peccati non poteſt illum non cauſare.

22 Sed ad hoc argumentum reſpondet Pater Suarez diſput. 20. ſect. 5. num. 7. Concedendo totum diſcurſum, & negando vltimam conſequentiam: quia optimè ſtare poteſt per ſe eſſe neceſſarium eumdem dolorem ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, qui neceſſarius ad illius effectum, & nihilominus ex accidenti oppoſitum contingere. Exemplum ſit habet quis duo peccata mortalia, vnũ fornicationis, & aliud furti accedit ad confeſſionem, & confeſſus eſt peccatum fornicationis, oblitus inuincibiliter de violatione præcepti nõ furandi, & dolet de peccato fornicationis ob innatam illius turpitudinem in tali caſu iſte homo Sacramentum abſolutionis recipit: quia eſt dolor de peccato ob illius turpitudinem, quem Concilium Trident. affirmauit Sacramenti pœnitentiæ partẽ eſſe, & ad gratiam obtinẽdam per ſe diſponere: at effectum Sacramenti non recipit, quia hic recipi non poteſt, niſi ſimul omnia peccata ei remittantur, quæ tamen abſque eorum deteſtatione formali, vel virtuali remitti non poſſunt. Cũ autem ex vi prædicti doloris ſolã ſpeciem fornicationis deteſtetur iſte homo neque ad alias peccatorum ſpecies dolorem extẽdat, vtpotè, quæ diuerſam turpitudinem habent, certè eo caſu nullũ peccatum remittitur: cum tamẽ Sacramentum conficiatur. Ergo nõ benè infertur ex eo quod idẽ dolor, qui eſt neceſſarius ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, ſit neceſſarius ad eius effectum, quod non ſit aſſignabilis aliquis caſus in quo poſſit dari Sacramẽtum pœnitentię validum, & informe.

23 Sed contra eſt primò: quia prædictus dolor eſt inſufficiens, non ſolùm per accidens, ex cõiunctione peccati obliti, ſed etiã per ſe, tam ad remiſſionem peccati, quàm ad Sacramenti pœnitentiæ valorem: ergo ſolutio eſt inſufficiens. Probo antecedẽs: quia ſimul cum illo dolore cõſiſtere poteſt actualis volũtas peccandi; ſed Concilium Trident. excludit à materia Sacramenti pœnitentiæ dolorem cui non ſit coniunctum propoſitum efficax voluntatis non peccandi de cætero: ergo prædictus dolor non ſolùm per accidens, ſed etiam per ſe eſt inſufficiens, tam ad remiſſionem peccati, quàm ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, neque obſtat dixiſſe Concilium do-

dolorem ex turpitudinis peccati consideratione esse partẽ Sacramenti pœnitentiæ, & ad gratiam obtinendam in Sacramento disponere; quia intelligi debet non ex turpitudine peccati speciali, sed generali, & omnibus alijs peccatis mortalibus communi qualis est offensa Dei, violatio diuinæ legis, dissonantia, & oppositio cum ratione; quia solus hic dolor, & turpitudinis detestatio, voluntatem peccandi excludit: & ratio est manifesta: quia recipere non potest verum Sacramẽtum pœnitentiæ sine voluntate absoluta, & efficaci reconciliationis cum Deo, cum ad hãc reconciliationem obtinendam fuerit institutum; sed prædictam voluntatem habere homo non potest absque detestatione virtuali omnium peccatorum vtpotè reconciliationi contraria: ergo, & cætera.

24 Contra est secundo: quia vel ille homo, qui habet dolorem de peccato fornicationis ob illius specialem turpitudinem, simul cum illo dolore habet coniunctum expressum propositum de cętero non peccandi, vel non? Si hoc secundum dicatur confessio erit inualida, quia prædictus dolor non est per se sufficiens ad valorem huius Sacramenti, nam cum illo consistere potest actualis voluntas peccandi, vt supra dixi. Si vero primum dicatur, scilicet cum illo dolore simul habere coniũctum expressum propositum de cætero non peccandi: ergo non solùm faciet confessionem validam, sed etiam formatam. Probo consequentiam: quia in prædicto proposito, est virtualis detestatio omniũ peccatorum: ergo est sufficiens dispositio vt Sacramentum pœnitẽtiæ non solum sit validum, sed etiam formatum.

25 Sed ad hanc replicam respondit Eminẽtissimus Cardinalis Delugo in defensionem Patris Suarez disp. 14. sect. 6. num. 83. eligendo primam partem dilẽmatis, & negando consequentiã quia licèt dolor efficax, & expressus peccatorum nõ propter specialem, & specificam deformitatem peccati, sed sub generali offensa Dei includat virtualiter propositum non peccandi in futurum, non tamen è contra propositum efficax includit dolorem efficacem de præteritis. nec sunt pares hi duo actus quo ad hoc: nam potest aliquis præteritum non reprobare, & tamẽ firmissimè in futurum proponere. Quod maximè verum est si supponamus vt in replica supponitur; ex parte doloris sufficere ad validitatem Sacramenti dolorem de vno peccato ex motiuo specificæ deformitatis illius peccati si adiũgatur expressum propositum de cætero nõ peccandi, quod ostendit, suo videri ad hominem, ponamus (inquit Eminẽtissimus Delugo) aliquem dolere ex motiuo speciali furti, vt est contra virtutem iustitiæ, non tamen de peccato luxuriæ, cuius non recordatur: habet iterum propositum de cętero non peccandi numquam mortaliter ex motiuo generali ad omnia peccata futura nimirum propter malitiam reincidentiæ, quæ inuenitur in alijs peccatis mortalibus futuris, à qua aliquam maiorem grauitatem accipiunt, quod quidem motiuum sufficiens est ad propositum vniuersale, & firmũ concipiendum. Hoc autem motiuum licèt generale sit ad omnia peccata futura, non tamen extenditur ad peccatum luxuriæ præteritum; supponamus, enim

il-

illum fuiſſe primum peccatum mortale totius vitę; nec habuiſſe malitiam reincidentię: ergo hic homo habet quidquid requiritur ad valorem Sacramenti abſque vlla deteſtatione etiam implicita illius peccati luxuriæ, habet enim dolorem efficacem, qui facta ſuppoſitione in replica noſtra ſufficit in ratione doloris; habet item propoſitnm vniuerſale, & firmiſſimum non peccandi de cętero ex odio reincidentiæ, quæ iam inerit omni peccato mortali futuro, quod propoſitum, videtur etiam ponere quidquid ex parte propoſiti petitur in Tridentino, cum excludat omnem voluntatem peccādi: ergo recipiet Sacramentum validum, ſed informe propter obicem luxurię mortalis non dū retractatæ explicitè, vel implicitè.

26 Sed contra: quia illud propoſitum efficax, & expreſſum non peccandi de cætero includit implicitè deteſtationem omnium peccatorum: ergo extenditur explicitè ad omnia peccata de quibus iſte homo recordatur, & implicitè ad peccata præterita, de quibus non recordatur, quod ſufficit, vt confeſſio ſit non ſolū valida, ſed etiam formata: probo conſequentiam. Et ſumo exemplum ipſius Delugo, de illo, qui dolet de peccato furti, (non tamen de peccato luxuriæ cuius non recordatur) propter ſpecificam deformitatem illius peccati, & ſimul habet propoſitum explicitum non peccandi de cętero propter malitiam reincidētię hoc propoſitum non peccandi de cætero ex tali motiuo, vel oritur ex voluntate efficaci, qua iſte homo deteſtatur efficaciter malitiā ſpecialem reincidentię in peccatis, quia poteſt ei ſequi aliquod graue incommodum in vita, aut in fama, vel in bonis temporalibus. Vel deteſtatur malitiam illam, quia eſt offenſa grauiſſima Dei in peccatis perſeuerare, aut ad fugiendum periculum damnationis ęternę. Si dicatur primum confeſſio non erit valida, etiam ſuppoſito dolore de peccato furti, nam Concilium petit pro materia huius Sacramenti dolorem de peccatis, qui excludat voluntatem peccandi de cętero, & quod hoc non oriatur ex motiuo merè naturali, ſed ex ſupernaturali motiuo. Si verò ſecundum dicatur: ergo illa voluntas efficax, & propoſitum explicitum non peccādi de cętero includit implicitè deteſtationem omnium peccatorum, non ſolùm futurorum, ſed etiam prętęritorum, & conſequenter confeſſio illa non ſolum erit valida, ſed etiam formata, nam ſicut dolor de peccatis ſub generali ratione offenſę Dei includit implicitè dolorem omnīū peccatorum, ita propoſitum explicitum non peccandi de cętero, aut non perſeuerandi in peccatis, quia perſeueratio in peccatis eſt offenſa Dei, aut periculum certum, ſaltem moraliter damnationis ęternę includit implicitè deteſtationem omnium peccatorum, quod ſufficit ad cōfeſſionem formatam.

27 Secundò probatur: quia pœnitentia eſt Sacramentum recōciliationis hominis cum Deo; ſed reconciliatio hominis cum Deo non poteſt dari, quin detur in pœnitente nempè gratia remiſſiua peccati: ergo non poteſt dari Sacramentum pęnitentię validum, & informe. Maior conſtat expreſsè ex Concilio Trident. ſeſſione 14. cap. 3. vbi poſtquam concilium determinauit materiam,

riam, & formam huius Sacramẽti ſubdit ſanè verò res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, qua interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax, ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Et Canone primo eiuſdem ſeſſionis ait: Si quis dixerit in catholica Eccleſia pœnitentiam nõ eſſe verè, & propriè Sacramentũ pro fidelibus quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum: anathema ſit. Minor verò probatur reconciliatio hominis cum Deo, eſſentialiter petit mutuam redamationem inter Deum, & hominem; atqui Deus non poteſt diligere hominem amore amicitiæ, niſi homo ſit conſtitutus in gratia, & amicitia Dei: ergo, & cætera.

28 Ad hoc argumentum reſpondet Pater Thomas Hurtado ſupra num. 511. Sacramentum pœnitentiæ eſſe Sacramentum recõciliatiuum, quod etiam conuenit Sacramento valido, & informi, quod eſt de fide ſicut quod ſit ſecunda tabula, ſicut etiam Sacramentum Baptiſmi reconciliatiuum eſt, & tamen propter impedimentum aliquando non reconciliat, ita Sacramentum pœnitentiæ. Aliud enim eſt, quod Sacramentum pœnitentiæ ſit reconciliatiuum hominis cũ Deo, aliud verò, quod ſit Sacramentũ reconciliationis in actu ſecundo. primum eſt verum, & in hoc sẽſu loquitur Concilium Trident. & ſecundum falſum, & ita optimè poteſt ſaluari, quod Sacramentum pœnitẽtiæ informe validum tamen; ſit reconciliatiuum hominis cũ Deo quãuis actu non reconciliet propter aliquod impedimentum, vt contingere poteſt in Sacramento Baptiſmi.

29 Sed contra eſt quia Concilĩ Trident. cap. 3. citato. vocat Sacramentum pœnitentiæ reconciliationem cum Deo; ſed recõciliatio eſt actus ſecundus: ergo et cætera: nec paritas Sacramẽti Baptiſmi, valet nam materia Sacramenti Baptiſmi eſt materia corporalis, quæ adhibetur à miniſtro Eccleſiæ, et non eſt diſpoſitio ad hoc vt Sacramentum baptiſmi cauſet ſuum effectum, et ita in adulto requiritur contritio, aut attritio ſupernaturalis tamquã diſpoſitio, vt homo regeneretur per baptiſmum qua poſita Sacramentum cauſat regenerationem ſpiritualem hominis media gratia, et ita Sacramentum baptiſmi potius eſt regeneratiuũ quam reconciliatiuum: et ita nõ poſita diſpoſitione ex parte adulti baptizati Sacramentum remanet informe quamuis validũ. In Sacramento autem pœnitentiæ vbi diſpoſitio ad cauſandam gratiam non diſtinguitur à materia imo eſt ipſa materia præcipua Sacramenti, et pars eſſentialis illius, vt docet D. Thomas in addit. ad 3. part. quæſt. 8. art. 2. ad 1. his verbis: Ad primum ergo dicendum: quod in Sacramento pœnitentiæ nõ ſolum eſt aliquid ex parte miniſtri, ſcilicet abſolutio; et ſatisfactionis iniunctio, ſed etiam aliquid ex parte ipſius qui ſuſcipit Sacramentum, quod eſt etiam de eſſentia Sacramenti, ſcilicet contritio, et confeſſio. non poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ validũ ſine eo quod cauſet gratiam media qua homo reconciliatur cum Deo, et ideo potius appellari debet Sacramẽtum reconciliationis cum Deo,

quam reconciliatiuum, præterea: quia in alijs Sacramentis positis eorum partibus essentialibus, materia scilicet, & forma, semper ex operatione ministri consequitur aliquis effectus, sicut caracter in baptismo, & confirmatione; & transubstantiatio in Eucharistia; sed actus pœnitentis nempè contritio, & confessio sunt materia, & pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ: ergo posita forma nempe absolutione, semper ex operatione ministri, scilicet Confessoris consequitur aliquis effectus, at qui Sacramẽtum pœnitentiæ non potest causare in homine pœnitente alium effectum præter gratiam remissiuam peccati, ergo implicat dari Sacramentum pœnitentiæ validum, quod non sit formatum.

30 Ad hoc respondet Pater Thomas Hurtado, ad authoritatem D. Thomæ ait num. 512. quod ibi D. Thomas sumit contritionem pro dolore ex parte pœnitentis, vel dicit esse de essentia Sacramenti in quantum inducit fructum remissionis peccatorũ. Deinde respondet ad instantiam negando minorem subsumptam, nã Sacramentum validum, & informe (inquit §. 9. num. 525.) causat in anima quamdam qualitatẽ, quam ipse appellat dispositionẽ, & ornatum, qui ex natura sua habet cõnexionem cum gratia habituali, & eam exigit ablato obice, & impedimento; quo ablato statim confertur gratia, nisi per nouum peccatum iam reddatur indignus.

31 Sed contra est primo: quia illa explicatio est expressè contra mentem D. Thomæ, vt ex ipso contextu manifestè apparet, nã D. Thomas in illo art. 2. quæst. 8. in addit. ad 3. partem interrogat. Vtrum in aliquo casu liceat alijs, quàm Sacerdoti confiteri, & in ratione dubitãdi sibi obijcit hoc argumentum ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in nullo casu liceat alijs, quam Sacerdotibus confiteri: quia confessio sacramentalis accusatio est; vt ex supposita definitione habetur: sed dispensatio sacramentalis ad illum tantum pertinet, qui est Sacramenti minister, cum ergo minister sacramenti proprius sit Sacerdos, videtur quod nulli alij sit cõfessio faciẽda. Ad quod Argumentum sic respondet D. Thomas. Ad primum ergo dicẽdum, quod in Sacramento pœnitentiæ, non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio, & satisfactionis iniunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit Sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti, scilicet contritio, & confessio. Satisfactio autem iam incipit esse à Ministro, in quantum eam iniungit, & à pœnitente in quantũ eam implet: & ad plenitudinem Sacramenti vtrumque debet cõcurrere, quando possibile est. Sed quando necessitas imminet, debet facere pœnitens, quod ex parte sua est, scilicet conteri, & confiteri: cui potest, qui quamuis Sacramentum perficere non possit vt faciat id, quod ex parte Sacerdotis est absolutionem, scilicet, defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet: nihilominus confessio laico ex desiderio Sacerdotis facta sacramẽtalis est quodammodo, quamuis non sit Sacramentum perfectum quia deest ei id quod est ex parte Sacerdotis. Ex quibus verbis clarè constat D. Thomam loqui de contritione, seu attritione supernaturali, quæ contritio imperfecta dicitur, de qua ait, quod est de essentia Sacramenti pœnitẽ-

tiæ,

tiæ, quam debet ponere pœnitens quoties Sacerdoti confitetur, vt validè ab eo accipiat abſolutionem ſuorum peccatorum in ſecundo autem caſu loquitur de contritione perfecta, quæ abſque Sacramento in re bene tamē in voto ſufficiens eſt ad præſtandam iuſtificationem homini peccatori. Contra ſecundo: quia illa qualitas quā dicit Pater Thomas Hurtado cauſari in animā à Sacramento pęnitentiæ valido licet informi, quæ eſt ornatus ipſius animæ habens ex ſe connexionem cum gratia ſanctificāte remiſſiua peccati eſt gratis ab ipſo excogitata, nam hæc qualitas, aut ornatus vel producitur in anima etiam ſi Sacramentum pœnitentiæ ſit validum, & formatum; vel ſolum producitur, quoties Sacramentum eſt informe validum tamē; ſi dicatur primum inquiro iſta qualitas, ſeu ornatus, aut eſt permanens, & indelebilis exiſtens in anima, & hoc non aliàs Sacramentum pœnitentiæ poſſemus dicere imprimere characterē, ſicut Sacramētum Baptiſmi, & Confirmationis, quod eſt falſum, aut eſt delebilis, & deperditur quoties deperditur gratia quod veriſimilius eſt ad quid rogo deſideratur iſta qualitas, ſeu ornatus: nam non deſideratur neque ex parte materiæ huius Sacramenti, neque ex parte formæ, neque ex parte ſubiecti, ſcilicet pœnitentis. Ergo eſt ſuperflua prædicta qualitas, & merè gratis excogitata.

32 Nec valet ſi dicas cum Hurtado ſupra num. 517. Quod requiritur ex parte ſubiecti, nempe animæ tamquam diſpoſitio vt gratia ſanctificans in pœnitente cauſet effectum formalem recōciliationis hominis cum Deo, ſeu gratiam per modum ſanationis: nam ſicut à gratia, quæ eſt in eſſentia animæ pullulant diuerſæ virtutes, & dona, quæ inſunt potentiæ animæ, & ſicut ab eadem anima oriuntur diuerſæ potentiæ in diuerſis corporis partibus iuxta diuerſitatem organorum, & diſpoſitiones in illis partibus exiſtentes; ita in ſuſcipientibus ſacramenta à gratia habituali, ſupra virtutes, & dona fluunt quædam gratiæ perfectiones ordinatæ ad ſpeciales effectus Sacramentorum quare vt à gratia ſanctificante oriatur perfectio, quæ dicitur gratia regenerationis, alia diſpoſitio requiritur in anima, ab illa, quæ exigitur, vt ſit gratia cofirmationis in fide, & etiam ab illa, quæ requiritur, vt ſit gratia remiſſionis peccatorū per modum ſanationis, & ſic de alijs Sacramētis. Cuius rationem aſſignat Hurtadus, quia quando vna forma dare poteſt diuerſos effectus, quos ſimul non tribuit, neque eidem parti ſubiecti; vt det potius hunc effectum, quam illum, & modò det iſtum, modò illum neceſſaria eſt aliqua præuia diſpoſitio in ſubiecto, ad cuius poſitionem ponatur talis effectus, & antequā non ponebatur, atqui in gratia habituali, alius eſt effectus regenerationis, quæ fit in baptiſmo, alius, qui fit per augmentum, & fortitudinem, qui fit in confirmatione, alius qui fit per nutritionem, qui fit per Euchariſtiā, alius, qui fit per ſanationem ab infirmitate peccati mortalis, qui fit per pœnitentiam, alius, qui fit per reſtitutionē valitudinis priſtinæ, per remotionem reliquiarum peccati, & hic fit per extremam vnctionem, alius qui fit quando homo accepit poteſtatem regendi multitudinem in

ordine ad vitam æternam, & hic fit per Sacramentum ordinis, & vltimo alius fit in ordine ad propagandam prolem, & hic fit per Sacramentum matrimonij: ergo vt à gratia habituali huiusmodi diuersi effectus promanẽt requiruntur diuersæ dispositiones in subiecto quas causant diuersa Sacramenta, & ita Sacramentum pœnitentiæ non solum validum, & formatum, sed etiam validum, & informe causat in anima prædictam dispositionẽ, & ornatum, qui ex natura sua habet connexionem cum gratia habituali, & eam semper exigit ablato obice, & impedimento.

33 Sed licet hæc responsio includat doctrinam veram, & fundatã in doctrina D. Thomæ in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. in corpore §. ad cuius euidentiam, & quæst. 27. de veritate art. 4. ad 8. vbi dicit, quod omne instrumentum physicum vltra propriã actionem debet, vel attingere formam substantialem, vel eius dispositionem, & ita Sacramenta non attingunt entitatem, gratiæ habitualis, attingunt tamen quãdam dispositionem, iuxta effectũ quem gratia Sacramentalis secũdum Sacramẽtum à quo producitur causat. Nihilominus ex hac generali doctrina non sequitur, quod Sacramentum pœnitentiæ causet in anima illam qualitatẽ, seu ornatum, qui sit dispositio ad hoc, vt prestet talem effectũ formalem per modum sanationis, quia attritio supernaturalis non solum est materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, sed etiam est sufficiens dispositio, vt Sacramentum pœnitentiæ causet in anima ita dispositã gratiam sanatiuam infirmitatis peccati mortalis, vt docet Concilium Trident. session. 14. cap. 3. & 4. & concedit ipse Pater Hurtado supra num. 506. ergo ista qualitas, & ornatus, qui sit dispositio ex parte subiecti ad hoc vt gratia habitualis causet effectum per modum sanationis, est superflua. Præterea: quia licet concedamus Patri Thomæ Hurtado, quod Sacramentum pœnitentiæ validũ, & formatum causaret prædictam dispositionem, & ornatum in anima non potest hoc concedi de Sacramento pœnitentiæ valido, & informi. ergo vel non datur tale Sacramentum validum, & non formatum, vel si datur ex operatione ministri non consequitur aliquis effectus, & sic remanet argumentum à nobis factum in sua vi, & efficacia. Probo antecedens. Istæ dispositiones diuersę, quæ requiruntur in anima iuxta diuersitatem Sacramentorum ad hoc vt gratia causet diuersos illos effectus, quos simul non tribuit, neque eidem parti subiecti fluunt à gratia habituali, vt concedit ipse Pater Thomas Hurtado num. 516. per hæc verba. Ita in suscipientibus Sacramenta à gratia habituali supra virrutes, & dona fluunt quædam gratiæ perfectiones ordinatæ ad speciales effectus sacramentorũ; sed qui recipit Sacramentum validum, & informe non recipit gratiam habitualem: ergo non recipit prædictam dispositionẽ & ornatur, qui per se à gratia habituali fluere debet: ergo datur aliquod Sacramentum validum, quod ex operatione ministri non prestet aliquem effectum, & sic in tota sua efficacia, & vi remanet nostrum argumentum.

34 Ex dictis facilè patet solutio ad argumenta oppositæ sententiæ ad primum respondetur omittendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam ad cuius pro-

ba-

bationem reſpondeo negando. Suppoſitum antecedentis: nam Patres, & Concilia non diſtingunt diſpoſitionem huius Sacramenti ab eius materia; imo hoc eſt diſcrimen inter hoc Sacramentum, in quo idem actus, qui eſt diſpoſitio neceſſaria ad ipſius effectum, eſt etiam ipſius pars eſſentialis, & inter alia ſacramẽta in quibus diſpoſitio neceſſaria ad effectũ, omnino diſtinguitur ab omnibus ijs, quæ ad eorum eſſentiam requirũtur, & ideo Sacramentum pœnitentiæ numquam poteſt eſſe validum quin ſit formatum, vt ſupra probatum eſt.

35 Ad ſecundum reſpondetur cõceſſa maiori. Diſtinguendo minorem poteſt impediri, ſi diſpoſitio vltima ad productionem effectus, aut ad finis conſequutionem nõ ſit pars eſſentialis, ſed ſolum conditio ſine qua non concedo minorẽ ſi diſpoſitio ad effectum ſit ſimul pars eſſentialis, nego minorem, & ſimiliter nego cõſequẽtiam propter rationem dictam in ſolutione ad primum argumentum de diſparitate inter Sacramentum pœnitentiæ, & alia Sacramenta.

36 Ad tertium reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; ſed dicta accuſatio eſt, quod omnia ſua peccata commiſſa propalet Sacerdotibus iudicibus, & ſuæ iuriſdictioni ſupponat. Si talis accuſatio oriatur ex attritione ſupernaturali, quæ excludat propoſitum peccandi de cætero, concedo minorem. Si ſolùm oriatur ex aliquo dolore imperfecto merè naturali, nego minorem. Et ſimiliter nego conſequentiam, & ad eius probationẽ dico eſſe magnam diſparitatem inter Sacramentum pœnitentiæ, & Sacramentum baptiſmi, ac cõfirmationis; nam in iſtis diſpoſitio neceſſaria ad hoc vt præſtent ſuũ effectum non eſt illorum pars eſſentialis cæterum in Sacramento pœnitentiæ diſpoſitio neceſſaria ad hoc vt cauſet ſuum effectum, eſt ſimul pars eſſẽtialis ipſius Sacramenti pœnitentiæ, vt ſupra dixi.

RESOLVTIO II.

Vtrum, qui confeſſus eſt peccatum vt dubium teneatur ceſſante dubio iterum illud cõfiteri, vt certum.

37 PRO intelligentia huius reſolutionis notandum eſt, quod duobus modis poteſt quis confiteri peccatum; vt dubium primo confitendo illud integrè, & practicè certum, & dubitando, an ſit mortale, vel veniale, licet hoc dubium ſe teneat, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Confeſſoris, aut ex parte vtriuſque ſi pœnitens, aut Confeſſor, poſtea cognoſcat illud fuiſſe mortale, non tenetur illud vlterius confiteri: ita Corduba in ſumma, quæſt. 9. Thomas Sãchez in ſumma lib. 1. cap. 10. num. 69. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 22. num. 14. Coninch diſp. 6. dub. 5. num. 18. Geſualdus de Bononijs par. 1. theologiæ moralis tract. 14. cap. 2. de miniſtro abſolutionis tract. 7. nu. 21. Pater Thomas Hurtado par. 2. reſolut. moral. tract. 12. cap. 1. dub. 9. num. 2090. cuius ratio eſt, quia pœnitens in eo caſu ſufficienter manifeſtauit peccatum ſuum, & non eſt neceſſe, quod Confeſſarius manifeſtè ſciat peccatum confeſſum fuiſſe mortale, aut veniale, ſed ſatis eſt, vt percipiat peccatum commiſſum, licet omnino determinatum iudicium ferre non poſſit, vt docent præter Doctores allegatos Vaſ-

quez

quez 3. p. quæſt. 13. art. 2. ad 1. num. 1. Reginaldus lib. 1. num. 247. Bonacina de pœnitent. tõ. 1. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4. nu. 12. Secundo poteſt quis confiteri peccatũ dubium, vt dubium, nõ dubitando de grauitate peccati, quia verè ſcit eſſe mortale; ſed dubitãdo de commiſſione ipſius peccati, an ſcilicet ipſum commiſiſſet, vel non, v. g. confitetur quis ſub dubio in hoc ſecundo ſenſu peccatum adulterij, & de hoc eſt difficultas, an ſi poſtea inueniat prædictum peccatum adulterij de quo erat dubius certo commiſiſſe teneatur iterum prædictum peccatum, vt certum confiteri.

38 Affirmatiuè reſpondent communiter Doctores: ita Thomas Sanchez ſupra num. 69. Turrianus de pœnitent. diſp. 29. dub. 6. quæſt. 9. Art. 1. Gaſpar Hurtadus de Sacrament. pœnitent. diſp. 9. difficult. 7. eruditiſſimus Pater Antoninus Diana part. 3. tract. 4. reſol. 91. & part. 4. tract. 3. reſol. 5. in fine. Pater Vincentius Tancredi in ſuis quæſtionibus moralib. tom. iſtius Auctoris quinto diſp. 6. quæſt. 2. licet cõtrariam ſentẽtiam practicè probabilem appellet, & nouiſſimè hanc ſententiam nominatim cõtra Eminẽtiſſimum Cardinalem Delugo acriter defendunt Pater Thomas Hurtado vbi ſupra à nũ. 2091. & Pater Angelus Maria Verricelli Congregationis Clericorum Regularium in ſuis qq. moral. & legalibus tract. 8. miſcell. quæſt. 21. Diana part. 10. tract. 16. reſol. 79.

39 Probat primò Pater Thomas Hurtado hanc ſententiam ex Concilio Tridẽt. ſeſſione 14. cap. 5. vbi habentur hæc verba conſtat enim nihil aliud, in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quam vt poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit ea peccata confiteatur quibus Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Ergo ſi quis vt dubium confeſſus eſt peccatum, dubitans an ſit mortale, ſi poſt, explorans conſcientiæ ſuæ ſinus, & latebras, inuenerit mortaliter offẽdiſſe Dominum, & Deum ſuum nullus Catholicus dubitare poteſt, quod tenetur illud confiteri, & tamquam certum clauibus ſubijcere, quod antea ſub dubio ſubiecit. Cuius rationem à priori (inquit Pater Hurtadus num. 2092.) tradidit idem Concilium ibidem in principio capitis, vbi poſtquam dixit, quod Chriſtus Dominus Sacerdotes reliquit ſui Vicarios, tamquam Præſides, & Iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, qui pro poteſtate clauium retentionis, & remiſſionis peccatorum ſententiã pronuncient, addit hæc verba: Cõſtat enim Sacerdotes iudiciũ hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem in illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent ex his colligitur oportere à pœnitẽtibus omnia peccata mortalia quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in confeſſione recenſere.

40 Ex quibus Concilij verbis iudicat Pater Hurtado poſſe colligere demonſtrationem moralẽ ſatis claram huius (quam ipſe vocat) veritatis, quam ſic format: num. 2093. De fide eſt, quod omne mortale peccatum, quod quis poſt deligentem ſui diſcuſſionem, & examen in conſcien-

tia

tia habet debet in confeſſione directè ſubijcere clauibus, quia Sacerdotes non poſſunt ſententiam, & iudicium ferre cauſa incognita, neque æquitatem ſeruare in iniungendis pœnitentijs, atqui quando pœnitens ſub dubio an eſſet mortale faſſus eſt peccatum incoguitum eſt Confeſſori, an ſit mortale, ſiquidem de hoc dubitabat, ſicut & pœnitens: ergo de illo quatenus eſt determinatè mortale non eſt factum iudicium, nec ſententia lata, & ita quatenus mortale nõ eſt ſubiectum clauibus, cum de illo vt ſic non poſſit Sacerdos iudicare, & illud vt mortale non eſt directè dimiſſum: ergo ſemper quod claruerit fuiſſe mortale tenetur illud Sacerdoti approbato confiteri. Conſequentia eſt euidens, quia ex Chriſti inſtitutione tenetur omnis fidelis directè ſubijcere clauibus omnia peccata in ſpecie, & omnia, quæ certo nouit eſſe mortalia: hoc enim, & nihil aliud exigit Eccleſia à fidelibus, atque ita ſi poſt diligentẽ diſcuſſionem inueniat peccatum dubiè confeſſum determinatè eſſe mortale certiſſimo, ita vt oppoſitum etiam ſpeculatiuè nullã habeat probabilitatem tenetur confiteri Sacerdoti approbato. hoc eſt totum fundamentum Patris Thomæ Hurtado, quod ex intento ad vnguem appoſui, ne forte quando illi ſatisfaciam, poſſit contra me formare quærelã, quod variaui ſubſtantiam ſui argumenti, & conſequenter vim, & efficaciam eius, quod multis ſcriptoribus multoties cõtingit, quod mutando ſtylum, et formã fundamentorum oppoſitæ ſententiæ, quam ſubſtinent ſub prætextu ne illis imputetur eſſe potius copiatores, quam ſcriptores mutant ſimul ſubſtantiam, et vim fundamenti contrarij in nõ parum preiudicium Doctorum, qui talem ſententiam ſubſtinent.

41 Secundo probatur hæc ſentẽtia à Patre Angelo Maria Verricelli, ſpecialiter contra Eminentiſſimum Delugo, quia quando quis certus eſt ſe peccaſſe mortaliter, ignorat tamen peccati ſpeciem, tenetur iterum confiteri, de quo nullus dubitat: quo ſuppoſito ita argumentatur Pater Angelus Maria: vel iſte fuit directè, vel indirectè abſolutus, ſi directè: ergo poſt directam abſolutionem iterum confitendum eſt peccatum, et iterum directè abſoluendum, quando antea nõ fuit perfectè cognitum à Sacerdote: Si indirectè fuit abſolutum peccatum mortale in genere cõfeſſum: ergo etiam dicendum eſt indirectè abſolui peccatum dubium: nam non minus illud peccatum in genere prius confeſſum, quam peccatum dubium, aliquando eſt ſola materia Sacramenti: ergo vel vtrumque, vel neutrum dicitur tunc indirectè abſolui.

42 Cõfirmat hoc: quia fingamus aliquem ſic confiteri: certus sũ me aliquando lingua peccaſſe mortaliter, ſed dubito an per blaſphemiam, periurium, detractionem, aut contumeliam, ſi deinde iſte certo cognouit fuiſſe peccatũ blaſphemiæ vtique nemo audebit dicere hunc non teneri iterum confiteri blaſphemiã certam: ergo etiam ſi dixiſſet dubito an ſemel blasphemauerim, tenetur iterum deinde vt certũ confiteri.

43 Probatur tertio ab eodẽ Doctore: quia quando quis confitetur peccatũ dubium, quod deinde certo cognoſcit, notabiliter variatur iudicium; non autem variatur notabiliter iudicium, ſi

con-

confeſſus eſt furtum decies plus minuſuè ſi deinde certõ cognoſcat duodecim furta commiſſa, ergo in primo, non in ſecundo caſu repetenda eſt confeſſio. Ea enim repetenda eſt quando eſt notabilis defectus in præterito iudicio Confeſſarij, probatur antecedens: nam iudicium ſacramentale eſt verum, ac proprium iudicium, vt definit Trident. ſeſſione 14. cap. 5. ergo habet aliquam proportionem cum iudicio externo, & forenſi; ſed in iudicio forenſi notabiliter variatur iudicium, ſi homicidiũ, quod antea erat dubium, & non planè conſtabat deinde cõuincatur plenè per teſtes: Vnde quamuis prius fuerit cauſa terminata cõdemnando reum ad pœnam extra ordinariam, vt docent iuriſtæ, & ſeruat quotidiana praxis, ſi pluſquam ſemiplenè conſtet de delicto vt per vnicum teſtem de viſu, famam, & confeſſionem extra iudicialem, tamen iterum reus cognita. Certa veritate delicti iudicatur, & ad mortẽ damnatur: at ſi teſtes deponant Petrum bis plus minus furatum ſingulis vicibus decem aureos, & condemnatus ſit ad triremes per biennium v. g. ſi deinde alij teſtes probent quatuor fuiſſe furta, & ſingula decem aureorum, vtique non iudicabitur iterum, neque augebitur pœna triremium ad quatuor annos: ratio eſt quia hoc non variat notabiliter iudicium: ergo pari ratione idem dicendum eſt in iudicio ſacramentali notabiliter enim variatur cũ peccatum confitetur vt dubiũ, quod deinde vt certum cognoſcitur, non autem variatur notabiliter, quando quis confitetur ſe decies plus minus furatum, ſi deinde cognoſcat certiſſimè fuiſſe duodecim furta.

44 Quarto probatur: quia ad Sacramentum pœnitentiæ duo ex inſtitutione Chriſti requiruntur, primo cognitio ſtatus pœnitentis, eaque perfecta, cognitis peccatis in particulari, vt ait Tridẽt. dicta ſeſſione 14. cap. 5. Secundo requiritur abſolutio: ergo quãuis peccatum illud fuerit abſolutum, tamen non fuit perfectè cognitum, vt certum ergo iterum iudicandum, & abſoluendum: ſicuti inſtante morte dato ſigno pœnitentiæ abſoluitur moribũdus, nullo omnino peccato expreſſo, ſi tamen periculum euadat, vtique tenetur iterum confiteri; noua autem hæc confeſſio non requiritur præcisè, vt peccata per abſolutionem tollãtur; ſed vt cognoſcantur à Sacerdote, quia prius fuerant imperfectiſſimè cognita; ita peccatum dubium non eſt iterum confitendũ, vt certum, præcisè vt abſoluatur; nam fuit directè abſolutum, ſed vt perfectè cognoſcatur; quia prius fuerat imperfectè cognitũ; debet autem iterum abſolui, quia de eſſentia iudicij ſacramentalis eſt abſolutio, ſine qua nequit iudicium ſacramentale exerceri, & ſic nequit à Sacerdote iterũ cognoſci, niſi iterum abſoluatur: Vnde ſi poſſet ſeparari abſolutio à cognitione ſacramẽtali, vtique poſſet iterum cognoſci, non autem deberet iterum abſolui.

45 Secunda ſententia affirmat, quod qui confeſſus eſt peccatum tamquam dubium, ſi poſtea certo cognoſcat illud peccatum cõmiſiſſe non tenetur iterum prædictum peccatum confiteri, vt certum, ita Eminentiſſimus Cardinalis Delugo de pœnitent. diſp. 16. num. 77. quem ſequitur Pater Angelus Maria Verricelli tract. 5. de ſcrupulorum cauſis, atque remedijs quæſt. 6. num. 22.

his

his verbis. Notandum præterea, quod qui cõfeſſus eſt peccatum, tamquam dubium, ſi deinde recordetur certiſſimè illud commiſiſſe, non tenetur iterum vt certum fateri, ita ille. Cum tract. 8. vt vidimus oppoſitum pertinaciter defendat, & ita manifeſtè iſte Doctor in hac difficultate ſe ipſum contradicit, hanc ſententiam tenent etiam Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dub. 2. nu. 557. & 559. Breſſerus de conſcientia lib. 4. cap. 18. num. 197. Pellizzarius tract. de monialibus cap. 10. num. 198. Pater Thomas Tamburinus opuſculo de confeſſione lib. 2. cap. 1. num. 24. Leander de Sacrament. part. 1. tract. 5. diſp. 5. quæſt. 27.

46 Præcipuum fundamentum Eminentiſſimi Cardinalis Delugo ad ſuſtinendam hanc ſententiã eſt: quia ille, qui dicit ſe periuraſſe decies plus minuſue non dicit vt certum vndecimum periuriũ; ſed vt dubium; atqui ſi poſtea cognoſcat certiſſimè, quod vndecim, vel duodecim vicibus periurauit non tenetur dicere tamquam certum in alia confeſſione illud vndecimũ aut duodecimũ periuriũ dicere, quod prius ſub dubio dixerat, vt concedunt auctores oppoſitæ ſententiæ: ergo neque tenetur confiteri, vt certum peccatum prius confeſſum, vt dubium poſtea quam certiſſimè cognouit illud commiſiſſe. Probatur conſequentia: nã ideo non tenetur ille, qui confeſſus eſt ſe periuraſſe decies plus minuſuè periuriũ vndecimũ, aut duodecimũ cõfiteri, habita etiam poſtea certa ſcientia de illis duobus periurijs confeſſis ſub conditione; quia de illis fuit iam directè abſolutus à Cõfeſſario ſub cõditione implicita, atqui peccatũ prius confeſſum, vt dubium fuit abſolutum à Confeſſore directè ſub conditione implicita ſi fuit peccatum coram Deo: ergo ſicut qui confeſſus eſt ſe periuraſſe decies plus minus ſi poſtea euidenter inueniat ſe periuraſſe duodecies non tenetur iterum confiteri, vt certa duo illa periuria, quæ iam fuerunt abſoluta ſub illo dubio plus minus, ita ſimiliter, qui confeſſus fuit peccatum adulterij, vt dubium, ſi poſtea cognoſcat certiſſimè illum commiſiſſe non tenebitur illud confiteri, vt certum. Maior ex ſe eſt manifeſta minor verò probatur: quia peccatum dubium, vt dubiũ (loquor de dubio proprio quando quis eſt ita anceps, quod non habet rationes probabiles pro aliqua parte cõtradictionis determinata, ſed æquè indifferens eſt ad vtrãque in æquilibrio poſitus) mortale eſt in materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, vt communiter tenent Doctores contra Laiman tom. 1. lib. 2. tract. 1. cap. 5. §. 4. nu. 37. qui videtur inclinare in negatiuã ſententiam, quam poſtea Ioannes præpoſitus 3. part. de pœnitent. queſt. 5. de integritate cõfeſſionis num. 117. iudicat probabilem ſpeculatiuè licet in praxi non ſit recedẽdum à communi quare non eſt audiendus Pater Geſualdus à Bononijs, qui parte prima theologiæ moralis tract. 18. cap. 4. de pœnitent. tract. 1. num. 11. affirmat, quod peccatum dubium, quando dubium eſt de facto, an fuerit commiſſum non eſt materia ſufficiẽs confeſſionis: Sequens aliquos modernos, qui eam nouiſſimè defendũt iſti ſunt Petrus Merchãt. in tribunal. Sacrament. tract. 4. tit. 6. quæſt. 5. Ioannes Caramuel in Theologia morali lib. 3. diſp. 4. à num. 1478. Martinon. in

Theologia ſcolaſt. tom. 5. diſput. 50. ſect. 8. num. 95. quia hæc opinio nec ſpeculatiuè eſt probabilis, nec practicè; non ſpeculatiuè: quia nullum habet fundamentũ, quod facillimè non diſſoluatur, non practicè quia eſt contra cõmunem vſum, & praxim totius Eccleſiæ, & contra omnes Doctores, qui ante, & poſt Conciliũ ſcripſere quos egregiè citat Thomas Sanchez lib. 1. ſummæ cap. 10. num. 66. cuius rationem euidentem tradidit D. Thomas in 4. diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. quia quãdo aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale tenetur illud confiteri dubitatione manente: qui aliquid committit, vel omittit in quo dubitat eſſe mortale peccatum, peccat mortaliter diſcrimini ſe committens, & ſimiliter periculo ſe committit qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale negligit confiteri, non tamen debet aſſerere illud eſſe mortale, ſed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare cuius eſt diſcrimen inter lepram, & non lepram hæc D. Thomas, ergo peccatum dubiũ vt dubium eſt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ. Ergo remittitur directè; atqui peccatum ſemel remiſſum directe per pœnitentię Sacramentum etiam ſub illa conditione implicita ſi eſt peccatum mortale, et in hoc ſenſu ſemel ſubiectum clauibus non eſt neceſſe vlterius directè remitti, et clauibus ſubijci: ergo peccatum ſemel cõfeſſum vt dubium et vt tale à Confeſſore abſolutum non eſt opus iterum confiteri vt certum, poſtquam pœnitens cognouit certiſsimè illud commiſiſſe, ad quid enim requiritur peccatum illud vlterius ad iudicium deferre? Non certe ad obtinendam directam abſolutionem prædicti peccati, quia iam fuit directè abſolutum, neque vt clauibus Eccleſiæ ſubijciatur cum iam fuerit clauibus ſubiectum ſaltem ſub illa conditione implicita, ſi tale peccatum fuit in re commiſſum. Ergo ex nullo capite eſt neceſſariũ illud iterum, vt certum confiteri.

47 Ad hoc argumentum reſpondet Pater Thomas Hurtado ſupra num. 2097. eſſe euidens diſcrimen inter vtrumque caſum, quia dum quis confitetur peccatum ſub dubio an illud commiſerit, prudentia iudicis non poteſt elicere certum iudicium circa illud diſtinguens lepram à lepra, ſed manet in ancipite, nec proferre poteſt de illo ſentẽtiam determinatam, quia nec iudicium, et cognitio practica implicita eſt de commiſsione illius peccati, et in illa non poteſt ſeruare æqualitas in pœnitentijs imponendis, & eſt idem ac ſi in genere confiteretur quis peccata ſua, circa quæ vt ait Concilium, Iudex nõ poteſt procedere cum ſit incognita cauſa in ſpecie, at dum quis confitetur decem periuria plus minuſuè Iudicis prudentia elicit iudicium determinatum circa peccata confeſſa, & implicitè ex illis verbis ſubijcit pœnitens illa duo peccata periurij, et circa illa fert Confeſſor ſententiam ſeruãs æquitatem in pœnis imponendis, atque ita non eſt neceſſariò illa duo confiteri, poſtquam pœnitẽs certo cognouit duodecim vicibus periuraſſe. Vnde duo illa periuria non ſunt confeſſa, vt dubia an ſint mortalia, ſed determinatè iudicãtur mortalia, ſednõ explicitè dicuntur commiſſa, ſed confusè, & implicitè. Vnde quãdo explicite cognoſcuntur commiſſa non eſt neceſſarium illa cõfiteri iterum quia implicitum efficit,

ficit, quod explicitum faceret lege cum quid ff. de legatis 2. lege vlt. C. quis bonis Couarruuias in cap. quamuis pactum part. 2. num. 6. Menochius consil. 108. num. 54. Sousa in Bullam Cœnę disp. 101. num. 2. Gõzalez ad Regular. 8. Glosa 14. num. 64. Frãciscus Leo in thesauro par. 3. cap. 7. num. 61.

48 Sed hæc responsio non eneruat vim argumenti Eminentissimi Cardinalis Delugo, imò potest retorqueri in suum Authorem. Dupplici ex capite; primo: quia qui confitetur peccatum cum dubio tam ex parte sua, quã ex parte Confessarij, an fuerit mortale, vel veniale non tenetur si comperiat esse mortale iterum confiteri, vt ex Sanchez docet ipse Pater Hurtado supra nu. 2090. ergo neque, qui confessus est sub dubio an commiserit tale peccatum mortale v. g. adulterij teneturiterum confiteri: probatur consequentia: nã in vtroque casu Confessarius dedit absolutionem prout peccatum erat in se. Et ita profert Confessarius de illo sententiam determinatã sub illa cognitione implicita si in re tale peccatum adulterij fuit à pœnitente commissum, & in hoc sensu potest seruare æqualitatem in pœnitentijs iniungendis, nec currit eadẽ ratio de peccato cõfesso in genere dum taxat; v. g. cũ quis sic se accusat in confessione accuso me peccasse mortaliter vt in sequenti resolutione dicam, ac de illo, qui sub conditione se accusat de aliquo peccato determinato, si fortè illud in re commisit, nam in primo casu non potest Confessarius facere iudicium determinatum cum peccatum sit incognitum secundum speciem sicut qui habet cognitionẽ generică de ratione generica animalis non potest determinatè, neque explicitè, neque implicitè habere determinatam cognitionem hominis, aut leonis, quæ sunt species animalis, & consequenter non potest de illo peccato in genere cognito proferre determinatam sententiam, nec potest seruare æqualitatem in pœnitentia imponenda. In secundo autẽ casu subijcit pœnitens implicitè iurisdictioni Confessoris per illa verba si fortè illud commisi de quo sum dubius, & Confessor confert circa illud sub illa conditione implicita, si verè ita est in re sententiam determinatam. Seruans æquitatem in pœnitentijs imponendis: ergo non est necessarium illud peccatum vt certum iterum confiteri. Secundo: quia ideo, qui confessus est decies periurasse plus minusue si postea certissimè sciat duodecies periurasse, non tenetur illa duo periuria: iterum confiteri; quia illa duo periuria non fuerunt cõfessa, vt dubia an sint mortalia, sed determinatè iudicantur mortalia, sed non explicite dicuntur commissa, sed confusè, & implicitè; atqui qui confessus est peccatum v. g. adulterij sub dubio, si illud commisit non confitetur illud vt dubium an sit mortale, nec iudicatur, vt dubium in ratione mortalis, sed determinatè iudicatur mortale, licet non explicitè dicatur commissum, sed implicitè, & sub conditione: ergo sicut illa duo periuria quãdo cognoscuntur explicitè commissa non est necessarium illa confiteri iterum; quia implicitum efficit, quod explicitum faceret, vt docet ipse Hurtado in supradicta responsione, ita similiter dicendum erit de peccato adulterij v. g. confesso vt dubio, si postea explicitè appareat illud fuis-

se commissum propter eamdem rationem cum in vtroque casu currat eadem ratio.

49 Aliter ad argumentum Eminentissimi Cardinalis Delugo respondet Pater Angelus Maria Verricelli dicto tract. 8. quæst. 21. in solutione ad primum, ait enim esse maximam disparitatē inter vtrumque casum: quia notabiliter variatur iudicium, quādo peccatum confessum est, vt dubium, quod deinde certum cognoscitur, & ita quia fuit antea imperfectè cognitum à Sacerdote, iterum subijciendum est sacramentali iudicio, vt patet in absolutione data per nutus, & in absolutione peccati mortalis in genere, & assignat rationem: quia iudicium adhuc pendet, neque est perfectum, quousque plenè, & perfectè peccatum innotescat; quod patet in foro externo, nam dubius homicida, aliquando condemnatur ad pœnam extraordinariam, deinde plenè probato delicto, iterum iudicatur, & ad pœnam ordinariam mortis dānatur. Secus est de numero peccatorum, bona fide cū dubio expresso per illam particulam plus minusvè, non enim iterum confitendum post certitudinem talis numeri, quia numerus plerumque non variat notabiliter iudicium de statu peccatoris, sicuti neque in foro externo variatur pœna, variato aliquando numero delictorum; semper autem variatur, si delictum dubium cognoscatur certum; hoc enim ponitur pœna ordinaria, dubium vero, vel nulla, vel leui extraordinaria, itaque notabiliter variatur cognitio dubij, ac deinde certi peccati, non autem variatur notabiliter si numerus præcisus, vel cū illa particula plus minusvè exprimatur.

50 Hæc autem solutio non satisfacit argumento Eminentissimi Delugo, neque eius efficaciam minuit: nam falsò dicitur, quod quando peccatum confessum est vt dubium notabiliter variatur iudicium confessionis sacramentalis quādo deinde certo cognoscitur, ex eo quod antea imperfectè cognitum fuit à Sacerdote, & ideo iterum esse subijciendum sacramentali iudicio, hoc inquā falsum est nam vel loquimur de cognitione peccati dubij, vt est peccatū mortale, vel de dubietate illius quoad existentiam eius in re v. g. quando quis se accusat de peccato adulterij, sed cū dubio si illud verè cōmisit (loquor de dubio proprio modo superius explicato) si loquamur de hoc peccato dubio in ratione peccati mortalis certissimum est, quod Sacerdos habet de illo perfectā cognitionem, non solum quoad rationem genericā peccati mortalis, sed etiam quoad rationem specificam adulterij, nam perfectè cognoscit, quod pœnitens se accusat, quod si peccauit de quo non est omnino certus peccatū fuit adulterij: ergo fuit perfectè cognitum à Sacerdote quando fuit confessum, vt dubium in ratione peccati mortalis, tam genericè, quam specificè. Si verò loquamur de illo, quo ad eius existentiam in re, seu quo ad cōmissionem illius peccati iudiciū Confessoris fertur in illud peccatum sub illa conditione si fuit verè in re commissum; atqui ex suppositione, quod tale peccatū fuisset à pœnitente commissum remittitur directè tale peccatum per absolutionem sacramentalē Sacerdotis, vt concedit iste Doctor: ergo non est cur quando deinde cognoscitur, vt certum iterum subijciatur sacramentali iu-

dicio, neque eſt ad rem exemplũ de abſolutione data per nutus, vel de abſolutione data de peccato mortali in genere (ſi licitum eſt illam dare de quo reſolut. ſequenti) quia abſolutio data per nutus fuit valida in virtute confeſſionis ſacramentalis in voto nam omnis fidelis tenetur omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa ſubijcere clauibus Eccleſiæ, & cum peccata confeſſa per nutus in periculo mortis, licet maneant directè abſoluta non manent ſubiecta Eccleſiæ clauibus, eſt neceſſe illa iterum confiteri ſi infirmus periculum euadat. Sicut ſi quis in periculo mortis conſtituto haberet perfectum actum contritionis ſuorum peccatorum, ſi poſtea euaderet mortis periculum etiã ſi haberet reuelationem diuinam quod peccata fuerunt ei remiſſa per contritionem, tenetur prædicta peccata legitimo Sacerdoti confiteri, non vt ei remittantur per abſolutionem ſacramentalẽ cum iam ſupponantur remiſſa per contritionem, ſed vt maneant ſubiecta clauibus Eccleſiæ. De abſolutione data de peccatis mortalibus confeſſis in genere, vel in caſu periculi mortis, vel in alio, ſcilicet, debent prædicta peccata iterum confiteri vt ſubijciantur Eccleſiæ clauibus, quod non currit in confeſſione peccati dubij cum iam ſit abſolutum directè, & ſubiectum clauibus Eccleſiæ quoad ſpeciem peccati explicitè, & quo ad eius eſſe individuale, ſeu numericũ implicitè ratione illius conditionis ex ſuppoſitione, quod ſit quod ſufficit ad hoc vt non ſit neceſſariũ illud iterum confiteri quando vt certum cognoſcatur, nec tenet exemplum allatum, in prædicta ſolutione de foro externo, & forenſi: nam licet iudicium ſacramẽtale habeat aliquam proportionem cum iudicio externo, & forenſi, quia ſicut iudicium exterius, & forenſe conſtat ex reo accuſatore, & legitimo iudice, qui legitimè profert ſententiam definitiuã per quam liberat reũ, aut condemnat ſecundum allegata, & probata: ita iudicium ſacramentalis confeſſionis conſtat ex reo, qui eſt pœnitens, & ex accuſatore, qui eſt propria peccatoris conſcientia, & tandẽ ex legitimo Iudice, qui eſt Sacerdos ritè, & legitimè approbatus, qui legitimam profert ſententiam circa peccata confeſſa ſuppoſita tamen ex parte confeſſoris cognitione neceſſaria peccatorum per quam peccatorem liberat, & abſoluit à ſuis peccatis commutando pœnam æternã eis debitam in pœnam temporalem. Tamen differunt hæc duo iudicia ex parte finis: nam iudicium criminale exterius, & forenſe habet pro fine vindictam, & punitionem delinquẽtis, iudicium verò ſacramentalis confeſſionis habet pro fine, non vindictam, & punitionem peccatoris, ſed correctionem illius, & ſanitatem ab infirmitate peccati mortalis iuxta dictũ Chriſti Domini, nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Et ita gratia, quæ confertur in hoc Sacramẽto dicitur gratia ſanationis, ſeu ſanatiua infirmitatis peccati mortiferi, quare licet concedamus, quod in iudicio externo, & forenſi ſi homicidiũ, quod antea erat dubium, & non planè conſtabat, ſi deinde planè conuincatur per teſtes quamuis prius fuerit cauſa deeterminata condemnando reum ad pœnam extraordinariam, nihilominus iterum reus cognita certa veri-

ta-

tate delicti iudicetur, & ad mortem damnetur, hoc fit quia finis huius iudicij est punitio, & vindicta, & ne delictum verè commissum, & verè probatum per testes nempè homicidium, quod antea erat dubiũ, et cõstat planè, & manifestè fuisse cõmissũ, maneat impunitum, iterum ad iudicium vocatur reus, & ad mortem damnatur in vindictam sui delicti, quæ ratio non currit in iudicio sacramentalis confessionis. Cuius finis non est vindicta, & punitio pœnitentis, sed eius correctio, & emendatio, præterea: quia vt optimè notat Pater Thomas Tamburinus supra nu. 24. Si Iudex sæcularis, reum de crimine non plenè probato, seu dubio, per sententiam definitiuam absolueret, non posset iterũ id crimen iterũ in iudicium deduci, vt docet Couarruuias lib. 1. vãriar. cap. 1. num. 8. citatus à Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 34. num. 57. non ita profectò quando quis absoluitur ab instantia, seu obseruatione iudicij, id quod fit per sententiam interlocutoriam: nam tunc ex nouis indicijs, nouisque probationibus, potest iterum in iudicium deduci; sed in nostro casu sententia Confessarij est definitiua, & directè illud peccatum absoluit: ergo non est pœnitens iterum deducendus in iudicium sacramentalis confessionis, omitto alias probationes pro hac sentẽtia, quæ videri possunt apud Eminẽtissimũ Delugo supra cõtentus hoc fundamento, quo fortius, & efficacius suadetur hæc sentẽtia.

51 Sed licet ex his opinionibus prima sit moraliter, securior tamen hæc secunda probabilissima est & tuta in praxi quare ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, quod Concilium Trident. dixit esse materiam huius Sacramenti necessariam ea peccata mortalia omnia quibus quisque Dominũ Deum offendisse meminerit, peccatum autem dubium memoria retinetur, & quamuis non sit certum iudicium, quod fuit commissum, est tamẽ iudicium certum, quod si fuit commissum est talis determinatę speciei v. g. cum quis se accusat esse dubium an commiserit peccatum adulterij, quia est ita anceps, quod non habet rationes probabiles pro aliqua parte contradictionis determinata, sed æque indifferens ad vtrumque in æquilibrio positus Cõfessarius licet nõ faciat iudicium certum, & absolutum de cõmissione peccati, facit tamen iudicium certũ, quod si fuit cõmissum fuit adulterij, & non alterius speciei, & sub illa conditione implicita si fuit commissum eum absoluit, & prædictum peccatum ex suppositione, quod fuit remanet implicitè subiectum non solum in specie, sed etiam in indiuiduo clauibus Ecclesiæ, & remissum directè per absolutionem sacramentalem, & ideo quando pœnitens certissimè cognoscit illud commisisse non tenetur illud iterum confiteri, nam in tali casu implicitum efficit, quod explicitum faceret lege cum quid ff. si certum petatur lege vltima C. quis bonis, quod non contingit cum quis confitetur peccatum aliquod mortale in genere, nam in isto casu Confessarius non potest de illo facere iudicium certũ, & determinatum neque implicitè, neque explicitè, & ita non potest de illo proferre sententiã determinatam, neque peccatum illud secundum suum esse specificum manet subiectum clauibus Ecclesiæ quare si quis in mortis pe-

periculo confeſſus fuit ſua peccata mortalia in genere, qui aliter facere nõ potuit licet per abſolutionem ſacramentalem talia peccata in genere cõfeſſa fuerint ei directè remiſſa; manet obligatus ſi periculum euadat iterum confitendi omnia peccata in ſpecie, & numero; tum quia ei fuerunt remiſſa per ſacramentalem abſolutionem in virtute confeſſionis in voto tum vt maneant ſubiecta clauibus Eccleſiæ.

52 Ad ſecundum reſpõdetur poſſe retorqueri in ſuum authorem nã ipſe ſupra dub. 8. num. 2086. affirmat peccatum dubium vt dubium eſſe materiam neceſſariam Sacramenti pœnitentiæ, ita vt contrarium aſſerere ſit omnino improbabile tam practicè, quam ſpeculatiuè; qua doctrina ſuppoſita retorqueo argumentũ, peccatum, quod poteſt per ſe eſſe materia neceſſaria Sacramẽti pœnitentiæ poteſt Confeſſarius circa tale peccatum terminare abſolutionem directè, ſed tũc manet tale peccatum directè remiſſum, & implicitè ſubiectum clauibus Eccleſiæ per illam conditionem ſi fortè eſt mortale, aut ſi fortè illud commiſi; at qui vt inquit iſte Author ſupra num. 209. in tali caſu implicitum efficit, quod explicitum faceret: ergo aut peccatum dubium, vt dubium non eſt materia neceſſaria, imo nec ſufficiens Sacramẽti pœnitentiæ quod non concedis, aut ſi eſt materia neceſſaria, vt affirmas remittitur per abſolutionem ſacramẽtalem directè, & manet ſaltem implicitè ſubiectum clauibus Eccleſiæ: ergo poſt quam cognoſcitur vt certum nõ eſt neceſſarium illud iterum cõfiteri, nec explicitè ſubijcere illud clauibus, nam iam implicitũ efficit, quod explicitum faceret.

53 Ad tertium reſpondetur eligẽdo primam partem dilemmatis nempè qui confeſſus fuit peccatum in genere, qui aliter fieri non potuit vt in periculo mortis maneret illud peccatum directè abſolutum, & poſtea eſt iterũ confitendum non vt directè abſoluatur, cum iam fuiſſet abſolutum, ſed vt ſubijciatur Eccleſiæ clauibus, quæ ratio non militat in peccato cõfeſſo vt dubio vt ſupra diximus num. 48. ad tertium reſpondetur negãdo antecedens, ad cuius probationem manifeſtè patet ex dictis dicto num. 48.

Ad quartum nego antecedens quo ad primam partem ita vt illud ſit de neceſſitate eſſentiali, vt 54 ita dicam, validitatis Sacramẽti pœnitentiæ ex inſtitutione Chriſti, & in primis, quod cognitio ſtatus pœnitentis perfecta non ſit ſemper neceſſaria, patet manifeſtè: nam cognitio ſtatus pœnitẽtis in tantum requiritur, in quãtum deſeruit ad exactam peccatorum notitiam; ſed multoties ad peccatorum exactam notitiã, non eſt neceſſaria ſtatus pœnitẽtis cognitio perfecta: ergo antecedens quo ad hanc partem non eſt generaliter verum; ſed ſolum quando ad exactam malitiæ peccati ſpecificam cognitionem deſeruit, quod attinet ad cognitionem peccatorum in particulari, etiam antecedẽs nõ eſt vniuerſaliter verum, ita vt talis cognitio perfecta peccatorum in particulari ſit eſſentialiter neceſſaria ad validitatem Sacramenti pœnitẽtiæ, vt manifeſtè conſtat in illo qui duodecies periurauit, & poſt exactum conſcientiæ examen; quia non recordatur de numero determinato, ſe accuſat periuraſſe decies plus minuſuè in quo caſu Confeſſarius non poteſt habe-

bere perfectã cognitionẽ in particulari de duodecim illis periurijs, & nihilominus confessio sic facta valida est, & manẽt directè absoluta illa duo periuria absque obligatione iterum ea confitendi postquam pœnitens habuit scientiam de illis: ergo etiã antecedens, quo ad hoc non est vniuersaliter verum, quare concesso antecedenti quoad secundam partem, & primam consequentiã negãda est secunda, nec huic doctrinę aduersatur Concilium Trident. sessione illa 14. in argumẽto citata cap. 5. nam postquam Cõcilium ibi dixit loquẽdo de cognitione peccatorum ex parte Confessarij: cõstat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, & cætera postea immediate loquendo de obligatione ex parte pœnitentis subdit: ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, & cætera, & postea prope medium prosequitur. Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitẽtibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur ex quibus verbis satis clarè colligitur, quod peccata dubia sunt materia huius Sacramenti, & in Concilio ipso fuisse implicitè dictum, tum quatenus sola venialia excipit ab obligatione confessionis, & quatenus dicit peccata esse detegenda eo modo, quo sunt in conscientia pœnitentis: cum igitur sint in cõscientia tamquam dubia, eo modo sunt aperienda, tum etiã: quia licet Concilium nihil explicuerit de peccatis dubijs, ea tamen non excluſit, imo in illa generalitate verborum videntur inclusa: nam de peccatis dubijs, & si non sit iudicium asseuerans, est tamen memoria aliqua; quæ minus est, quam iudicium. Cõcilium autem in verbis relatis dixit ea peccata esse confitenda, quorũ homo meminit: per quod verbum solum videntur exclusa peccata oblita, non peccata dubia. Hæc enim in rigore non sũt oblita: deinde quia licet horum peccatorum non sit scientia, ea tamen iam sunt in conscientia, quæ vt inquit D. Bernardus lib. de conscientia cap. 8. conscientia est quasi cordis scientia, & ideo conscientiæ nomine comprehẽditur etiam notitia illa, seu reminiscentia dubia: quare communiter diuidi solet conscientia in conscientiam certam, dubiam, erroneam, & probabilem, & cętera: ergo conscientia dubia cõscientia est; vnde qui habet dubium de peccato commisso, dicitur habere remorsum conscięntiæ: igitur illud peccatum iam aliqua ratione est in eius conscientia, non vt certum, sed vt dubium. Ergo tenetur illud vt dubium pœnitens confiteri: ergo peccatum dubium, est per se materia Sacramenti pœnitentiæ. Ratio huius, à priori est, quia adest præceptum positiuum procurandi amicitiam Dei, & habere pacem cum illo; atqui eo ipso, quod quis sit dubius an sit in amicitia Dei tenetur eligere medium necessarium relictũ à Christo ad illam amicitiam consequẽdam qualis est confessio: ergo, & cętera. Atqui qui confessus est

pec-

peccatum dubium non dat Confeſſario notitiam claram, & manifeſtam ſui peccati in ſingulari cum dubius ſit de eius commiſſione, & nihilominus facit validã confeſſionem, & peccatum ſic confeſſum vt eſt in memoria pœnitentis remittitur directè. Ergo falſo dicitur in argumento, quod ex Concilio Trident. loco ibi citato conſtat, quod ad Sacramẽtum pœnitentiæ ex inſtitutione Chriſti cognitio perfecta peccatorum in particulari ſemper: ad probationem vltimæ conſquentiæ reſpondeo eſſe maximam diſparitatem inter vtrumque casũ, nam ille, qui inſtante morte dato ſigno pœnitentiæ abſoluitur à peccatis ſolum dat Confeſſario notitiam genericam ſuorũ peccatorum, & perillam notitiam non manent peccata clauibus Eccleſiæ ſubiecta neque explicitè neque implicitè, & ideo moribundus ſi periculum mortis euadat, tenetur iterum confiteri; nõ autem hęc noua confeſſio requiritur præcisè vt peccata per abſolutionem tollantur, ſed vt clauibus Eccleſiæ maneant ſubiecta: quæ ratio non militat in cõfeſſione peccati dubij, vt ſupra dixi præcipue num. 50.

55 Sed adhuc inſtas cum ſubtiliſſimo Patre Caramuel in Theologia morali lib. 3. diſp. 4. num. 1478. & ſequ. illud peccatum, quod non remittitur directè per abſolutionem ſacramẽtalem, ſed ſolum indirectè debet iterum in alia confeſſione confiteri, vt directè per ſacramentalem confeſſionem remittatur, at qui peccatum dubium cum non ſit materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ nõ poteſt per abſolutionem directè remitti. Ergo habita certa cognitione de peccato ſub dubio confeſſo debet iterum confiteri: probatur minor: nam confeſſionis tribunal eſt analogum tribunali forenſi, & litigioſo: Vtrumque enim conſtituitur actore, reo, teſtibus, & iudice; in confeſſionis tribunali Iudex eſt Confeſſarius, reus pœnitens in quantũ peccauit, actor ipſemet pœnitens in quantum Deũ amãs, & peccata fragiliter commiſſa deteſtans, teſtimonia ſunt rationes graues, & infallibiles, quibus actio fundatur; atqui in Tribunali Mechlinienſi hæ accuſationes, appello de latrocinio ſortẽ, quia dubito vtrũ furatus fuerit: Ambroſium, quia tam et ſi nullus teſtis id afferat forte furatus eſt: Anſelmum, quia eſt vnum indicium leue: & huiuſmodi aliæ admitti nõ debẽt: ergo neque in tri
56 bunali cõfeſſionis ſacramentalis.

Confirmatur primo pœnitẽti legitimè confitenti Confeſſarius debet impendere abſolutionem; atqui abſolui non poteſt abſolutè ille qui peccatum dubiũ confitetur: ergo peccatum dubium non eſt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ nec remittitur directè per abſolutionẽ ſacramentalem, & conſequenter quando cognoſcitur, vt certum debet iterum vt certum confiteri: probatur minor, quia abſolutio abſoluta requirit materiam certam, & abſolutam, quæ non reperitur cũ quis cõfiteturpeccatũ dubium vt de ſe manifeſtũ eſt.

57 Nec valet ſi reſpondeas primo quod ille, qui habet aliquod peccatum dubium tenetur ſimul cũ illo confiteri aliquod peccatum certum, & ſic ſupra vtrumque cadere poterit abſolutio, ſed hęc ſolutio non ſatisfacit: nam contra eſt: quia nemo tenetur addere peccatis dubijs peccatum veniale certum, quia veniale non eſt materia neceſſaria Sacramen-

ti pœnitentiæ. Sicut nec tenetur addere peccatum mortale ſemel confeſſum, & ritè abſolutum propter eamdem rationem.

58 Et minus valet ſi ſecundo reſpondeas, quod licet peccatum dubium non poſſit abſolui abſolutè, cum abſolutio abſoluta requirat abſolutam, & determinatam materiam, poteſt tamen abſolui ſub conditione: nam contra hoc eſt quia ex vi abſolutionis conditionatæ non eſt certum confici Sacramentum, quia poterit conditio non purificari: ergo aſſerendum eſt, quod ſupra peccatum dubium non poteſt vllo modo cadere abſolutio.

59 Confirmatur ſecundo: quia in nullo forenſi tribunali poteſt Iudex condemnare reum, neque eum punire, aut aliquam imponere pœnam: ergo neque in cõfeſſionis tribunali: ergo confitẽti crimen dubium, nequit imponi pœnitentia certa, nec Abſolutio dari poteſt ſine conditione: ergo cum quis ſic confitetur, ſi verè furatus ſum me accuſo. Confeſſarius ſic procedere debet in tali caſu in Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione nempè dicendo, ſi verè furatus eſt ego tibi talem pœnitentiam impono, abſoluo, & cætera, atqui hoc non eſt ferre ſententiam, nec reum multare, neque eum abſoluere: ergo abſolutio ſacramentalis nullo modo ſupra peccatum dubium cadere poteſt.

60 Ad argumentum Patris Caramuel vt reſpondeamus ſupponẽdum eſt cum eruditiſſimo Patre Franciſco Bardi tomo de conſcientia diſp. 6. cap. 11. part. 4. §. 1. num. 15. plura eſſe diſcrimina inter tribunal forenſe, & ſacramentalis confeſſionis tribunal, vt vnanimiter omnes concedunt: ex quibus vnum, vel alterũ, quod ad rem noſtram pertinet reliquis omiſſis explicabo. Aſſero igitur, quod tribunal forenſe primo, & per ſe fuit inſtitutũ ad puniendũ réum, (vt ſupra dixi num. 50.) qui aliquem delictum commiſit de quo eſt conuinctus iuridicè, & hoc in bonum commune totius Reipublicæ, aut etiam priuatæ perſonæ poſtulantis vindictam, de offenſa recepta, tribunal verò ſacramentalis confeſſionis: nõ fuit ad puniendum inſtitutum, ſed potius ad liberandum reum ſi humiliter ſua fateatur delicta commiſſa, quare potius fuit inſtitutum hoc tribunal ſacramentalis pœnitentiæ in perſonæ offendentis fauorem, quam in fauorem perſonæ offenſæ. Ex hoc autem diſcrimine aliud notabile oritur circa præſumptionem, nã in fori externi tribunali, illa præſumptio præualet, quæ eſt pro delicti negatione; quia iſta magis fauet reo, cum ex vi illius liberationem obtineat, in tribunali autem Sacramenti pœnitentiæ totum oppoſitũ euenit; quia illa præſumptio fauorabilis eſt reo in iſto tribunali, quæ delictũ ſupponit, quod ſi manifeſtetur reus libertatem conſequitur, & ideo ex confeſſione delicti in foro externo punitur reus, in foro autem ſacramentalis pœnitentiæ à punitione liberatur, quam doctrinam approbant plures canoniſtæ, quos refert Pater Frãciſcus Bardi vbi ſupra. quare loquendo de tribunali ſacramentalis confeſſionis, in dubio præſumendum eſt pro delicto commiſſo, & ideo eſt aperiendum in confeſſione, quia in bonum ipſius rei, nempe pœnitentis hoc totum redundat.

61 Quo ſuppoſito ad argumentũ in forma reſpondeo concedẽdo maiorem, & minorem, & negãdo

do conſequentiam; ob manifeſtam diſparitatem inter vtrũque tribunal, nam vt docet Menochius de præſumptionibus lib. 5. præſumpt. 2. num. 24. & quamplures alij Canoniſtę apud ipsũ, cum cogimur prę ſumere delictum, debemus illud, quod minus eſt, & non quod maius præſumere, & addunt oppoſitum eſſe aſſerendum in fauorem animæ, nimirum, quod maius, & nõ quod minus præſumendum, & ſic in hoc pœnitentiæ tribunali in dubio præſumendum eſt pro delicto commiſſo, vtpotè redundans in fauorem ipſius rei, ſcilicet pœnitentis; iuxta regulam illam iuris in 6. in rebus dubijs potius fauendum reo, quam actori.

62 Nec valet ſi dicas, quod nemo in dubijs præſumitur deliquiſſe, vt habetur in lege merito ff. pro ſocio, & communiter affirmant Iuriſtæ: ergo cum non conſtat an Petrus peccatũ mortale commiſerit, & poſt requiſitam diligentiam manet dubia, præſumptio eſſe debet in fauorẽ Petri cum pro eodem ſtet poſſeſſio, & in rebus dubijs melior ſit conditio poſſidentis, hoc inquã non valet, nam licet in rebus dubijs, nemo præſumendum eſt deliquiſſe iuxta præfatam legem, hoc intelligendum venit quãdo ex tali præſumptione, ſequitur damnum contra delinquentem, non vero venit hoc intelligẽdũ, quando, oritur fauor in bonum ipſius delinquentis, ad illud autem, quod additur in rebus dubijs meliorem eſſe conditionem poſſidentis, dico poſſeſſionem ſtare, pro eo, pro quo ſtat præſumptio, & in caſu noſtro præſumptio ſtat pro ipſo pœnitentię Sacramento inſtituto in gratiam delinquentis, ideoque pro eodẽ etiam debet ſtare poſſeſſio. Lex autem merito citata loquitur de foro externo.

63 Ad primam confirmationem benè ibi reſponſum eſt, & ad id quod contra primam ſolutionẽ arguit Caramuel reſpõdeo, quod licet nullus teneatur ſimpliciter, & abſolutè peccata venialia confiteri, aut mortalia aliàs ritè cõfeſſa, & abſoluta, tamen ex ſuppoſitione aliqua ad vitãdum videlicet periculum irritandi Sacramentum pœnitentiæ tenetur neceſſario aliquod veniale peccatum confiteri, aut mortale aliàs ritè confeſſum, & abſolutũ, neque hæc doctrina noua eſt, imò euenire poteſt in multis alijs caſibus: nam ſi quis voueret cõfiteri ſemel ſingulis menſibus, vel ob meram ſui deuotionem, vel in remedium vitandi occaſionẽ peccandi, iſte vouens quamuis mortalibus careat tenebitur tamen venialia confiteri; ad impugnationem contra ſecundam ſolutionem, reſpondeo verum eſſe, quod per abſolutionem ſub conditione collatam non habetur certitudo de efficientia Sacramenti, cum de eiuſdem conditionis purificatione incerti ſimus, & ita ſi pœnitens commiſit peccatum illud de quo dubitat conficitur Sacramentum; ſecus autem ſi minimè illud commiſit, quod contingere poteſt in multis alijs caſibus, vt communiter docent Doctores, ex quo patet ad ſecundam confirmationem, & addo, quod licet verum ſit, quod in tribunali forenſi nullus poſſit condemnari, & puniri pro delicto de quo nõ eſt conuinctus; hoc non valet in tribunali ſacramentalis confeſſionis vbi non condemnatur reus, ſed potius abſoluitur, & liberatur, vt ex ſuperius dictis conſtat.

RESOLVTIO III.

Vtrum possit licitè, & validè absolui pœnitens, qui confitetur sua peccata mortalia genericè tantum, vel quia inculpabiliter ea ignorat secundum speciem, vel quia habet impotentiam ad aliter se confitendum ob imminentem mortis periculum, aut ob aliam legitimam causam.

64 NEgatiuam sententiam substinent, Nauarr. cap. 26. num. 27. & 28. Sotus disput. 18. quæst. 2. ar. 6. ad 1. Canus relect. de pœnit. part. prima §. at inhęrendo Lopez in instruct. par. 1. cap. 18. Conradus in responsionibus casuum conscientię part. 1. quæst. 10. Medina in summa part. 2. cap. 8. num. 19. regul. 6. Peraca in sum. cap. 7. Graffius part. 1. lib. 1. cap. 36. num. 25. Abulensis in Matth. quæst. 79. Caramuel in theolog. morali lib. 3. disp. num. 1478. & sequ. Petrus Marchant. in tribunal. Sacrament. tract. 4. titul. 6. quæst. 5. & alij.

65 Probatur primo hæc sententia ex Concil. Trident sessione 14. cap. 5. vbi habentur hæc verba: Constat enim Sacerdotes iudiciũ hoc incognita causa exercere nõ potuisse, neque ęquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dũtaxat, & non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent: quid clarius desiderari potest pro hac sententia: ergo ex dispositione Concilij peccata mortalia genericè sumpta dumtaxat non sunt materia necessaria, imo nec sufficiens Sacramẽti pœnitentiæ, nec supra illa potest cadere absolutio sacramentalis confessionis, probatur consequentia, quia Sacerdos in administratione Sacramenti pœnitentiæ, vt licitè, & validè fiat, debet facere iudicium certum, & determinatum de peccatis ritè confessis, atqui si peccata mortalia solum genericè à pœnitente confiteantur non potest Cõfessarius de illis, ita confessis facere certum, & determinatum iudicium: ergo peccata mortalia genericè dumtaxat sumpta non sunt materia Sacramenti pęnitentię, nec supra illa potest cadere validè absolutio sacramentalis, quæ non potest cadere nisi supra propriam, & veram materiam, aliàs daretur Sacramentũ validum absque materia cum sola forma, quod est impossibile cũ omne Sacramentum, essentialiter debeat constare, ex vera materia, & vera forma tamquam ex partibus essentialibus.

66 Secundo probatur ratione: quia absolutio Sacramentalis debet necessariò cadere directè saltem super aliqua peccata; quia aliàs pœnitens à nullo peccato directè absolueretur; atqui non potest cadere directè super peccata mortalia genericè dũtaxat confessa: ergo talia peccata, sic confessa non sunt materia necessaria, imo nec sufficiens Sacramenti pœnitentiæ: ergo non potest nec licitè, nec validè absolui pęnitens, qui solum in genere peccata confitetur, hæc vltima consequentia manifestè sequitur ex prima; prima vero ex præmissis clarè deducitur, maior propositio à nullo Theologorũ negatur, minor autem in qua est tota difficultas, sic ostenditur: si absolutio sacramentalis confessionis caderet directè supra peccata mortalia genericè dumtaxat confessa sequeretur, quod pœnitẽs postquam facto meliori exami-

mine certò ſciret ſpecies, & numerum peccatorum non teneretur prædicta peccata ſecundum propriam cuiuſcumque peccati ſpeciem verum confiteri, ſed hoc eſt manifeſtè falſum: ergo & illud ex quo ſequitur, probatur ſequela, nam ideo peccatum dubium confeſſum vt dubium per ſe ſolũ eſt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentię ſecundum communem, & probabiliorem opinionem, quia per abſolutionem Sacramentalis pœnitentiæ remittitur directè; ſed pœnitens, qui confeſſus fuit aliquod peccatum dubium vt dubium poſtquam certiſſimè nouit tale peccatum commiſiſſe, non tenetur illud vt certum iterum confiteri, vt nos diximus reſolutione præcedenti: ergo ſi peccatum mortale genericè ſumptum, eſt per ſe materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, & per ſacramentalem abſolutionem remittitur directè; pœnitens, qui confeſſus fuit peccata ſua generice non tenebitur poſtquam certiſſimè ſciat ſpecies peccatorum talia peccata ſecundum proprias ſpecies iterum cõfiteri; falſitas conſequentis probatur: nam de fide eſt, quod omnis Catholicus tenetur omnia peccata mortalia poſt baptiſmũ cõmiſſa clauibus Eccleſiæ ſubijcere; atqui peccata mortalia genericè dumtaxat confeſſa non remanent per talem confeſſionẽ, neque explicitè, neque implicitè clauibus Eccleſiæ ſubiecta: ergo, & cætera.

67 Nec valet ſi dicas, quod qui confitetur peccata ſua genericè tenetur licèt non per ſe per accidens tamen, & ex ſuppoſitione, quod cognouit ſe Deum offendiſſe mortaliter, ignorat tamen ſpecies peccatorum facto debito examine confiteri ſimul aliqua peccata venialia, vt poſſit recipere ſacramentalem abſolutionem; quia quando quis confitetur peccata genericè ſumpta cum certiſſimè ſciat ſe Deum offendiſſe mortaliter licet ignoret inculpabiliter ſpecies peccatorũ debet Confeſſarius dare illi abſolutionem abſolutè, & non ſub conditione, & cum abſolutio determinata non poſſit cadere niſi ſupra determinatam materiam cadit determinatè ſuper peccata venialia, & indeterminatè ſupra peccata mortalia genericè dumtaxat confeſſa, & ideo habita à pœnitente ſciẽtia de ſpecie peccatorum, debet iterum peccata ſecundum proprias ſpecies confiteri, vt determinatè abſoluantur cum fuerint prius tantum indeterminatè, & genericè abſoluta, quod non militat in illo, qui cõfeſſus fuit peccatum vt dubiũ: quia iſti datur abſolutio ſub conditione ſi illud commiſit, & ſi illud in re commiſit conficitur Sacramentum; & remanet peccatum determinatè abſolutum, & abſque obligatione illud iterum confitendi, poſt illius peccati certiſſimam cognitionem, & ſi illud verè non commiſit in re nõ conficitur Sacramentum, & hoc abſque ipſius Sacramẽti iniuria.

68 Sed contra nam quando pœuitens confitetur peccata mortalia genericè, & aliqua peccata venialia determinata, & abſolutionem recipit à Confeſſario, vel ex vi abſolutionis Sacramentalis confeſſionis remittuntur ei directè, tam peccata mortalia, quam venialia, vel ſolum remittuntur directè venialia, & mortalia dũtaxat indirectè. Si hoc ſecundum dicatur: ergo peccata mortalia genericè confeſſa ingrediuntur confeſſionem eo modo, quo ingrediuntur peccata oblita: ergo

ſi-

ſicut peccata oblita nullo modo ſunt materia, nec neceſſaria, nec ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ; ita peccata genericè confeſſa nullo pacto erunt materia Sacramenti pœnitentiæ, etiam ſi ſimul cum illa confiteantur aliqua venialia; imò non tenebitur quis illa genericè confiteri, ſicut non tenetur confiteri peccata oblita. Si autem primum dicatur: ergo non tenebitur pœnitens prædicta peccata ſecundum proprias ſpecies iterum confiteri quando ſuæ memoriæ occurrant, probo hanc conſequentiã prædicta peccata manent remiſſa directè per Sacramẽtalem abſolutionem, vt ſupponitur, & ſimul manent ſecũdum proprias ſpecies cuiuslibet eorum ſubiecta implicitè licet non explicitè clauibus Eccleſiæ: ergo ſicut propter hanc rationem non eſt iterum confitendum peccatum confeſſum, vt dubium quando conſtat pœnitenti de eius certitudine, ita ſimiliter nec peccata genericè confeſſa quando conſtet de eorum ſpeciebus. Conſequentia valet à paritate rationis, & antecedens quo ad ſecundam partem oſtenditur, ponamus caſum exempli cauſa. Petrus ſic confitetur; ſcio in multis me grauiter Deũ offendiſſe, ſpecies tamen peccatorum pœnitus ignoro, & ideo me accuſo de his offẽſis Deo factis in genere, & in ſpecie, vt in ſe fuerunt commiſſæ, de quibus ſi haberem certam cognitionem me accuſarem: ergo iſte talis idem dicit, ac Franciſcus, qui ita confitetur, accuſo me de peccato adulterij, ſi forte illud commiſi de quo ſum in dubio, quod ſi certo ſcirem illud commiſiſſe, vt certum illud cõfiterer: ergo ſicut propter hãc rationem peccatum confeſſum, vt dubium manet implicitè clauibus Eccleſiæ ſubiectum, & ideo non eſt iterum vt certum confitendum, quia implicitum facit, quod explicitum faceret vt diximus reſolutione præcedenti, ita ſimiliter erit dicendum de peccatis in genere confeſſis. Siquidem remittuntur directè per ſacramentalem abſolutionem, vt ſupponitur, & remanent implicitè clauibus Eccleſiæ ſubiecta, vt probatum eſt, præterea huic reſponſioni obſtat: quia ſi peccata mortalia genericè confeſſa non poſſunt abſolui, niſi pœnitens ſimul cum illa aliqua venialia peccata confiteãtur, ſequitur manifeſtè Confeſſarium non poſſe beneficium ſacramentalis abſolutionis impendere moribundo, qui non poteſt, niſi per nutus ſua manifeſtare peccata, quod videtur eſſe cõtra praxim totius Eccleſiæ, & communem Theologorum ſententiam: ergo, & cętera.

69 Secunda ſententia cõmunior, & probabilior ſubſtinet peccata mortalia genericè dumtaxat cõfeſſa quando inculpabiliter ob aliquod impedimentum phyſicum, aut morale aliter confiteri non poſſunt, eſſe veram materiã Sacramenti pœnitentiæ, atque adeo Confeſſarius licitè, & validè poteſt pœnitenti ſic confitenti beneficium ſacramentalis abſolutionis impendere præcipuè in mortis articulo, ita docet expreſsè Concilium Arauſicanum, & Carthag. 3. & 4. & D. Leo epiſt. 91. ita etiam expreſsè D. Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 1. & 2. docent etiam eam Regius in reſolut. caſuum conſcientiæ caſ. 39. Alphonſus de Leone in tract. de officio, & poteſt. confeſs. tom. 1. recollect. 6. num. 121. Pharaonius de Sacrament. pœnitent.

tract.

tract. 1. seſſion. 16. caſu 15. Thomas à Ieſu in tribunali conſ. cap. 11. §. 10. Ragucius in lucerna parroch. tit. de abſolut. quæſt. 97. Cordubalib. 5. de indulgent. quæſt. 39. Suarez in 3. part. tom. 4. diſp. 23. ſect. 1. num. 5. Salas in primam ſecundæ tract. 8. diſp. vnica ſect. 5. num. 65. Turrianus de pœnit. quæſt. 9. art. 2. diſput. 30. dub. 1. Megala in 1. part. lib. 1. cap. 11. num. 8. Pitigianus in 4. tom. 2. diſt. 27. quæſt. vnica art. 8. concl. 4. quos citat, & ſequitur Diana part. 3. tract. 3. reſolut. 1. Aegidius de Coninch de Sacrament. diſp. 7. dub. 10. num. 97. concluſ. 1. Pater Thomas Tamburinus opuſcul. de confeſs. lib. 2. cap. 10. num. 7. Leandrus de Sacrament. part. 1. tract. 5. de pœnitent. diſp. 5. quæſt. 38. vbi pro hac ſententia citat Patrem Franciſcum Fœlix. intentatoria complutenſ. tract. 4. cap. 3. difficul. 10. num. 1. immeritò tamẽ, quia iſte Doctor neque vnũ verbum ibi dixit ex quo colligi poſſit Eminentiſſimus Delugo diſp. 17. ſect. 1. num. 8. Gaſpar Hurtado diſp. 8. difficult. 3. Villalobos tract. 9. de Sacrament. pœnitent. difficult. 34. licet affirmet ſecurius eſſe confiteri ſimul aliqua peccata venialia.

70 Probatur primo hæc ſententia: quia confeſsio peccati in genere poteſt eſſe materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ: ergo poteſt eſſe materia ſufficiens: ergo poteſt Sacerdos licitè, & validè abſoluere pœnitẽtem, qui propter impotentiam phyſicam, aut moralem non poteſt alio modo ſua peccata confiteri, hæc vltima conſequentia ſequitur ex prima, prima verò ex antecedenti conſtat, antecedens autem docetur à D. Thoma in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 1. & 2. vbi docet, quod qui ſolum meminiſſet in genere ſe aliquod mortale peccatum feciſſe, & hoc ita confitetur deberet abſolui, cum tamen nihil in particulari confiteretur, at qui abſolutio Sacramentalis non debet dari, niſi detur vera materia, aut neceſſaria, vel ad minus ſufficiẽs: ergo ſi Confeſſarius tenetur abſoluere eum, qui confitetur peccatum aliquod mortale in genere ſignũ euidens eſt quod eſt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, aliàs Sacerdos non teneretur talem pœnitentem abſoluere. Deinde ratione probatur antecedens: quia pœnitens, qui ob aliquam impotentiam phyſicam, aut moralem non poteſt confiteri, niſi peccata in genere, & non in ſpecie ponit veram ſui ipſius accuſationem, cum oſtenſione doloris, quantum hic, & nunc dare poteſt: ergo dat veram materiam huius Sacramenti, quam hic, & nunc præſtare poteſt, & ex qua Confeſſarius in hoc foro Sacramentalis pœnitẽtiæ cognoſcit pœnitentem peccaſſe, & eum de hoc dolere, & conſequenter cognoſcit ſtatum pœnitentis, eumque eſſe ſufficienter diſpoſitum ad recipiẽdam ſacramentalem abſolutionem; quantum hic, & nunc poteſt cognoſci: ergo hæc ſufficiunt, vt pœnitens ſacramentaliter licitè, & validè abſolui poſsit, patet hæc conſequentia; quia Deus à nobis non requirit aliam confeſſionẽ, quàm quæ nobis hic & nunc poſſibilis eſt.

71 Secundo probatur, quia licet ex inſtitutione Chriſti confeſsio Sacramentalis debeat eſſe integra, tamen iuſtis de cauſis poteſt ſæpè omitti vt communiter docent Doctores; ergo ſimiliter propter impotentiam ſiue phyſicam, ſiue moralem qualis datur

vel

vel in moribundo, qui aliter quã genericè non valet ſua peccata confiteri, aut in illo, qui poſt exactam ſuæ conſcientiæ diſcuſſionem recognoſcit certisſimè ſe Deum grauiter offendiſſe, ignorata tamen ſpecie peccatorum inuincibiliter, poteſt dari confeſſio non materialiter, ſed formaliter integra, probatur conſequentia; nam in tali caſu pœnitens explicat ſuum peccatum eo meliori modo quo poteſt; & ſicut eſt neceſſarium explicare ſpeciẽ peccati, ſic neceſſarium eſt dicere omnia, & ſingula peccata; nec aliter de vna, quam de alia neceſsitate loquitur Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & canone 7. ergo ſicut poteſt ſtare valor Sacramenti pœnitentiæ non explicatis omnibus peccatis, maximè quando ob impotentiam nõ explicantur; ita ſimiliter poterit validum eſſe Sacramentum licèt ob impotentiam non explicetur ſpecies peccati in particulari.

72 Ad primum fundamẽtum cõtrariæ ſententiæ reſpondetur, quod cum per prædictam confeſſionem detur Cõfeſſori ſpecialis notitia, quam antea non habebat, tum quia prius non ſciebat in hoc foro, & poſtea ſcit: quia aliud eſt ſcire alterum peccaſſe, aliud verò eſt ſcire alterum recognoſcere, & cum dolore ſubijcere clauibus ſua peccata, vt remittantur: & hæc notitia ſpecialis ibi confertur. Vnde licet illa confeſſio quo ad materiam remotam dicatur generalis, quo ad proximam eſt particularis, nam hic, & nunc cum talibus circũſtantijs fit; quare nil ibi deeſt ad veram rationem accuſationis: nã quod ex parte Rei de qua fit accuſatio debeat eſſe diſtincta, & quod hoc omnino ſit de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ nulla ſufficienti ratione probatur, neque etiam ex Concilio Trident. Colligitur, alioqui pari ratione probaretur, integram confeſſionem omnino neceſſariam eſſe: ergo ſi quo ad hanc partem loquitur Concilium per ſe, & quãdo fieri poteſt, ita etiam quo ad illam de confeſſione peccatorum in generali.

73 Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo maiorem, abſolutio Sacramentalis debet ſemper cadere directè ſuper aliqua peccata, vel ſecundum rationem genericam, ſcilicet ſumendo peccatum in ratione offenſæ diuinæ, vt talis eſt, aut ſupra ſingula peccata mortalia ſecũdum proprias ſpecies, concedo maiorem ſemper debet cadere ſuper ſingula peccata ſecundum proprias ſpecies, ita vt hoc ſit de eſſentia validitatis Sacramenti pœnitentię nego maiorem, & in eodem sẽſu diſtinguo minorem: peccata mortalia generaliter confeſſa, dũtaxat non poſſunt remitti directè per abſolutionem Sacramentalem ſecundum rationem genericam, videlicet vt induunt rationem offenſæ Dei, vt talis eſt; nego minorem ſecundum ſuas proprias ſpecies, concedo minorem, & ideo prædicta peccata mortalia ſub generali ratione peccatorum præcisè cõfeſſa manent obnoxia clauibus; quia ſecundum proprias rationes ſpecificas non fuerunt illis ſubiectæ: neque obſtat, quod materia remota, quæ eſt veluti obiectum illius confeſſionis, ſit vniuerſalis, quia abſolutio immediatè verſatur circa materiam proximam, quæ eſt particularis confeſſio, & effectus eius, etiam verſatur circa hanc particularem perſonam, & ita tota hæc actio circa particu-

cu-

cularia verſatur : quare nego vtramque conſequentiam , ad probationem minoris reſpõdeo negando ſequelam, & ratio diſparitatis eſt, quod quando quis confitetur peccatum vt dubium, datur illi abſolutio ſub conditione ſi ita fuit commiſſum, vt in reſolutione præcedenti diximus, quare ſi purificetur conditio , quod peccatum à pęnitente fuit verè commiſſum remittitur tale peccatum per abſolutionem Sacramentalem directè, non ſolum ſecundum rationem genericam , vt eſt offenſa Dei vt talis, ſed etiã ſecundum propriam rationem ſpecificam,& ſimul manet implicitè ſubiectum clauibus Eccleſiæ vt ſupra diximus ; & ideo non eſt iterum confitendum, vt certum, in peccatis autem confeſſis ſub ratione generali peccatorum nõ ita euenit, vt in ſolutione argumenti dictum eſt, & ita eſt neceſſarium ea iterum confiteri tranſacta impoſſibilitate , vt ſecundũ ſuas proprias ſpecies ſubijciantur clauibus Eccleſiæ, vt ſupra diximus.

RESOLVTIO IV.

Vtrum moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nec confeſſionem petijt, nec vlla dedit pœnitẽtiæ ſigna poſſit Sacramentaliter ſub conditione abſolui.

74 PArtem affirmatiuam tuentur plures, & grauiſſimi Doctores iſti ſunt Molfeſius in ſum. par. 1. tract. 7. cap. 5. num. 48. & 49. Homobonus in examine Eccleſiaſtico part. 1. tract. 7. cap. 18. quæſt. 84. Bartholomæus à Sancto Fauſto in Theologia morali tom. 1. lib. 4. quæſt. 204. Iacobus Bayus in conſtit. Religion. Chriſtianæ l. 2. cap. 91. Antonius de Litteratis in ſum. part. 1. cap. 35. num. 7. Lezzana in ſum. quæſt. regular. tomo 3. verb. confeſſio num. 11. Pellizzarius tract. de monialibus cap. 10. num. 184. & in manuali regularium tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. ſub ſect. 2. num. 114. ibi in principio vocat hanc opinionem non omnino improbabilem, & poſtea eodem numero in fine §. 1. affirmat ex propria ſententia eam eſſe probabilem probabilitate tantum reſpectiua. Breſſerus de conſcientia lib. 3. cap. 8. num. 98. & idẽ Pellizzarius tom. 1. tract. 5. cap. 3. ſect. 1. num. 60. ſed immeritò hic citatur iſte Doctor à Patre Angelo Maria Verricelli loco poſtea allegando nam Pellizzarius in hoc 1. tom. loquitur de Confeſſario, qui die antecedenti cæpit audire confeſſionem infirmi, & veniens die ſequenti inuenit eum ſenſibus deſtitutum. Auerſa de Sacramento pœnitentiæ quæſt. 10. Victorinus Præmolii in manuali Clericorũ part. 4. cap. 1. num. 14. Pater Thomas Tamburinus, in methodo expeditæ confeſs. lib. 2. cap. 10. num. 11. Leander de Sacrament. part. 1. tract. 5. quæſt. 64. Ioannes Caramuel. in Theolog. moral. lib. 3. diſp. 4. num. 154. quos citat dictus Pater Angelus Maria Verricelli in ſuis qq. moral. tract. 6. quæſt. vnica.

75 Ex auctoribus , qui hanc ſententiam ſectantur aliqui eam limitant, vt ſolum poſſit admitti in viro catholico timoratæ conſciẽtiæ, ita D. Antoninus in ſummula incipiente defecerunt part. 3. ſeu tract. 2. cap. 17. his verbis talis infirmus, qui amiſit loquelam, vel vſum rationis, ſi benè viuebat, vt bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem, & cõmunionem, quamuis non petie-

erit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, vel etiam ſi malus diu perſeuerãs in peccatis, & diu non confeſſus eſt, ſi petijt Sacerdotem, vt confiteretur, oſtendit ſe facere velle omnia, quæ debet, & interea factus eſt mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet ſupponi contritus, & faciẽte aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem, ab omni ſententia, & peccato. Deinde debet ei dari Euchariſtia, à proprio Sacerdote ſæculari; quamuis non ſit confeſſus, quia non potuit. aſtantibus autem infirmo debet credi ſi perhibent teſtimonium, quod petierit cõfeſſionem, & oſtẽderit ſigna contritionis. Si autem non eſt diu confeſſus, vel quia notorius peccator incurrit ſubito amentiam, vel mutitatẽ, vel infirmitatem, nec prius, nec poſt oſtendit ſigna contritionis, nihil ei dari debet, nec ſacramẽta, nec Eccleſiaſticam ſepulturã. Hæc Sanctus Antoninus; eamdẽ ſententiam in hoc ſenſu defendit ſubtiliſſimus Pater D. Ioannes Caramuel in ſua Theologia fundamentali morali fundamẽt. 66. à num. 1305. & vt eam probet ſupponit vt certum cum omnibus Theologis, primo omnia Sacramenta conſtare ſua quaſi materia, & ſua quaſi forma, ideſt moralibus materia, & forma; ſecundo ſupponit, non eſſe cuiuſcumque Theologi determinare formas, materiaſque Sacramentorum, ſed debere omnes ſtare, inſtitutioni Chriſti, & Eccleſiæ Romanæ expoſitioni. Tertio ſupponit Sacramenti pœnitentiæ materiam eſſe ipſiuſmet pœnitentis actus, attritionẽ, videlicet, confeſſionem, & ſatisfactionem, vt determinat Concilium Trident. ſeſſione 14. cap. 3. formam vero Ego te abſoluo, breuius abſoluo te, breuiſſimè ſi admittitur Patris Paludani Louanienſis Doctoris, & Eremitarum Sancti Patris noſtri Auguſtini Prouincialis ſententia, quam nullo Doctore condemnante defenſauit, vt teſtificat tãquam teſtis ocularis ipſe Caramuel. his poſitis nu. 1306. explicat in prima concluſione quomodo debent intelligi verba illa ſatis obſcura Concilij Trident. videlicet, ſunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus nempe contritio, confeſsio, & ſatisfactio, & ait primo, quod ſecundum communẽ Theologorum ſententiam contritionis nomine intelligitur cõtritio imperfecta, & impropria, vt Concilium declarat cap. 5. eiuſdem ſeſſionis 14. ſecundo dicit, confeſſionis vocabulum æquiuocum eſſe, & à multis de confeſſione integra materialiter intelligi ſaltem in multis caſibus, in quibus alij ſunt contenti integritate formali. Tertio aſſerit, quod ſatisfactio etiam variè accipitur: quia ſunt Auctores, qui excitent hodie ſepultam veterum opinionem ſatisfactionẽ ad purgatorium remittentium, & præter hos cæteri ſatisfactionis nomine, non actum, ſed votum intelligunt: nam poteſt ſtare Sacramentum pœnitentiæ validum nõ poſita ſatisfactione, dũmodo adſit animus ſatisfaciendi in eo, qui poteſt, aut ſaltem conditionatum in eo, qui non poteſt, his igitur poſitis.

76 Sic argumentatur Pater Caramuel à paritate rationis: eodem modo Concilium loquitur de confeſſione, quod de cõtritione quod de ſatisfactione; atqui ſufficit contritio impropria, & imper-

perfecta nempe attritio, ſufficit etiam ſatisfactio imperfecta nempè volita: ergo etiam ſufficit cõfeſſio impropria, & imperfecta, qualis illa fortè eſt, quæ non ex aſſeueratione teſtis alicuius, ſed ex vitæ teſtimonio colligitur, probatur conſequentia: quia Concilium Tridentinum nomine contritionis intelligit contritionis deſiderium: & ſatisfactionis nomine idem Concilium intelligit propoſitum ſatisfaciendi: ergo confeſſionis nomine idem Concilium intelligit confeſſionis deſiderium: non ergo confeſſionem actualem, ſicut nec contritionem actualem, nec ſatisfactionem actualem.

77 In num. autem 1307. ſtatuit Pater Caramuel ſecundam concluſionem, & aſſerit: quod benè ſtat non poſſe abſolui, qui nec Sacerdotem verbis petijt, nec vllum ſignum actuale doloris dedit, & tamen debere abſolui moribundum, qui lapidi ſimilis deſtitutus ſenſu reperiatur, quæ duę propoſitiones, ait, Auctores accipiunt in vno, & eodem ſenſu eaſque confundunt cum ſint toto cęlo diuerſas, quia licet verũ ſit moribundum, qui non faciat confeſſionem qualem Tridentinum requirit, non poſſe abſolui; quia tunc non datur materia, & ſine illa confici Sacramentum nõ poteſt, tamen cum nos ſcire non poſſimus euidenter (hoceſt certitudine omni probabilitate maiore) qualem confeſſionem Trident. requirat: nec ſcire cur nõ ita poſſimus benignè interpetrare confeſſionis vocabulum, ſicut interpetramur vocabulum contritionis, & ſatisfactionis, quæ ponuntur in eodem contextu, imò quia hæc duo vocabula benignè, & impropriè accipiunt vniuerſi Thęologi, vnde paritas rationis oritur, quæ poſtulat eodem ſenſu confeſſionis vocabulũ debere ſumi, quibus ita ſtabilitis.

78 Probat primo Pater Caramuel ſuam concluſionem, quia etiã ſi daremus Sacramentum pœnitentiæ, etiam in caſu extremæ neceſſitatis, exigere ex vi ſuæ inſtitutionis confeſſionis deſideriũ, & petitionem, ſigno externo expreſſa, & Confeſſario manifeſtata, hoc non obſtante in multis caſibus eſt abſoluendus moribũdus deſtitutus ſenſibus, quod ſic oſtendit: ſæpè contingit moribundũm ſenſibus deſtitutum, taliter confiteri: ergo in talibus caſibus debet abſolui: conſequẽtia eſt legitima, & antecedens probatur: ille eſt dicendus extrinſecè petere confeſsionem, qui extrinſecè facit aliquid, quod omnino non faceret, ſi confiteri nollet; ſed qui vellet mori impœnitens, & ad infernum ire nõ ageret vitam chriſtianam: ergo ſingulæ vitæ chriſtianæ actiones ſunt totidem linguæ, quibus homo extrinſicè proteſtatur, ſe velle ante quam moriatur confiteri: ergo nullum ſignum huius voluntatis certius, & euidentius iſto reperiri poteſt: ergo eſt ſignũ ſufficientiſſimè manifeſtatiuum interioris attritionis, & deſiderij confitendi ſua peccata ſi poſſet, probatur hæc conſequentia, quia qui conuerſationem orthodoxam, & piam diceret non ſignificaret extrinſecus, animum pœnitentem, & petentem vltimam abſolutionem; deberet negare omnia ſigna: certius enim eſt viuẽtem chriſtianè velle mori chriſtianè, quam confeſſionẽ peti ab eo, qui pectus manu percutit, aut cœlum aſpicit; at qui iſte eſt abſoluendus, vt concedũt Auctores oppoſitæ ſentẽtiæ, quia prędictæ actiones ſunt ſigna in-

terioris contritionis, & confeſſionis deſiderium manifeſtant: ergo etiam moribũdus cuius vita chriſtiana talis eſt, vt omnes eius Chriſtianæ actiones ſint totidem linguæ quibus extrinſicè proteſtatur ſe velle ante quam moriar confiteri, & abſolui ante mortem.

79 Confirmatur primò, & ponamus duo moribundi, Petrus, & Paulus, Petrus hæreticus formalis, & Paulus Catholicus, vtrumque tamen carens conſenſu Ioannes Catholicus, filius Petri hęretici, vocat Confeſſarium, & ei affirmat patrem ſuum petijſſe cõfeſſionem, iſte talis Confeſſor in ſententia Doctorum oppoſitæ ſententiæ debet abſoluere Petrũ hæreticum moribundum, propter teſtimonium Ioannis affirmãtis petijſſe Confeſſorem, etiam ſi res periculo plena ſit, cum filius ſit teſtis ſuſpectus, & qui mentiri poſſit, ne patre in loco prophano ſepulto ignominiã incurrat: & tamen vera loqui præſumitur: ergo etiam poterit abſolui, Paulus Catholicus, probatur conſequentia: nam certiùs eſt Paulum virum catholicum, & honeſtæ vitæ noluiſſe ſine confeſsione mori, quàm Petrum formalem hæreticum fuiſſe in agone conuerſum; potius enim Pauli bonam voluntatem probat, & publicat vita ante acta, cuius ſingulæ actiones Catholicæ totidẽ confeſsionis extremæ petitiones videntur, quàm voluntatem Petri teſtimonium Ioannis, habentis cur mentiatur: ergo ſi abſolui Petrus poteſt, etiam poterit Paulus.

80 Confirmatur ſecundo: nam moribundus exiſtentibus in illo his duabus conditionibus, nempè, vt prudenter exiſtimetur eſſe Catholicus, & catholicè vixiſſe, ideſt vt non ſciatur eſſe in ſtatu peccati mortalis, v. g. hæreticus, aut vſurarius, & præſertim ſi ſolitus fuit frequentare ſacramenta iudicatur capax vt detur ei abſolutio ſub conditione abſque eo quod fiat iniuria Sacramento pœnitentiæ: ergo poteſt, & debet Confeſſarius ei abſolutionem ſacramentalem cõferre. patet conſequentia: nam in neceſſarijs ad ſalutem tutior pars eſt amplectenda, & certiori periculo occurrẽdum eſt præcipuè cum periculum irritandi Sacramentum ceſſare videatur, tum conditione appoſita, tum auctoritate Doctorum hanc opinionẽ tenentium. Antecedẽs verò probatur, licitè impendi poteſt moribundo Sacramẽtalis abſolutio cum prudenter à Confeſſario iudicatur benè diſpoſitus, & præbet aliqualem confeſſionem materiam ad abſoluendum; atqui in caſu propoſito explicato, ita res ſe habet: ergo exiſtentibus in moribundo illæ duæ ſupradictæ conditiones iudicatur ſubiectum capax recipiendi ſacramentalem abſolutionem ſub conditione. Maior ab omnibus Theologis recipitur, minor autem in qua eſt difficultas, probatur per ſingulas eius partes, primo talis moribũdus præſumitur vixiſſe more catholico, & extra ſtatũ peccati mortalis, hæreſeos, vſuræ, & concubinatus, ſolere adire templa, conciones audire, & ſacramenta Eccleſiæ frequentare; atqui huiusmodi homines poſt lapſum in graue peccatum ſolẽt dolere, eos vrgente conſcientia ſaltem ante nocturnum ſomnũ, aut cum vehementius pulſat recordatio, ſimulque proponere cõfiteri maximè ante ſuam mortem: ergo talis moribundus prudenter cenſetur à Confeſſario ritè

tè diſpoſitus: alia enim diſpoſitio hic non requiritur, quàm dolor de peccatis, & deſiderium ſuo tempore confitendi. Secundo dolor ille, & deſideriũ in talibus cõmuniter ſolet exprimi aliquo actu externo, & ſenſibili voce orando, vel ſigno tunſionis pectoris, & coniunctione manuum: ergo etiam hoc prudenter præſumi poteſt in caſu talis moribũdi. Tertio: talis dolor ſenſibilis, & externum deſiderium confitẽdi ſuo tempore, præſertim in morte, eſt velle confiteri: atqui hoc velle eſt petere aliquo modo abſolutionem, & fateri ſaltem in genere ſe habere aliquod peccatum, ſicut qui deſiderat medicũ, aut medicinam confitetur de ſe aliquam ægritudinem: ergo etiã hìc reperitur aliqualis confeſſio, & materia abſoluta ſufficiens in caſu neceſſitatis, quando maior notitia haberi non poteſt: nam hoc modo docetur cõmuniter, eum qui in caſu neceſſitatis dat ſigna doloris, aut deſiderium confitendi, ſufficienter confiteri ſe eſſe peccatorem. præterea: quia præsẽte Sacerdote; ipſa vita moribundi catholicè, & probè acta in circumſtantijs ſuperius poſitis exprimit, & loquitur talis moribundi dolorem, & deſiderium confitendi: ergo, & cætera.

81 Secundo probat Pater Caramuel ſuam ſententiam num. 316. ex Sacramento exrremæ vnctionis. Nam ad hoc Sacramentum ſuſcipiẽdum etiam requiritur vt recipiens prudenter præſumatur diſpoſitus per aliquem dolorem, ſi ſit in peccato, & vt aliquo modo deſideret, & petat hoc Sacramentum ſibi conferri, nam Sacramentum nullum poteſt prodeſſe adultis peccatoribus, niſi ſuſcipiens ſit diſpoſitus, & petat ſibi Sacramentum applicari; atqui extrema vnctio datur, & dari debet moribundo etiam à ſenſibus alieno, qui catholicè vixerit; quia talis prudenter præſumitur dolere de peccatis, & velle ſibi adhiberi ante mortem media à Chriſto inſtituta pro eo articulo: ergo ſic ſimiliter in noſtro caſu, qui catholicè vixit prudẽter cenſebitur ritè diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem Sacramentalem ſaltem ſub conditione. Cum Sacramentum pœnitentiæ magis inſtitutum ſit pro tali remedio ad ſalutem neceſſario, quàm extrema vnctio.

82 Tertio probat num. 309. ex practica recepta apud milites, vt abſoluantur, etiam ſi nullum ſignum doloris dederint, atqui ideo miles sẽſibus deſtitutus abſolui poteſt, quia præſumitur habere voluntatem antecedentem continuatam, qua deſiderat ſic abſolui ſi ſine ſenſibus mori contingat: ergo etiam poteſt abſolui moribũdus catholicus, catholicè viuens cuius vita chriſtiana eſt vna continuata voluntas, qua vult ſic abſolui ſi ſine sẽſibus mori contingat. hæc ſunt fundamẽta ſubtiliſſimi Patris Caramuel, qui præter authores ſuperius citatos nẽpè Molfeſium Homob. Literat. Barthol. à Sanct. Fauſto citat alios Sapientiſſimos Theologos Academiæ Louaniẽſis, qui hanc opinionem vt probabilem defendunt, imo, & Pater Suarez vt affirmat Pellizzarius tom. 2. manual. regul. tract. octauo cap. 3. ſect. 2. ſub ſect. 2. num. 114. ex fideli atteſtatione virorum grauium talem doctrinam priuatim tradidit imo, & practicauit, quãuis eam in ſuis tractatibus non ediderit.

83 Sed ad hæc argumenta reſpõdet Eminentiſſimus Cardinalis Delugo ad primum cum ſuis cõfir-

firmationibus reſpõdet diſp. 17. de Sacrament. pœnit. num. 39. negando bonam hominis catholici vitam eſſe ſufficientem accuſationem, vt quis in articulo mortis cõſtitutus abſque alio ſigno ſenſibili interioris attritionis poſſit ſacramentaliter abſolui: quia Sacramentum pœnitẽtiæ: ex ſua inſtitutione eſt iudicium, atque adeo miniſter non poteſt illud conferre niſi vt Iudex; atqui Iudex non poteſt procedere niſi accuſator præcedat, qui vel in ſpecie ſe accuſet de delicto in particulari, vel certè imploret eius officium: ergo debet ex parte pœnitentis dari aliqua voluntas poſt peccatum commiſſum ſenſibiliter manifeſtata qua ſe accuſet, vel certè imploret officium Iudicis alioquin proferretur ſententia ſine vllo proceſſu: Cum ergo hoc Sacramentum ſit iudicium externum, ſeu ſenſibile, debet includere ſententiam ſenſibilem, & accuſationem, ſeu implorationẽ officij Iudicis externam, & ſenſibilem, quæ reddat ſenſibilem dolorem internum de peccatis, quare debet eſſe accuſatio ſenſibilis poſt commiſſum peccatum, quæ accuſatio non datur in moribundo ſenſibus deſtituto, qui nec petit confeſſionẽ, nec fecit aliud ſignum hoc manifeſtans.

84 Hæc autem ſolutio (ſalua pace tanti viri) non ſatisfacit ſubtiliſſimis rationibus ſuperius adductis ex Sapientiſſimo Caramuel in fauorem huius piæ, & probabilis ſententiæ, fateor Sacramentum pœnitentiæ ex ſua inſtitutione eſſe iudicium vt conſtat ex Concilio Trident. ſeſſione 14. cap. 9. & fateor etiam libenter, quod iudicium hoc petat aliqualem accuſationẽ poſt peccatum commiſſum, ſed fallitur certè Eminẽtiſſimus Delugo iudicans hanc accuſationem debere ſemper etiam in caſu extremę neceſſitatis, eſſe verã, & realem, ſufficit enim in caſu extremæ neceſſitatis, vt in mortis articulo, quod talis accuſatio ſit virtualis orta ex præſumptione probabili, ad hoc vt Iudex poſſit licitè, & validè proferre ſententiam in iudicio, vt ex ipſa definitione iudicij probabilis quam ex Baldo tradit Farinacius de indicijs quęſt. 26. num. 28. & amplectũtur communiter Iuriſtæ, quos ibi citat, quæ hæc eſt, indicium eſt coniectura probabilibus, & non neceſſarijs orta, à quibus poteſt abeſſe veritas, ſed non veriſimilitudo, & quare quandoque iudicantis mentem ita præſtringit, vt cogat iudicis conſcientiã ſecũdum eam indicare, ſæpe enim ex indicijs, & circumſtantijs cõcurrẽtibus ad iudicium proceditur, & ſæpe ipſummet delictũ accuſat, at qui bona vita chriſtiana eſt ſufficiens coniectura, & veriſimilitudo ad hoc vt Confeſſarius probabiliter iudicet moribundum catholicum in tali periculo cõſtitutum habere attritionem ſuorum peccatorum, & deſiderium confitendi, ergo poteſt mouere conſcientiam Confeſſarij, vt impendat moribundo catholico catholicè viuente ſacramentalem abſolutionem ſub cõditione ad vitandum periculum irritandi pœnitentiæ Sacramentum, nam licet bona vita chriſtiana ſit indicium interioris attritionis, & confeſſionis deſiderij in tali caſu, tamen cum ſolum ſit coniectura quædam ex probabilibus orta, & non ex neceſſarijs, & conſequenter poſſit abeſſe veritas licet non veriſimilitudo, & probabilitas, ideo abſolutio ſacramentalis debet ſolum ã Confeſ-

feſſario moribundo Catholico concedi ſub conditione, & non abſolutè. Ex quibus infero nihil deſeruire ad hanc doctrinam explicandam, & confirmandam caſum adductũ à Patre Caramuele vbi ſupra num. 1320. quem deſcribit, vt melius intelligas, hunc caſum à te decidendũ propono. Bacher captus Bruxellis dum arctè cuſtoditur in ſecretiſſimo carcere, laqueo inuenitur ſuſpenſus: & damnatur ſtatim: & quia fuit deſperationis reus, per pedes patibulo infauſto ſuffigitur. An ne ſanctè damnatur? in vrbe illa fui cum caſus accidit, nec audiui, vel vnum, qui contra ſententiam muſſitaret. Sed quis eum accuſauit obſecro? quis conuicit? Accuſauit eum, & cõuicit vita ante acta proditiones, & ſcelera de quibus videbatur conuictus, itaut omnibus cõſideratis non aliter videretur occiſus quam à ſe. Ergo in tribunalibus indicia, quæ vehementia dicuntur loco accuſationis, & probationis haberi ſolent; & indicia quæ elidi nõ poſſunt æquiualent informationi plenè hucuſque Caramuel.

85 Iſte autem caſus, ni fallor, potius fauet oppoſitam ſententiam, quam confirmat doctrinam Caramuelis: quod ſic oſtendo, ad hoc vt Iudex poſſit moueri ex indicijs ad proferendam ſententiam contra reum indicia debẽt eſſe talia vt quilibet vir prudens, & minimè ſuſpicioſus iudicet neceſſario ex tali, vel talibus indicijs colligi delictum commiſſum, vt in caſu ſuperius propoſito à Caramuel, atqui bona vita chriſtiana facta à viro catholico moribundo, qui in mortis articulo inuenitur ſenſibus deſtitutus, nõ eſt indicium tale attritionis interioris, & confeſſionis deſiderij, vt Confeſſarius prudens, & doctus neceſſario iudicet talem moribundum eſſe attritum in ordine ad iudicium Sacramentalis confeſſionis cum deſiderio confitendi ſua peccata, ergo talis Confeſſarius non poteſt, vt Iudex proferre ſententiam ſacramentalis abſolutionis: ergo caſus propoſitus à Caramuele nõ confirmat, ſed potius infirmat ſuam doctrinam.

86 Sed vt clarius pateſiat doctrina ſuperius tradita num. 85. in fauorem piæ opinionis, ſupponere vt certum oportet, quod indicium genericè ſumptum ita definitur à Iuriſtis, indicium eſt ſignum, ſeu argumentum, quo viſo intellectus aliquid aliud non viſum cõiecturat, & iudicat. Vnde Baldus in lege non hoc ſub num. 1. C. vnde cognati vt refert Menochius de præſumptionibus lib 1. quæſt. 7. num. 6. definiuit indicium vt ſupra diximus indicium eſt coniectura ex probabilibus, & non neceſſarijs orta, à quibus poteſt abeſſe veritas, ſed non veriſimilitudo, & cętera, indicium autem ita definitum cõmuniter diuiditur à Doctoribus in indicium leue, graue, & grauiſſimum, ſeu indubitatum, indicium leue, ſeu non repugnãs, eſt ex quo leuis oritur præſumptio, veluti cum ſigna, & argumenta ſunt remota, vt cum quis domi ſolus relictus, ſi res aliqua deſideretur, in ſuſpitionem venit, quod ille rapuerit, hæc autem leuia indicia, apud ſæculares Iudices ſufficiunt vt quis in carcerem detrudatur. Clarus d. §. fin. quæſt. 21. indicium graue, & proximum illlud dicitur, quod licet non habeat neceſſariam cõnexionem cum delicto habet tamen probabilem connexionem cum illo, & ideo facit ſemiplenã

pro-

probationem ſufficientem, vt Iudex reum ad torturam condemnet, de quo Menochius in arbitrar. caſu 270. indicium autem grauiſſimum, & indubitatum illud eſt quando ex eo neceſſario cõcluditur delictum fuiſſe ab eo commiſſum, qui illud dedit, nam ita vehemens argumentum eſt, vt quilibet vir prudens, & minimè ſuſpicioſus iudicet neceſſario ex eo colligi delictum commiſſum, Abbas in cap. tertio loco num. 9. de probat. vbi Decius num. 50. Clarus §. fin. quæſt. 20. num. 1. Menochius caſu 270. nu. 7. Proſper Farinacius 2. tom. quæſt. 36. num. 178. hæ autem præſumptiones ita vrgentes, & neceſſariæ plenam efficiunt probationem, quia factum ita Iudicis oculis conſpiciẽdum præbẽt, vt de veritate dubitare non poſſit; ac propterea reus ſit pœna etiam ordinaria plectendus, vt graues Doctores cenſent, vt cõſtat ex Decio in dict. cap. tertio loco num. 59. Boerio deciſ. 164. num. 3. Iulio Claro d. §. fin. quęſt. 20. verſ. ſcias tamen, & quæſt. 21. verſ. ſi aliquis, diffusè Maſcardus tom. 3. concluſ. 1220. num. 12. & 1221. num. 58. Farinacius 2. tom. quæſt. 52. num. 60. quibus ita ſuppoſitis dico; quod licet in tribunali forenſi vt Iudex contra reum ſententiã difinitiuam pronuntiet condemnans eũm, ſit neceſſaria, aut plena probatio delicti, aut indicium vehementiſſimum, & indubitatum, quod plenariæ probationi æquiualet, vt ſupra diximus, attamen in tribunali Sacramentalis confeſſionis in quo non condemnatur reus, vt in forenſi tribunali, ſed potius à delicto liberatur, & abſoluitur non deſideratur indiciũ indubitatum, quod pœnitentem accuſet de ſuis peccatis, qualis eſt accuſatio vera, & realis ſuorũ peccatorum, vel in ſpecie ſi poſſibilis eſt, vel ſaltem in genere in caſu extremę neceſſitatis ſi aliter fieri nõ poteſt, in quo falluntur Diana, & alij, ſed ſufficit indiciũ probabile attritionis peccatorum, & accuſatio virtualis ex quo indicio Confeſſarius prudenter iudicare poſſit moribundum ritè eſſe diſpoſitum ad recipiendam ſacramentalem abſolutionem quale probabile indiciũ attritionis, & ſacramentalis cõfeſſionis deſideriũ habetur à Cõfeſſario, ex ipſa vita catholicè acta ab ipſo moribundo, quę exprimit, & loquitur talis moribundi dolorem, & deſiderium, neque id mihi multo minus innoteſcit ex illis ſignis chriſtianæ pietatis iſtius hominis moribundi, quàm ſi puer v. g. veniret ad me, & mihi ſignificaret parentẽ, vel dominum ſuum petijſſe confiteri, vbi abſolutio non cadit in ſignificationem, ſed in confeſſionem ſignificatam, ita hic, nam vitæ iſtius profeſſio mihi ſignificat talem ſaltem non multo tempore ante exercuiſſe actum doloris, & deſiderij confitendi ante mortem: ergo in moribundo probatę vitę datur accuſatio virtualis ſuorum peccatorum, & indicium ſatis probabile interioris attritionis, quod ſufficit vt Confeſſor ſub conditione illi impendat abſolutionem ſacramentalẽ.

87 Ad ſecundum argumentum Patris Caramuel reſpondet Eminentiſſimus Cardinalis Lugo ſupra num. 39. ex doctrina, à ſe ipſo tradita tract. 9. de Sacramentis in genere ſect. 7. cõcedendo maiorem, & minorem, et negãdo conſequentiam, quia diuerſo modo requiritur voluntas ad recipiendum Sacramentum extremæ vnctionis, quam ad Sacramen-

mentum pœnitentiæ : nam ad recipiendum extremæ vnctionis Sacramentum ſufficit voluntas generalis, quam quilibet chriſtianus habet dum profitetur religionem chriſtianam ; quia in illa voluntate generali includitur voluntas ſuſcipiendi remedia, quæ ſunt inſtituta pro omnibus chriſtianis in illo articulo neceſſitatis, at verò Sacramentum pœnitentiæ, quod ex ſua inſtitutione eſt iudicium, neceſſariò petit accuſationem, vt miniſter tamquam Iudex poſſit illud conferre, quæ accuſatio non datur in moribundo ſenſibus deſtituto, nam vt ſupponitur nec petijt cõfeſſionem, nec aliud ſignum doloris dedit.

88 Sed hæc ſolutio non ſatisfacit argumento, quia ſi illa voluntas generalis ſufficeret, vt moribundo ſenſibus deſtituto, qui nec petijt confeſſionem ; nec vllum ſignum cõtritionis dedit vt ei cõferatur Sacramentum extremæ vnctionis; ſequeretur debere dari extrema vnctio notorio peccatori, qui nec petijt confeſſionem, nec vllum ſignum contritionis dedit, nam iſte profitetur religionem chriſtianam, in qua profeſſione includitur illa volũtas generalis ſuſcipiendi remedia quæ ſunt inſtituta pro omnibus chriſtianis in illo articulo neceſſitatis ; at qui hoc eſt falſum, vt docet Diuus Antoninus in ſumma incipienti defecerunt part. 3. ſeu tract. 2. cap. 17. his verbis. Si autem non eſt diù confeſſus, vel quia notorius peccator incurrit ſubito in amentiam, vel mutitatem, vel infirmitatem, nec prius, nec poſt oſtendit ſigna contritionis, nihil ei debet, nec Sacramenta, nec Eccleſiaſticam ſepulturam, ita ille, & ratio hoc ſuadet, nam vt ſupra dixi ad conferendum moribundo ſenſibus deſtituto, qui nec petijt confeſſionem, nec aliud ſignum contritionis dedit Sacramentum extremæ vnctionis, requiritur, quod miniſter prudenter iudicet ſuſcipiens eſſe ſufficienter diſpoſitus per aliquem dolorem, et aliquo modo deſideret, et petat hoc Sacramentum ſibi conferri ; atqui hoc non poteſt prudenter iudicari de publico peccatore in caſu propoſito : ergo voluntas illa generalis non ſemper ſufficit ad conferẽdum moribundo Sacramentum extremæ vnctionis: ergo requiritur, quod prudenter iudicetur ex aliquibus indicijs, et circumſtantijs occurrentibus in tali caſu moribundum habere aliquem dolorem, et deſiderium ſuſcipiendi hoc Sacramentum ; atqui de illo, qui catholicè vixit prudenter à Cõfeſſario cenſetur ritè diſpoſitus per aliquem dolorem, et petere p[illegible] eo caſu ſibi impendi Sacramentum pœnitentiæ : ergo ſi in tali caſu poteſt ei concedi Sacramẽtum extremæ vnctionis, poteſt etiam ei dari abſolutio Sacramẽtalis pœnitentiæ ſub cõditione.

89 Ad tertium argumentum reſpondet Eminentiſſimus Delugo ſupra num. 40. quod in praxi cõcedendum eſt, ſi repentina hoſtium aggreſſione milites ſpatiũ confitendi non habent, & dicãt ex corde ſe deſiderare confeſſionem, & ex tunc abſolutionem petere Sacramẽtalem, ſi in mortis articulo ſint, poſſe in virtute illius voluntatis iam manifeſtatæ Confeſſarium abſoluere milites, quos ſine ſenſu moriẽtes inuenit, quia iam pro temporis anguſtia petierunt confeſſionem, & oſtẽderunt deſiderium confitendi meliori modo, quo poterant, debere tamen moneri omnes

ante prælij initium, ad habendũ dolorem de peccatis, quo ſe ad effectum abſolutionis diſponerent.

90 Fateor hanc eſſe optimam reſponſionem, tamen ex illa ſumitur non inualidum argumentum in fauorem huius piæ ſententiæ, quod ſic formo ex doctrina Doctiſſimi Caramuel ſupra nu. 1319. ideo miles ſenſibus deſtitutus abſolui poteſt, quia vult ſic abſolui ſi ſine ſenſibus mori cõtingat; atqui omnes volumus eodem modo abſolui: ergo abſolui poſſumus, aut debemus, probo minorem: quia omnes volumus reddere ſecuram noſtram ſalutẽ æternam, & conſequenter volumus ponere omnia media, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; atqui in tali caſu Sacramentalis abſolutio omnino neceſſaria eſt: ergo omnes volumus in articulo mortis Sacramentaliter abſolui ſine ſenſibus mori contingat. Confirmatur: ideo miles poteſt abſolui quando ſenſibus eſt deſtitutus, quia etiam ſi careat ſenſu, ante initium prælij dixit, ſi evenerit, vt ego careã ſenſu, volo ſacramentaliter abſolui, atqui Catholici omnes catholicè viuẽtes id extrinſecè dicũt: ergo etiã poſſunt Sacramẽtaliter abſolui, maiorem concedit Eminentiſſimus Delugo, minorem probo, quia omnes chriſtianæ actiones hominis Catholici catholicè viuentis ſunt proteſtationes extrinſece quibus homo catholicus proteſtatur ſe velle medium ponere vnicum ad ſalutem æternam conſequendam, quod eſt confeſſio: ergo nemo eſt, qui nõ ſignificet extrinſicè, ſe velle cõfiteri, & abſolui ante mortem.

91 Quartò poteſt probari hæc pia ſententia authoritate Patris noſtri Auguſtini tom. 6. lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 26. 27. & 28. vbi more ſcolaſtico quærens, an baptizari debeãt cathecumeni in vltimo vitæ conſtituti, qui morbo, ſeu aliquo ſic oppreſſi ſunt, vt quamuis adhuc viuant, petere tamen ſibi baptiſmum, vel ad interrogata reſpõdere non poſſunt, hæc habet. Cathecumenis ergo in huius vitæ vltimo conſtitutis ſi morbo, aut caſu aliquo oppreſſi ſint, vt quamuis adhuc viuant petere tamen baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, poſſit eis, quod eorum in fide chriſtiana iam nota voluntas eſt, vt eodem modo baptizẽtur quo baptizantur infantes, & infra, ſi voluntas eius incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare ita D. Pater noſter Auguſt. cap. 26. ergo in ſimili caſu poterit dari abſolutio ſacramentalis moribundo catholico catholicè viuenti: nam in vtroque Caſu eadem ratio militat.

92 Ad hoc argumentum reſpondet Aegidius de Coninch. de Sacrament diſp. 5. dub. 1. num. 29. ex verbis D. Auguſt. potius oppoſitum colligi, quia D. Auguſt. hic dicit eamdem eſſe rationem Sacramenti Baptiſmi reſpectu catechumeni, & Sacramenti pœnitentiæ reſpectu pœnitentis; ſed illud non poteſt dari niſi ei, quem conſtat eſſe catechumenũ: ergo ſimiliter Sacramentum pœnitentiæ non poteſt dari niſi ei, quem conſtat eſſe pœnitentem, quod ſine aliquali eius confeſſione fieri nequit, hæc autem reſponſio non nocet piam ſententiam, ſed potius eam confirmat, quod ſic probo ex doctrina D. Auguſt. quando conſtat aliquẽ eſſe catechumenum, ſi incidit in periculum mortis, & ita deſtitutus eſt ſenſibus, vt non poſſit vl-

lo

lo modo ſignificare ſe dolere de peccato, aut cupere baptizari nihilominus debet baptizari, quia præſumendum eſt eum pœnitere, & baptiſmum deſiderare in illo articulo tamquam mediũ neceſſarium ſuæ ſalutis æternæ, atqui bona, & inculpabilis vita hominis Chriſtiani catholicè viuẽtis, eſt indicium probabiliſſimum interioris attritionis de ſuis peccatis, & deſiderij confitendi ſua peccata, & impetrandi beneficium Sacramentalis abſolutionis in illo periculo, vt potè medium neceſſarium ſuæ ſalutis æternæ: ergo ſicut quando cõſtat aliquem eſſe catechumenum debet ei in dicto caſu extremæ neceſſitatis dari Sacramentũ baptiſmi, ita ſimiliter quando conſtat aliquem catholicę vixiſſe debet ei impendi Sacramentalis abſolutio in eodem neceſſitatis caſu.

93 Alij autem Doctores, qui hanc piam ſententiam ſubſtinent affirmant abſolutè, & abſque reſtrictione aliqua moribũdum catholicum quantumcumque perditæ vitæ nullo dato pœnitẽtiæ ſigno ſub conditione abſoluendum, nam licet ad hoc vt moribundus in caſu propoſito poſſit abſolui, requiritur, vt Sacerdos ex concurrentibus circumſtantijs poſſit probabiliter credere illum eſſe diſpoſitum ad abſolutionem ſacramentalem, & tunc temporis elicere actum contritionis, aut attritionis: quod vtique piè, & probabiliter credi poteſt etiã de exiſtente in occaſione proxima peccandi (v. g. de concubinario) cum præſumatur nemo immemor ſuæ ſalutis æternæ C. ad leg. Iuli repet. lib. ſi adde, cap. ſancimus 2. quæſt. 7. & alio, cui gratia Dei non deficiat in neceſſarijs: ſecus de eo qui in mortis articulum deueniat in actu ipſo peccandi (v. g. in actu fornicãdi) ſic enim probabiliter credi nequit illum eſſe diſpoſitũ, quãuis ſimpliciter loquẽdo contingere poſſit, quod verè ſit diſpoſitus: nam ad faciendum Sacramentum requiritur materia moraliter certa: cuiusmodi in iſto caſu non cenſetur adeſſe ex cõmuniter contingentibus, ita Pellizzarius tom. 2. Manual. regular. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. ſub ſect. 2. num. 115. & alij.

94 Probatur primo ex D. Patre noſtro Auguſtino vbi ſupra cap. 28. vbi ſic ait Ego non ſolũ alios catechumenos, verum etiam ipſos, qui viuentium coniugijs copulati retinent adulterina conſortia, cum ſaluos corpore in his permanentis nõ admittimus ad baptiſmum; tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, vt hoc etiam peccatum lauacro regenerationis abluatur. Ergo ſi licitum eſt in ſentẽtia D. Auguſt. baptizare catechumenũ in adulterino coniugio mortis periculo præoccupatum ſaltem ſub conditione, quamuis nulla dederit pœnitẽtiæ ſigna; quia tunc præſupponitur intra ſe pœnitens, etiã erit licitum ſacramentalem abſolutionem impendere Catholico quantumcumque perditæ vitæ ſit; etiã ſi ſit in occaſione proxima peccandi (v. g. concubinario) nullo dato pœnitentiæ ſigno; quia tunc debet præſupponi intra ſe pœnitens.

95 Secundo probatur ratione: nã apud omnes certum eſt attritum ſine pœnitentiæ Sacramento ſi exiſtit in peccato mortali dãnandum, cum ipſo autem ſaluandum, vt docet Trident. ſeſſione 14. cap. 4. atqui homines perdi-

tæ vitæ quorum cor induratum, ingenti conuerſionis difficultate prẽmitur, vt paſſim ſcripturæ, ac Patres monent poſſunt in extremis a miſericordi Deo ad regnũ cẽleſte vocari, vt docet D. Pater noſter Auguſt. lib. de prædeſtinat. contra Pelagianos, vbi ſic inquit: Nouimus aliquos à iuuentute ſua in omni ſcelere, & damnabilitate vſque ad ætatem decrepitam perduraſſe, & repẽtè cælitus inſpirata ſalute raptos eſſe ad regna cœlorum: ergo licet hoc rariſſimè talis hominibus contingat, nihilominus omnibus in mortis articulo danda eſt abſolutio Sacramentalis ſub conditione, probatur conſequẽtia, quia in hoc caſu nulla fit iniuria Sacramento pœnitentiæ, ſi tales prædicti homines, & ſceleratiſſimi abſque vllo ſigno ſub conditione abſoluantur: ergo poſſunt, & debent abſolui, antecedens probatur primo ex D. parente noſtro Auguſt. lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 26. vbi ait non incredibile eſt in fine vitæ, baptizari catechumenum velle, verum etiam ſi voluntas eius incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare. Secundo nam, vt communis docet ſententia cum Sacramentum ſub conditione miniſtratur, ſi non purificetur cõditio non adeſt voluntas conficiendi Sacramẽtum, atqui quod non miniſtratur, neque irreuerenter tractatur, neque irritatur: ergo ex eo quod ſub conditione impendatur ſacramentalis abſolutio hominibus ſceleratis, & perditæ vitæ in articulo mortis, etiam ſi nullum dent ſignum cõtritionis, aut attritionis nulla fit iniuria pœnitẽtiæ Sacramẽto.

96 Nec valet ſi dicas, quod impius agonizans, & vitiorum cœno conſepultus, nullàm verisimilem præbet internæ pœnitentiæ coniecturam, quare nullo dato pœnitentiæ ſigno, deficit materia ſenſibilis Sacramẽti pœnitentiæ, ſcilicet dolor internus ſenſibilis aliqua coniectura manifeſtatus, quæ coniectura deſumitur. à frequenter accidentibus, leg. in obſcuris ff. de regulis iuris, quæ coniectura in caſu propoſito ex frequenter accidẽtibus non habetur, vix enim ex mille vnum conteri reperies teſte D. Patre noſtro Auguſtino. cuius hæc ſunt verba: iuſto namque Dei iudicio, in morte non recordatur ſui, qui in vita oblitus eſt Dei. Cum autem coniectura à probabilibus oriatur, vt ait Menochius de præſumpt. lib. 1. quæſt. 7. num. 26. in caſu propoſito non adeſt coniectura aliqua contritionis, aut attritionis, quæ eſſentialiter requiritur, vt poſſit dari tali moribundo ſceleratæ, & perditæ vitæ abſolutio Sacramentalis ſub conditione. Deinde: quia ſi quæ coniectura adeſt, ea eſt leuiſſima, nam vt docet Alenſis 3. part. quæſt. 45. memb. 7. ea eſt leuiſſima coniectura, ſeu præſumptio; quando parua adſunt ſigna pro ipſa, & multa in oppoſitum, præterea leuis coniectura inſufficiens eſt ad iudicandum, cum nullis probabilibus fundetur rationibus, vt docent Gloſa verb. indicijs in leg. finali C. familiæ erciſcundæ, Bart. in leg. finali nu. 7. de quæſt. communis ſententia Iulius Clarus §. finali quæſt. 22. initio. Menochius lib. 1. de præſumpt. quæſt. 91. num. 3. Farinacius in praxi 2. tom. quæſt. 37. num. 13. & tom. 3. quæſt. 86. num. 95. D. Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 3. in corpore, itaque cum rariſſimè accidat ſceleratos homines

in

in exitu vitæ interius pœnitere: etiam ſi verè peniteant, tamen nulla apparet ſenſibilis, ac probabilis coniectura, quare deficit dolor, ſẽſibiliter manifeſtatus, & ſic deficit Sacramenti materia; vnde irrita eſt abſolutio, quamuis ſit dolor internus.

97 Hoc inquam non videtur ſatisfacere: nam contra arguit primo Angelus Maria Verricelli in ſuis qq. moral. tract. 6. de abſolutione moribundi quæſt. vnica ſect. 12. num. 87. quia licet nulla ſit coniectura interni doloris in catechumeno adulterino thoro agonizante, nihilominus in ſententia Diui Auguſtini debet baptizari: ergo etiam impendi debet abſolutio Sacramentalis homini catholico moribundo quamtumuis perditę vitę ſit, etiã ſi nullum dederit ſignum cõtritionis, ſeu pœnitentiæ cum in vtroque caſu eadem ratio militet. Secundo arguit, quia dupliciter accipiẽda eſt finalis perditorum hominum impęnitentia, primo, quia vix ex centum millibus vnus perfectè conteritur, quod ſanè veriſſimum eſt; quia nec mortis anguſtia, nec phantaſmatum confuſio, & perturbatio; nec fluctuantium cogitationum procella, nec domeſticarum rerum, ac filiorum ſollicitudo, nec diuturnus peccandi vſus, nec dęmonum grauiſſimè tentantium, ac quandoque viſibiliter apparentium agmen; nec tenuiſſimum excitantis gratiæ auxilium; nec temporis breuitas, prælertim, nec dilectionis Dei ſuper omnia, veram perfectamque contritionem miſerrimis permittit. Secundo accipitur formalis impęnitentia, itaut neque imperfectè doleant, quod videtur certè eſſe falſum, nam vt dicitur prouerbior. 1. inuocabunt, & Dominus non exaudiet, manè conſurgent, & non inuenient, hæc autem imperfecta impenitentia, in ſceleratis hominibus nõ rara, ſed frequentiſſima eſt textante experientia: mox enim cum poſſunt clamant confeſſionem, poſtulãt Sacerdotes, anhelant Sacramẽta: ergo adeſt ſenſibilis, & probabilis cõiectura de imperfecto interno dolore; taliſque coniectura probabilis eſt cum ſit excommuniter accidentibus, vt docet D. Anſelmus explicans illa verba Matthæi, Domine, Domine aperi nobis, quibus reſpõdet Dominus neſcio vos, tunc inquit Anſelmus: erunt peccata accuſantia à dextris: à ſiniſtris infinita dęmonum turba: ſubtus horrendum chaos inferni ſuperius Iudex iratus.

98 Secunda ſententia abſolutè negat talem moribundum, qui nullum pœnitentiæ dedit ſignũ fore abſoluendum ſub conditione. ita Vaſquez de pœnitent. quæſt. 91. Henriquez lib. 6. cap. 10. nu. 8. Aegidius de Coninch diſp. 5. num. 18. & diſp. 7. num. 96. dicens contrarium non videri probabile Layman tract. 6. cap. 12. num. 4. Luzzius de pęnitent. quæſt. 9. art. 2. diſp. 30. dub. 1. ad 3. Eminẽtiſſimus Delugo diſp. 17. de Sacrament. pœnit. num. 39. Reginaldus, Bellochius, Pitigianus, Fraz, Malderus, Naldus, & alij, quos refert, & ſequitur Diana par. 3. reſol. 8. & part. 4. tract. 4. reſol. 92. & part. 9. tract. 6. reſol. 20. Fr. Frãciſcus Felix in ſua tentatiua cõplutenſi tract. 4. cap. 3. num. 1. qui oppoſitam ſentẽtiã improbabilem vocat.

99 Probatur primo hæc ſententia: quia contritio ſaltem imperfecta hoc eſt attritio ordinis ſuper-

per naturalis eſt pars eſſentialis materialis Sacramenti pœnitentiæ, vt conſtat ex Concilio Trident. ſeſſione 14. cap. 3. vt omnes Doctores contra Durandum in 4. diſt. 16. quæſt. 1. cõcedunt; atqui contritio, ſeu dolor quamuis verè adeſſet in moribundo nulla exhibẽte ſigna non eſt ſenſibilis: ergo neque Sufficiens, vt ei à Sacerdote Sacramentalis abſolutio impendatur, minor patet, quia actus internus ex ſe eſt inſenſibilis, & fit ſenſibilis per actum externum, nempè per Cõfeſſionem, ab ipſo actu interno imperatum, atqui in moribundo ſenſibus deſtituto, vt ſupponitur nullus eſt actus externus: ergo talis dolor eſt omnino inſenſibilis. Conſequentia autem probatur: quia cum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, debet habere materiam ſenſibilem, & formam sẽſibilem, atqui in tali moribundo dolor eſt omnino insẽſibilis, tam per ſe vtpotè internus, quàm per accidens, quia non fit ſenſibilis, per aliquod ſignum externum: ergo moribũdus, qui nec petijt Confeſſionem nec vllum pœnitentiæ ſignum dedit non prębet materiam ſufficientem Sacramenti pęnitentię: ergo nullo modo debet ei impẽdi à Confeſſario abſolutio Sacramentalis, hæc vltima conſequẽtia patet ex prima; nam aliàs poſſet dari Sacramentum validum & formatum abſque materia, parte illius eſſentiali cum ſola forma, quod eſt manifeſtè falſum, prima verò conſequentia probatur, (ſcilicet, quod dolor inſenſibilis, & nullo modo per externũ ſignum factus sẽſibilis nõ ſit apta materia Sacramenti pœnitentiæ) ex D. Thoma 3. part quęſt. 90. art. 2. ad primum vbi ait, materiam huius Sacramenti eſſe actus pœnitentis, vt exterius apparentes. His verbis, ad primum ergo dicendum, quod contritio, ſecundum eſſentiam quidem eſt in corde, & pertinet ad interiorem pęnitentiam, virtualiter autem pertinet ad exteriorem pœnitentiam, in quãtum ſcilicet explicat propoſitum, confitendi, & ſatisfaciendi, quam doctrinam tradit etiã Doctor Angelicus in 4. diſt. 14. quęſt. 1. art. 1. ad primum ergo, &c.

100 Secundo probatur Confeſſio eſt materia partialis Sacramenti pœnitẽtiæ, & conſequẽter eſt de eſſentia illius; atqui in moribundo nulla præſtante ſigna nequit omnino eſſe aliqua confeſſio, ergo nullo modo eſt capax abſolutionis Sacramentalis etiam ſub conditione, maior eſt expreſsè ex Concilio Tridẽt. dicta ſeſſione 14. art. 3. vbi, ſunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus nempè contritio, confeſſio, & ſatisfatio, vnde omnes docent, quod contritio, & confeſſio ita ſpectant ad ſubſtantiam Sacramenti pœnitẽtię, vt ſint etiam de eſſentia illius, ſatisfatio autem quæ à Sacerdote imponitur eſt pars integralis tantum, & conſequenter ſine qua exiſtente, ſaltem in re poteſt ſalua perſiſtere eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, vt docet D. Thomas in 4. diſt. 16. quęſt. 1. art. 1. & 3. part. quęſt. 84. art. 2. & quęſt. 90. art. 2. in corpore. Minor verò probatur; nam confeſſio eſt actus exterior à virtute pœnitentiæ elicitus; atqui in tali moribundo, omninò abeſt actus exterior à virtute pœnitentiæ, elicitus, ergo nulla adeſt in eo peccatorum confeſſio, & conſequẽter non eſt capax abſolutionis Sacramentalis, etiam ſub cõditione.

Ter-

101 Tertio probatur; Sacramentũ pœnitentiæ eſt verè, & propriè iudicium cuius pars eſsẽtialis eſt confeſſio, ſeu accuſatio; atqui in moribundo ſenſibus deſtituto, qui nullum dedit ſignum pœnitentiæ nulla datur accuſatio: ergo non poteſt Sacerdos tamquã verus Iudex iudicialiter cognoſcere de eius contritione, & cõſequenter nequit ſententiam abſolutionis pronunciare. Patet, nam Iudex nequit procedere, vt Iudex, niſi accuſator præcedat, vel in ſpecie accuſans de delicto in particulari, vel certè imploret eius officium, & nullus iudicare poteſt, niſi de ijs, quæ iudicè noui, tmaior autem expreſsè habetur in Concilio Trident. ſeſſione 14. cap. 5. & canone nono vbi definitur eſſe verè, & propriè iudicium, & Sacerdotes verè eſſe iudices, qui iudiciũ hoc in cognita cauſa exercere nõ poſſunt.

102 Quarto probatur ex Concilijs Cartaginenſ. & Arauſican. Concilium autem Cartaginenſe 3. canone 34. refertur in canone ægrotantes 75. de conſecrat. diſt. 4. ſic habet ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint baptizentur, ſimiliter, & de pœnitentibus agendũ eſt, & Cõcilium Cartaginenſe 4. canone 76. refertur in canone, is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phrænesim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, deinde Concilium Arauſicanum primum canone 12. inquit: ſubito obmuteſcens (pro vt ſtatutum eſt) baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi volũtatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuorum: ergo ex Conciliorũ diſpoſitione conſtat moribundum, qui nulla dedit pœnitentiæ ſigna nõ deberi à Sacerdote abſolui.

103 Ex his ſententijs, hanc ſecundam ſemper iudicaui ſpeculatiuè veriorem longeque probabiliorem (ſi inter duas opiniones probabiles vna alia probabilior dici valeat de quo mihi maximũ dubium eſt) primam tamen exiſtimo, vtpotè probabilem non ſolũ ab extrinſeco propter graues Doctores, qui eam tenent, ſed etiam ab intrinſeco ob rationes efficaces in quibus fundatur, in praxi obſeruari debere, & practicari. Quam Pater Leander vbi ſupra §. vltimo affirmat in occurrenti caſu ſemel, atque iterum ipſe Romæ practicaſſe, & ego in Ciuitate Gadicenſi anno 1649. vbi Sacramẽta infirmis contagij peſtis infectis adminiſtraui hanc opinionem piam ſecutus iterum, atque iterum moribundis ſenſibus deſtitutis nulla dãtibus pœnitentiæ ſigna mihi conſtante eſſe probatæ vitæ, & catholicè vixiſſe impendi ſub conditione abſolutionem Sacramentalem, & in hac pia opinione magis me confirmauit ſequens caſus, inter aliòs infirmos vulneratos peſtilenti contagio, quadam nocte inueni quemdam moribundum ſenſibus deſtitutum, & à me facta exacta informatione non inueni prædictum moribundum me abſente petijſſe confeſſionem, neque aliquod ſignum pœnitentiæ feciſſe, nec me præſente aliquod pœnitentiæ ſignum exterius fecit, ego autem vt mihi moris erat, hunc ſub cõditione Sacramentaliter abſolui, & Sacramentum extremæ vnctionis adminiſtraui, poſt duodecim autem circiter horis iterum à conſan-

sãguineis prædicti infirmi fui vocatus, eumque inueni recuperatis sensibus, qui mihi asseuerantèr affirmauit, quod dum erat in illa agonia constitutus internè dolebat de suis peccatis, & maximè desiderabat ea confiteri si posset; hanc piam opinionem præter superius allegatos, tenent Iansenius penes Lessiũ in 3. part. D. Thomæ quæst. 9. art. 2. dub. 2. num 20. Raynaudus de martirio part. 2. cap. 3. num. 7. vt refert Diana part. 9. trac. 6. resol. 20.

104 Ad fundamenta illorum Doctorum, qui affirmant posse Cõfessarium absoluere moribundũ perditæ vitę, qui nullum pœnitentię signum dedit, respondetur ad primum desumptum ex authoritate D. Patris nostri Augus. respõdeo admissa authoritate D. Augustt. de administrando Sacramento Baptismi catechumeno adultero destituto sensibus, qui nullum dedit signum, & negãdo de catholico perditæ vitæ, nã catechumenus, eo ipso quod catechumenus est præsumitur probabiliter (vt inquit pater noster Augustt.) quod habeat desiderium, & voluntatem recipiendi baptismum, & propositum non permanendi amplius in adulterino statu post receptũ Baptisimum. verba D. Augustt. hæc sunt: Quis enim nouit vtrũ fortassis adulterina carnis illecebra vsque ad baptismum statuerat detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint viuere, aut facient, quod statuerint, aut edocti obtemperabũt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet, de catholico autem perditæ vitæ non præsumitur probabiliter in tali mortis agonia habere contritionem, aut attritionem supernaturalem, quæ est materia Sacramenti pœnitentiæ, nam licet aliqua adsit coniectura in catholico perditæ vitæ, ea est leuissima, quæ non sufficit, vt Sacerdos licitè possit ei beneficium Sacramentalis absolutionis impendere, nam, vt optimè notant Doctores nu. 95. citati, ea est leuis coniectura, seu præsumptio, quando parua adsunt signa pro ipsa, & multa in oppositum, vt contingit in nostro casu de catholico moribundo perditę vitę, qui nullum contritionis signum dedit, quare non est sufficiens ad ferẽdum iudicium in tribunali Sacramentalis confessionis.

105 Ad Secundum respondetur responsione ibi posita, ad id autem, quod in contra arguitur respondetur: ad primum respondeo primo negando suppositum antecedentis; supponit enim in catechumeno adultero, qui destitutus sensibus pro se respondere non potest nullum esse signum probabile ratione cuius debeat, à Sacerdote baptizari, quod falsum est, nam eo ipso quod est catechumenus potest præsumi probabiliter, quod habet desiderium recipiendi Baptismum, & quod voluntas illius existendi in adulterino statu nõ erat absoluta, sed quod solum habebat voluntatem persistendi in tali statu vsq; ad baptismi tẽpus, & non amplius, vt ex D. Patre nostro Augustt. dixi numero præcedenti, & ita debet baptizari, quare neganda est consequentia propter rationem datã in dicto num. 103. vel secundo respondetur concesso antecedẽti, negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod cum contritio non sit pars essentialis Sacramenti Baptismi, sed solum dispositio necessaria ad eius effectum

ctum recipiẽdum nullum eſt inconueniens, quod ſub conditione detur Baptiſmi Sacramentum Catechumeno illo adultero, qui nullum dedit pœnitentiæ ſignũ, nec fit aliqua iniuria Sacramento Baptiſmi, cum in illo caſu detur vera materia Sacramenti, & vera forma, & quoad effectum ab ipſo Sacramento pręſtandum, apponatur cõditio, quod ſi detur in re in ipſo ſubiecto, pręſtabit, effectum gratię regenerantis, ſi verò non detur, illũ nõ pręſtabit, ex quo nulla infertur iniuria Sacramẽto facta, ſecus autem eſt in Sacramento pœnitentię, cuius pars eſſentialis pręcipua materialis, eſt contritio, ſeu attritio ordinis ſupernaturalis & confeſſio, vt in reſolutione prima diximus, & cum non liceat Sacerdoti impendere formam Sacramẽtalem, vbi non eſt materia Sacramenti determinata ſaltẽ probabiliter, hinc eſt, quod Sacerdos non debet concedere abſolutionem Sacramẽtalis pęnitentiæ, Catholico moribundo perditę vitę, quia illũ habere non pręſumitur probabiliter cõtritionem, ſeu attritionem ſupernaturalem ſuorum peccatorũ, nec accuſationẽ, quæ eſt materia neceſſaria Sacramẽti pœnitentię, ſed potius oppoſitum pręſumitur, vt diximus num. 95.

106 Ad ſecundam inſtantiam reſpondetur negando, quod ex frequenter accidentibus colligi poſſit probabiliter, quod prędicti homines perditę vitę generaliter in mortis articulo habeant interiorẽ attritionem ſuorum peccatorum, quę ſufficiat, vt eis à Sacerdote poſſit abſque magno ſcrupulo concedi abſolutio ſacramentalis: nam vt inquit D. Auguſt. vt ſupradiximus, prędicti homines perditę vitę iuſto Dei iudicio in morte non recordantur ſui, qui in vita obliti ſunt Dei, quę verba non ſolum de perfecta contritione, ſed etiam de imperfecta, ordinis ſupernaturalis intelligi debent, ſaltem generaliter loquendo, quare non adeſt coniectura ſufficiens ex frequenter accidentibus in tali caſu, ex qua Sacerdos colligere poſſit prędictum moribundum perditę vitę habere pęnitentiam internam ſenſibilẽ: ergo cum deficiat in prędicto caſu materia ſenſibilis Sacramenti pœnitentię nempè dolor ſenſibilis, aliqua coniectura probabili manifeſtatus, nequit prędictus moribũdus in tali caſu à Sacerdote ſacramentaliter abſolui quare nullo modo adhęreo ſententię Patris Thomę Tãburini, aſſerentis in methodo expeditę confeſſionis lib. 2. cap. 10. §. 1. num. 12. quod homo Catholicus, qui in actu peccaminoſo v. g. fornicationis sẽſibus deſtituitur, poteſt à Sacerdote ſacramentaliter abſolui. Cuius Doctoris hęc ſunt verba; ſed ego ſub prędicta conditione vix illum regulariter ſine abſolutione dimittẽ, non quia velim abſoluere non diſpoſitum; ſed quia rariſſimè euenit, vt tam citò ſenſibus quis, dum actu peccat, deſtituatur: ita vt vicinus morti non velit ſuę ſaluti conſulere per aliquam attritionem, ita ille: huic autem opinioni non adhęreo; quia in tali caſu nullum datur indicium, ſeu coniectura probabilis excõmuniter accidentibus, ex qua Confeſſarius poſſit probabiliter iudicare prædictum moribundũ, qui in ipſa occaſione peccati ſubitò deſtitutus eſt ſenſibus, habere attritionem ſupernaturalem, & accuſationẽ ſuorum peccatorum, quæ neceſſaria eſt, vt Confeſ-

feſſarius licitè poſſit ei ſacramẽtalem abſolutionẽ ſub cõditione impẽdere: imò oppoſitũ ex communiter in tali caſu accidentibus pluſquã probabiliter inferri debet, vt ex ſupradictis cõſtat; & ita idem eſſet concedere ſupradicto moribundo Sacramentalem abſolutionem ſub conditione, ac velle abſoluere ſubiectum non diſpoſitum. Quare non expedit ſub pietatis ſpecie in re tanti momenti operari contra communẽ omnium Theologorum ſententiam oppoſitum aſſerentium.

107 Pater Angelus Maria Verricelli, qui dicto tract. 6. qq. moral. per totum hanc difficultatem per diſtinctas ſectiones examinat, quamuis partem negatiuam ſubſtineat affirmans ſect. 16. num. 98. aſſertione quarta; dubium ſibi eſſe, an affirmatiua opinio ſit probabilis ab extrinſeco, & ideo ipſe non auderet aſſerere hodie eſſe probabilem affirmatiuam opinionem, ſaltem per principia extrinſeca; nihilominus ad fundamenta ſecundæ ſententiæ reſpondet ſolutionibus (vt ipſe fatetur aſſertione quinta) a ſe excogitatis, ad primum reſpondet conceſſa maiori, negando minorem, ait enim ſect. 4. num. 12. aſſertione 1. quod agonia Catholici eſt probabile ſignum, eũ in tali actu interius conteri, deſiderare Sacramentum pœnitẽtiæ, illudque petere velle ſi poſſet: ſiue quia tempore agoniæ habet vſum rationis: ſiue quia paulo ante agoniam habens vſum rationis aduertebat ſe eſſe morti proximum; quare probabile eſt, quod tũc ingemuerit, ac ex corde pœnitens deſiderauerit confeſſionem, quod probat primo: quia id dicitur probabile, ſeu veriſimile, quod plerumque fieri ſolet, leg. in obſcuris ff. de Regulis iuris, ſed fere omnes Catholici moribundi inſtantis mortis periculo territi, interius dolent deſiderant Sacramenta petuntque ſi poſſunt confeſſionem: ergo probabile eſt, hunc agonizãtem etiam interius conteri, ac deſiderare pœnitentiæ Sacramẽtum. Secundo probat: quia huiuſmodi moribundus ſepeliendus eſt ſepultura Ecclebaſtica, quamuis nulla dederit pœnitentiæ ſigna, præſumitur enim deceſſiſſe contritus; vt de expirante in actu venereo, docet Diana part. 5. tract. 3. Reſol. 99. & de occiſo à marito in adulterino cõplexu, docet Sanchez in ſelectis diſp. 36. num 3. deinde quia tales excomunicati nullo dato pœnitentiæ ſigno ſunt abſoluendi ab excomunicatione, quia præſumuntur intra ſe pœnitentes, atque optantes abſolutionem, vt tenet Diana part. 7. tract. 10. reſolut. 10. ergo etiam poſſunt ſacramentaliter abſolui. Probatur conſequentia: nam Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt ad modum iudicij, ac eſt verum, ac propium iudicium, vt cõſtat ex Concilio Trident. ſeſſione 14. de Sacramento pœnitentię cap. 5. & canone 9. atqui in iudicio externus Catholicus agonizans etiam nullo præſtito ſigno, abſoluitur ab excomunicatione, vt poſſit gaudere ſepultura Eccleſiaſtica, & in loco ſacro ſepelliri; ex eo quod præſumitur contritus; ergo ſi Agonia Catholici eſt ſufficiens ſignum contritionis in iudicio interno, erit etiam in iudicio interno Sacramentali, ſenſibile ſignum contritionis, vt poſſit ſub conditione, abſolui à peccatis.

108 Hæc autem reſponſio non ſatisfacit: quia vel dictus Pater Angelus Maria Verricelli loquitur de

de Agonia Catholici moribundi præcisè, & formaliter quatenus agonia mortis, vel loquitur non de agonia præcisè ſumpta, ſed de illa coniuncta cum vita catholicè acta à viro catholico moribũdo. Si loquitur de Agonia catholicè præcisè in ratione agoniæ, qua Agonia mortis eſt, falſum eſt aſſerere ipſam eſſe ſenſibile ſignum probabile interioris contritionis, & confeſſionis ſacramentalis, ſeu accuſationis peccatorũ, quæ ſufficiat ad impendendam moribundo cuicumque catholico abſolutionem ſacramentalẽ ſub conditione, vt probauimus num. 104. & 105. alias Sacerdos teneretur dare ſub conditione abſolutionem ſacramentalẽ moribundo catholico perditæ vitę, imò illi, qui in ipſa actuali occaſione peccandi, nempè in actu venereo deſtitutus eſt ſenſibus, quod eſt contra omnium Patrũ, & Theologorum doctrinam, & vt benè notat Cardinalis Eminentiſſimus Lugo diſp. 17. ſect. 3. num. 40. non expedit in re tanti momenti ſub pietatis ſpecie ſapere, pluſquam omnes noſtri Sãcti Patres, ſed obſeruare terminos, quos appoſuerũt nobis; nec probationes in dicta reſponſione poſitæ aliquid conuincunt: non prima, nam conceſſa maiore, neganda eſt minor generaliter loquendo: nam in catholico moribundo perditæ vitæ, licet poſſint eſſe aliqua indicia interioris contritionis, ea ſunt leuiſſima, cum adſint parua ſigna pro ipſa contritione, & multa in oppoſitum, vt ſupra dixi num. 103. 104. & 105. & ideo non debet ei concedi abſolutio Sacramentalis, quia leuis illa coniectura pœnitentiæ eſt inſufficiens ad iudicandum in foro interno ſacramentalis pœnitentiæ, vt ſupra diximus. Ad ſecundam probationem reſpõdeo, quod licet peccatoribus publicis abſque ſignis pœnitentiæ moriẽtibus, de iure communi deneganda ſit ſepultura, modo tamen contraria cõſuetudine illud ius abrogatum eſt, & illis eſt concedenda ſepultura Eccleſiaſtica, ex hoc tamen non ſequitur, quod illis ſit etiam concedenda ſub conditione Sacramentalis abſolutio, nam in dictis hominibus perditæ vitæ, qui in mortis articulo nullum dederunt pœnitentiæ ſignum, deeſt materia neceſſaria, etiam probabilis Sacramenti pœnitẽtiæ, nempè cõtritio ſenſibilis per confeſſionem manifeſtata, quæ neceſſaria eſt vt Sacerdos poſſit licitè in tribunali ſacramentalis pœnitentiæ proferre ſententiam ſacramentalis abſolutionis, ad id autem, quod additur de abſolutione ab excõmunicatione, Reſpondeo omittendo antecedens, & negando conſequentiam: ad cuius probationem conceſſo antecedenti negãda eſt conſequẽtia, diſparitas autem eſt manifeſta, quia abſolutio à cenſuris fit extra Sacramentum, & etiam confertur abſenti, vt docent Boſſius de conſcientia tom. 2. titulo 5. de abſolutione in articulo mortis §. 4. num. 38. Suarez de cenſuris diſp. 7. ſect. 6. num. 7. Caſpenſis in curſo Theologico tom. 2. diſp. 2. ſect. 13. num. 140. Sacramentum autem pœnitentiæ cum petat eſſentialiter actus internos pœnitentis tamquam materia, neceſſarium eſt, quod fiant manifeſti per cõfeſſionem, ſeu accuſationem ſaltem virtualem; vel per aliud ſignum ſenſibile Confeſſario notum, quod non inuenitur in catholico homine perditæ vitæ, qui nullum ſignum interioris pœnitentiæ

dedit, ex quo patet reſponſio ad probationē cōſequentiæ, ſi verò loquatur Verricelli nō in ipſa agonia mortis præcisè ſūpta; ſed prout coniuncta cum bona vita catholicè acta ab ipſo moribundo catholico, nihil nouum dicit, nam ipſamet vita catholici, catholicè acta, eſt probabile ſignū interioris attritionis, & accuſatio virtualis ſuorum peccatorū, & conſequenter ſufficiēs, vt poſſit Confeſſarius ei impendere in illo caſu extremæ neceſſitatis ſacramentalem abſolutionem, vt nos ſupra probauimus cum authoribus primæ ſententiæ.

109 Ad ſecundum reſpondet prædictus Pater Angelus Maria ſect. 6. concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam: quia ad eſſentiam compoſiti phyſici, vel moralis ſufficit ſola materia partialis, cum forma; quamuis deficiat altera pars materiæ, nam licet materia ſit de eſſentia cōpoſiti, tamē aliqua pars materiæ (ſaltem minus prę-cipua) nō eſt de eſſentia compoſiti, ſed ſpectat tantum ad integritatem: quare ſine illa habetur compoſitum, quod ſic oſtēdit à priori; nam vt docet Caietanus 3. part. quæſt. 90. art. 2. pars dupplex eſt, eſſentialis, & integralis, & licet ſine parte eſſentiali ſacramentum nullum ſit, tamē ſine parte integrali Sacramentum verum eſt, licet imperfectum. Sicut in compoſito phyſico hominis ſi deficiat anima, aut corpus deficit homo, at verò ſi ſolum deficiat manus, eſt verus homo, ſed mancus; atqui quando adeſt materia partialis, & forma, tunc habentur duæ partes eſſentiales compoſiti, nēpè materia, & forma: ergo quāuis deficiat altera materia partialis, ſaluatur eſſentia compoſiti phyſici, vel moralis: ergo quāuis deficiat confeſſio ſacramentalis, dum adſit contritio, vel attritio ſenſibilis cum forma, ſaluatur eſſentia Sacramenti pœnitētiæ, cum autem in catholico moribundo ſenſibus deſtituto, ſupponatur habere ſaltem attritionem ſenſibiliter manifeſtatā per ipſam mortis agoniam, poſita à Sacerdote forma ſacramentalis abſolutionis, ſaluatur eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, licet nō integra, & ſi illi obijcias, quod licet quando adſit altera tantum partialis materia cum forma tūc habetur compoſitum; quando materia partialis, quæ deficit, non eſt ex partibus præcipuis materiam integrantibus, non autem quando eſt præcipua pars integrans materiam compoſiti; atqui confeſſio eſt præcipua pars Sacramenti pœnitentiæ, quare antonomaſticè Sacramentum confeſſionis vocatur; ergo deficiente materia partiali confeſſionis, contritio ſenſibilis cum forma, non ſufficit ad eſſentiam Sacramenti. Reſpondet haberi eſſentiam compoſiti phyſici, vel moralis, quamuis deficiat aliqua pars æque, vel ſaltem minus prę-cipua integrans materiam, dummodo adſit altera pars materialis partialis ſaltem magis principalis ſimul cum forma, quia pars materiæ (ſaltem minus principalis) non eſt de eſſentia compoſiti; atqui inter partes integrantes materiam Sacramenti pœnitentiæ, principalior eſt cōtritio; nam propter quod vnum quodque tale, & illud magis; ideo enim confeſſio eſt pars Sacramenti, quia à contritione procedit, ergo multo magis ipſa contritio eſt pars Sacramenti, quod expreſsè docet D. Thomas 3. part. quæſt. 90. art. 3. vbi ait

con-

contrionem esse partem præcipuam, & continere virtute totã pœnitentiam, ac se habere tamquam fundamentum, quod quodammodo virtute continet totũ ædificium.

110 Sed licet hæc solutio multa dicat vera, & probabilia, displicet tamen primo: quia aliqua peccatorum externa confessio saltẽ virtualis ad essentiam huius Sacramenti, ita est necessaria, vt nullo vmquam casu sine ea possit consistere; atqui non semper in quocumque moribũdo sensibus destituto, qui nullum pœnitentiæ signum dedit, potest Cõfessarius probabiliter iudicare illum habere contritionem etiam imperfectam, & accusationem saltem virtualem suorum peccatorum, seu desiderium sacramentalis cõfessionis: ergo prædicta solutio non est generaliter, seu vniuersaliter vera, maior probatur, quia confessio saltem in desiderio est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, atqui nulla res potest cõsistere absque sua parte essentiali, in nullo casu etiam grauissimæ necessitatis potest dari Sacramentum pœnitentiæ absque aliqua externa confessione, seu accusatione peccatorum, probatur consequentia: quia casus necessitatis non mutat essentiam Sacramenti; aliàs si validè daretur Sacramentum pœnitentiæ absque aliqua confessione in casu necessitatis, posset etiam id fieri validè extra necessitatem, quod est apertè falsum, minor verò constat ex supradictis nam in moribũdo Catholico perditæ vitæ, qui nullum signum pœnitentiæ dedit, non datur aliquod indicium, vel coniectura probabilis contritionis, vel attritionis supernaturalis, nec confessionis, seu accusationis saltem virtualis suorum peccatorum, vt ex supradictis constat, Secundo: quia supponit Pater Angelus Maria Verricelli pro fundamento prædictæ solutionis vnũ falsum suppositum nempè, quod agonia ipsa Catholici est, vniuersaliter loquendo signum sensibile, seu indicium probabile contritionis interioris, vt probaui nu. 107.

111 Quare ad argumentum aliter respondeo: dico igitur, quod si sermo sit de moribundo catholico perditæ vitæ, vel de eo, qui in ipso actu venereo destitutus est sensibus, & nullum dedit signũ pœnitentiæ, concedo totum argumentum. Si vero sermo sit de moribundo Catholico, catholicè viuente concessa maiore, distinguenda est minor, in moribundo nulla præstante signa, nequit esse aliqua confessio actualis, cõcedo minorem: nequit esse aliqua confessio saltem virtualis, & in desiderio, nego minorem, nã bona vita à viro Catholico acta est indicium probabile, non solum contritionis in illo euentu, sed etiam desiderij confitendi, si possit, quod totum imperatur à virtute pœnitentiæ, ex quo patet ad probationem minoris, & ita neganda est consequentia.

112 Ad tertium argumentum respondet Pater Angelus Maria Verricelli sect. 18. num. 50. ipsã agoniam Catholici esse sensibilẽ coniecturam internæ accusationis, ac voluntatis moribundi, atque desiderij subijciendi se clauibus, ac Sacramenti pœnitentiæ, atque ita ipsam agoniam Catholici quatenus est sensibilis coniectura interni doloris, & accusationis internæ, æquiualere formali accusationi, quod sic demonstrat: nam multi probabiliter docent, quod quamuis infirmus in phrenesim lapsus ab-

sol-

ſolui non poſſit; etiam ſi ſanus eſſet, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus ſecundum morem pulſaret, aut ſubleuans ad Cælum oculos diceret miſerere mei Deus, quia tunc hæc non dicerentur in ordine ad Sacramẽtalem abſolutionem, nec eſſent coniectura accuſationis, & voluntatis ſubijciendi ſe clauibus: tamen ſi morti vicinus talia dedit, cum plura verba proferre nõ poſſet, tunc præſumptio eſt, quod ſacramentalem abſolutionem à Sacerdote per hæc ſigna petijt, ita Layman lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4. Zambranus de caſibus tempore mortis cap. 4. dub. 2. ſect. 4. Pharaonius de Sacramẽt. pœnitent. tract. 1. ſect. 16. caſu 25. Capeauille de Sacramentis miniſtrandis tempore peſtis cap. 3. quæſt. 11. Diana part. 3. tract. 3. reſol. 2. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 17. ſect. 2. num. 30. & ego addo his authoribus, Sanchez in ſelectis diſp. 44. num. 35. Leandrum de ſacrament. part. 1. tract. 5. de pœnitent. diſp. 5. quæſt. 42. qua doctrina ſuppoſita ſic arguit dictus Pater Angelus Maria Vericelli; illa ſigna tuſionis pectoris, & cætera, quia in his circũſtantijs agoniæ, ſunt ſenſibiles, & probabiles coniecturæ internæ accuſationis, doloris, ac voluntatis ſubijciendi ſe clauibus; ideó æquiualent formali accuſationi, ſeu formali confeſſioni, quare tunc moribundus poterit ſub conditione abſolui: ergo agonia catholici, quia eſt ſenſibilis, ac probabilis coniectura internæ accuſationis, doloris ac voluntatis ſubijciẽdi ſe clauibus, ideo æquiualet formali accuſationi, ſeu formali confeſſioni, quare tunc moribundus poterit ſub conditione à Sacerdote abſolui.

113 Ex qua doctrina infert Vericelli num. 53. quod ipſa agonia catholici, quia eſt ſenſibilis coniectura internæ accuſationis, ac proinde æquiualet formali accuſationi; ideo ſufficit ad verum iudicium ſacramentale exercẽdũ, & proferendam ſacramentalem abſolutionem per modum ſententiæ; nam Sacerdos accedens ad moribundum vt abſoluat, iudicialiter cognoſcit de coniecturata interna accuſatione, ſeu de præſumpta, & veriſimili voluntate ſubijciendi ſe clauibus, quod ſic probat: quia non plus requiritur ad ſacramentale iudicium, quam ad iudicium Forẽſe; atqui ad iudicium Forenſe ſufficit cõiectura delicti, quę æquiualet accuſationi, & ad ferendam ſentẽtiam: ergo etiam in foro interno, & in iudicio ſacramentali, ipſa agonia catholici, quę eſt ſẽſibilis coniectura internę accuſationis, & æquiualet formali accuſationi, ſeu confeſſioni, atque adeo ſufficit ad eſſentiam iudicij ſacramentalis, & ad proferendã Sacramentalem abſolutionis ſẽtentiam: ergo etiam ſufficit ad hoc vt Sacerdos habeat iudicialem cognitionem ortam à coniecturata interna accuſatione, probatur hęc vltima conſequẽtia: quia illa eſt iudicialis cognitio, quę eſt à Iudice, vt Iudice; atqui tunc Sacerdos tamquam Iudex, ideſt prolaturus abſolutionis ſacramentalis ſententiam accedit ad moribundum, nam tunc in moribundo conſiderat omnes illas coniecturas, nempè eum eſſe catholicum, & agonizantem, ex quibus coniecturis ſenſibiliter arguit internam voluntatem ſubijciendi ſe clauibus: ergo ea cognitio coniecturarum eſt verè, & propriè iudicialis, quia eſt à Iudice prolaturo ſẽtẽtiam.

Hęc

114 Hęc autẽ ſolutio ſicut & prę-
cedentes fundatur in illo princi-
pio falſo, ſcilicet, quod Agonia
Catholici formaliter, vt talis eſt,
eſt coniectura ſenſibilis interne
accuſationis, & voluntatis mo-
ribundi ſubijciendi ſe clauibus
Eccleſię: quare conceſſo ante-
cedenti argumenti Patris Verri-
celli neganda eſt conſequentia:
nam tunſio pectoris, ideo in ijs
circumſtantijs agonię ęquiualet
formali accuſationi, ſeu formali
confeſſioni: quia eſt actio libera,
& imperata à virtute pœniten-
tię, atqui ipſamet agonia Catho-
lici, non eſt actio libera impera-
ta à virtute pœnitentię: ergo ip-
ſamet agonia non ęquiualet for-
mali confeſſioni, nec valet reſ-
ponſio Patris Verricelli, quam
adhibet ad hanc rationem, ſcili-
cet, quod licet agonia Catholici
ſi vt agonia conſideretur, non
ęquiualeat formali confeſſioni;
ſi tamen conſideretur agonia
Catholici, quatenus eſt ſignum
ſenſibile, ac probabile interni
doloris, & contritionis ęquiua-
lere optimè formali confeſſioni:
quia agonia Catholici quamuis
non ſit actio libera, & imperata
à virtute pœnitentię: tamen
prout eſt ſenſibile; & probabile 115
ſignum interni doloris, ac deſi-
derij confitendi (iuxta commu-
niter accidentia in agonizanti-
bus Catholicis) ipſa agonia ita
conſiderata, eſt ſignum internæ
actionis liberè imperatæ à virtu-
te pœnitentiæ; imo eſt immedi-
atum ſignum probabile ipſius
pœnitentiæ; quamuis non ſit ſi-
gnum liberum. hæc inquam ſo-
lutio non valet; nam manifeſtè
inuoluit petititionem principij,
quod enim inquirimus eſt qua-
re agonia Catholici, vt agonia
Catholici eſt ſit coniectura sẽſi-
bilis, & probabilis interni dolo-
ris, ac deſiderij confeſſionis, vt
poſſit ęquiualere accuſationi, ſeu
confeſſioni formali; atqui tu di-
cis hoc ita eſſe, quia agonia Ca-
tholici eſt: ergo manifeſtè petis
principium, nam licet verum ſit
quod ſi loquamur de Catholico
Agonizante probatæ vitæ in ip-
ſo reperiri indicium, ſeu conie-
ctura probabilis, & ſenſibilis in-
ternæ contritionis, & confeſſio-
nis deſiderij, quæ ęquiualet cõ-
feſſioni formali, hoc tamen non
colligitur ex ipſa agonia Catho-
lici, vt agonia catholici eſt, ſed
ex ipſa vita catholicè ante acta
ab ipſo Catholico, agonizante,
vt ſupra probauimus cũ author-
ibus primæ ſententiæ, ſiſtendo in
primo modo dicendi ipſius opi-
nionis: nam etiam agonia mor-
tis catholici perditæ vitæ, qui
nullum dedit ſignum pœniten-
tiæ, imo & agonia illius, qui in
ipſo actu peccandi v. g. fornica-
tionis deſtitutus eſt sẽſibus, ago-
nia Catholici eſt, & tamen ex il-
la non colligitur indicium, aut
coniectura aliqua probabilis in-
terioris contritionis, ac confeſ-
ſionis deſiderij, vt ſupra proba-
uimus contra ſecũdum modum
dicendi primę ſententiæ.

Ad argumẽtum igitur reſpõ- 115
detur concedendo maiorem, &
diſtinguendo minorem, in mo-
ribundo ſenſibus deſtituto (lo-
quor de moribundo Catholico
probatæ vitæ) nulla datur accu-
ſatio realis actualis concedo mi-
norẽ; nulla datur accuſatio vir-
tualis nego minorem, & ſimili-
ter nego conſequentiam; ad iu-
dicium enim ſacramentalis con-
feſſionis, vt confeſſarius tamquã
Iudex proferat ſentẽtiam ſacra-
mentalis abſolutionis, non eſt
neceſſarium, vt præcedat accu-
ſatio vera, & realis, ſed ſufficit ſi
ęcedat accuſatio virtualis fun-

data

data in probabili præſumptione, nam vt ſupra dixímus in iudicio forenſi ad proferendam ſententiam, & ad condemnandum reum ad pœnam ſaltem extraordinariam, ſufficit indicium grauiſſimum delicti, quod virtualiter reum accuſat de delicto commiſſo, quamuis ad condemnandum reum ad pœnam ordinariã, nempè ad pœnam capitis requirantur indicia indubitata, quæ æquiualent plenæ probationi: ergo cum tribunal Sacramentalis pœnitentiæ ſit inſtitutum à Chriſto Domino ad liberandum reum, nempè peccatorẽ a morti peccati, & Iudex ſcilicet Confeſſarius procedat vt Iudex liberans, & non condemnans reum, ſufficit ad dictum iudicium Sacramentalis confeſſionis, accuſatio virtualis fundata in probabili præſumptione, quare ex hac doctrina poteſt ſumi argumentũ non leue, ad oſtendendam probabilitatem primæ ſententiæ in hac forma, abſolutio eſt actus iudicialis: ergo ſicut in iudicijs forenſibus, proportione ſeruata, ſic etiam in pœnitentiæ Sacramento proceditur, atqui in tribunali forenſi non ſolum accuſatio vera, & realis, ſed etiam virtualis moralis, & interpretatiua locum habet: ergo etiam in tribunali Sacramentalis confeſſionis.

116 Ad quartum argumentum reſpondet Pater Angelus Maria Verricelli, ad primam authoritatem ex Concilio Cartaginenſi 3. canone 34. reſpondet, quod illa verba; ſimiliter, & de pœnitentibus agendum eſt, non reperiuntur in canone Cõcilij, ſed addita ſunt à Gratiano in dicto cap. ægrotantes 74. de conſecrat. diſtinct. 4. Cõcilium autem Cartaginenſe 4. dicit, quod agit manifeſtè de publico peccatore, qui in articulo mortis admittitur ad publicam pœnitẽtiam; quod patet ex verbis ſequẽtibus eiuſdem Concilij; nam ſubdit, quod ſi ſuper vixerit, ſubdatur ſtatutis pœnitentię legibus, quãdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit probauerit; & canone 78. dicitur: quod ſi ſuperuixerint nõ ſe credant abſoluti ſine manus impoſitione; atqui illa manus impoſitione, ſoli publici pœnitẽtes indigebant, vt patet ex Sãcto Cipriano epiſtola 10. & epiſt. 12. & lib. de lapſis num. 97. ergo, & cætera. eodem modo reſpondet ad authoritatem Concilij Arauſic. ſcilicet quod Concilium expreſsè loquitur in illo canone 12 de eo qui indigebat publica, & ſolemni pœnitentia: nam in eodem Concilio canone 3. dicitur, quod ſi ſuper vixerint ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione accipiant.

117 Pater autẽ Caramuel Cõcedit cõcilia loqui de ſacramẽtali abſolutione, ſed nihilominus non conuincere aliquid contra primam ſententiam, imò pro illa ſtare: quia Concilia coniungunt baptiſmum cum pœnitentia; quare ſtante paritate ſic argui poteſt. Sicut de baptiſmo, ſic de pœnitẽtia diſcurrere poſſumus, & debemus; atqui Catechumenus, qui in morbum lapſus ſenſibus deſtituitur, baptizari poteſt: quia ipſa ſtatus Catechumeni profeſſio, eſt baptiſmi ante mortem ſuſcipiendi petitio: ergo Catholicus, qui in morbum ſimiliter lapſus ſenſibus deſtituitur, abſolui poterit: quia ipſa ſtatus Catholici profeſſio, eſt abſolutionis ſacramentalis ante mor-

mortem ſuſcipiende petitio. Cõuinceret tamen argumentum, ſi in verbis Conciliorum eſſet appoſita particula tantum, aut ſolum. Sic enim poterit formari argumentum, moribundus ſenſibus deſtitutus baptizari, aut pœnitentię Sacramentum accipere poteſt in eo tantum caſu, quo voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu, atqui moribũdus ille de quo loquimur, neutrũ facit, ergo abſolui non poteſt, hoc enim argumentum conuinceret ſi illa particula, tantum, reperiretur in Concilijs; cum autẽ non reperiatur nihil concludit contra pimàm ſententiam.

118 Hoc eſt quod ſentio in hac grauiſſima difficultate; cęterum non condemnarem tamquam culpæ mortalis reum Sacerdotẽ, qui iudicans probabile ſaltem ab extrinſeco, poſſe abſolui moribũdum Catholicum perditę vitæ, qui nec petijt confeſſionem, nec vllum pœnitentiæ ſignum dedit, ſi illum ſub conditione abſolueret, imo iudico debere illũ abſoluere, etiãm ſi ipſe putaret ſententiam eſſe falſam per principia intrinſeca. Cuius ratio eſt, quia cum tũc licitè poſſit abſoluere deponendo iudicium, ſeu formando iudicium practicum, quod liceat abſoluere, ſtante probabilitate per principia extrinſeca, tenetur deponere, & abſoluere, vt docent Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 23. ſect. 1. num. 15. Vaſquez tom. 4. in 3. part. diſput. 91. art. 12. dub. 1. num. 38. Coninch de ſacrament. diſput. 7. dub. 10. num. 106. & alij; imò nõ condemnarem tamquam ſacrilegij reum Sacerdotem, qui dubitans an ſit ab extrinſeco probabile, poſſe abſolui ſub conditione prædictum moribundum perditæ vitæ, illũ abſolueret; moueor primo: quia quando alij dubitãt an aliqua opinio ſit per principia extrinſeca probabilis, poteſt ſtante tali dubio vrgẽte grauiſſimo periculo proximi, ea opinione vti, vt docent Nauarrus in cap. inter verba numer. 135. Sanchez de matrimonio lib. 2. cap. 36. num. 8. Villalobos tom. 1. tract. 1. difficult. 8. Baldellus tom. 1. Theologiæ moral. lib. 4. diſp. 12. num. 4. Ioannes præpoſitus in 3. p. quæſt. 8. de confeſſione num. 88. Caſtropalaus tõ. 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 2. num. 5. Pellizarius tract. de monialibus cap. 10. num. 184. vbi ſic ait: quotieſcũque agitur de euitando graui malo, ac periculo proximi, lex charitatis obligat ad operandum ſecũdum opinionẽ, quæ ſolum habeat aliquam ſpeciem probabilitatis, ſaltem apparentis, & quæ verius dicatur formido, quam opinio, Boſſius tom. 1. de conſcientia part. 1. titulo 1. §. 24. num. 283. in fine: ergo non peccat Sacerdos vtens hac opinione, quã dubitat probabilem in tam graui periculo ſalutis proximi. Secundo quia tunc eſt irriſio, & grauiſſima ſacramenti irreuerentia, etiam ſi ſub conditione miniſtretur, quãdo omnino certum eſt, inualidè miniſtrari, atqui ſi dubium ſit ſi validè miniſtretur vrgẽte graui periculo non irridetur, neque irreuerenter tractatur, ſi in eo dubio ſub conditione miniſtretur: ergo non peccat Sacerdos, neque irridet Sacramentum, qui dubitans an validè abſoluat, & an hæc opinio ſit probabilis in tam graui periculo moribũdum ſub conditione abſoluit. Conſequentia manifeſtè ſequitur ex

præmiſſis. Maior enim ab omnibus recipitur, minor vero probatur, nam vt rectè docet Eminentiſſimus Cardinalis Lugo, in extrema neceſſitate poteſt baptizari ſub conditione cum aliquo liquore, de quo dubium eſt an ſit aqua, neque ob loci obſcuritatem aliaſque circumſtantias, ex colore, odore, ſapore, poſſit vllatenus cognoſci: ergo ſimiliter in noſtro caſu poteſt Sacerdos ſub conditione dictum moribundum ſenſibus deſtitutum abſoluere.

119 Ex dictis infero non ſolum licere abſoluere moribundum Catholicum probatæ vitæ ſenſibus deſtitutum, qui nec petijt confeſſionem, neque aliud pœnitẽtiæ ſignum dedit, ſed etiam Sacerdotem teneri ſub mortali eũ abſoluere; qui ſi ſit proprius Parochus peccabit mortaliter contra iuſtitiam, alius vero Sacerdos contra charitatem, ita Caramuel vbi ſupra num. 1310. & in Theolog. morali lib. 3. diſput. 4. num. 1542. Pellizzarius de monialibus cap. 10. num. 184. Leander dicto tract. quinto de pœnitent. diſp. 5. quæſt. 57. Ratio ex ſupradictis conſtat, nam opinio affirmans poſſe Sacerdotem abſoluere dictum moribundum, eſt probabilis, tam ab extrinſeco, quam ab intrinſeco, vt ex ſupradictis conſtat, cum pro ſe habeat, quam plures, & graues Doctores, & nitatur rationibus valdè probabilibus; atqui quotieſcumque Sacerdos poteſt abſque graui incommodo ſuccurrere periclitãti circa æternam ſalutem, ad id tenetur: ergo cum Sacerdos poſſit prodeſſe moribundo in tam grauiſſimo periculo ſalutis æternæ conſtituto, illum à peccatis abſoluendo abſque ſuo graui incommodo, & abſque eo quod irriſionem faciat Sacramento, tenetur ſub mortali peccato illum ſub conditione abſoluere. Conſequentia patet ex ſupradictis num. 117.

120 Secundo ex dictis infero, quod ſi Sacerdos inuenit aliquem infirmum in freneſim incidere, & non conſtat petijſſe confeſſionẽ, & tempore frenẽſis illam nõ vult, ſi dictus infirmus erat vir perditæ vitæ, qui vix in Paſchate cõfitebatur, vt meretrix, & vſurarius publicus, non eſt ei danda abſolutio ſacramentalis confeſſionis; quia præſumitur in eadem voluntate praua in frenẽſim incidere, at ſi infirmus erat vir ſolitus viuere Chriſtiano more debet dari abſolutio ſacramentalis ſub conditione, quia eodem modo de iſto infirmo frenetico eſt diſcurrendum, ac de illo, qui ſẽſibus deſtitutus nulla ſigna doloris dedit.

RESOLVTIO V.

Vtrum moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nec petijt confeſſionem, nec aliud pœnitentiæ ſignum dedit, ſi Sacerdos inueniat aliquam ſchedulam, in qua moribũdus iſte habebat ſcripta ſua peccata ad ea integrè cõfitenda, poſſit eum ſub conditione abſoluere.

121 NEgatiuam partem ſubſtinẽt illi Doctores, qui affirmant eſſe de neceſſitate ſacramentalis confeſſionis, vt confeſſio fiat in præſentia Sacerdotis, quos citat, & ſequitur Diana par. 3. tract. 3. reſol. 7. in quorum ſententia, ſi quis non coram infirmo, ſed ſtatim in eius abſẽtia mani-

nifeſtet Confeſſario illum petiſſe confeſſionem, vel ſigna contritionis oſtendiſſe, non poteſt Sacerdos dictum infirmum abſoluere, ſi illum inueniat ſenſibus deſtitutum, quod probari poteſt primo: quia vt Sacerdos licitè poſſit alicui infirmo abſolutionem Sacramentalis confeſſionis concedere, neceſſariò requiritur, vt ſaltem probabiliter iudicet, tunc quando abſolutionem impendit, eſſe in pœnitente veram materiam Sacramẽti pœnitentiæ nempè contritionem ſaltem imperfectam, & aliqualẽ peccatorum confeſſionem, ad minus per aliquod ſignum ſenſibile manifestatã; atquiin prædicto moribundo ſenſibus deſtituto, hoc non datur, cum ſupponatur illum non petiſſe confeſſionem, nec aliud ſignum pœnitentiæ feciſſe, neque ſchedula illa, in qua prædictus moribundus habebat ſcripta ſua peccata eſt ſufficiens indicium probabile, interioris contritionis, & confeſſionis: ergo non poteſt Sacerdos ei concedere abſolutionem ſacramentalis confeſſionis, probatur minor: nam illa ſchedula in qua Sacerdos inuenit peccata ſcripta ipſius moribundi potuit eſſe ab ipſo facta multo tempore ante quam deſtitueretur sẽſibus, imò, & antequam in infirmitatẽ incideret: ergo non poteſt eſſe indicium probabile actualis contritionis, & interioris confeſſionis ipſius infirmi, ac proinde nõ poteſt Sacerdos prædicto moribundo concedere licitè, & validè abſolutionem ſacramentalis confeſſionis.

122 Secundo poteſt probari: quia hoc videtur eſſe contra decretũ Clementis Octaui editum die 30. Iunij 1602. in quo damnatur tãquam falſa, temeraria, & ſcandaloſa, iſta propoſitio, ſcilicet licere per literas, ſeu inter nuncium Confeſſario abſente peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, quę verba accipienda ſunt in ſenſu diuiſiuo, & non complexiuo: vt docẽt Seraphinus Freitas in addit. ad tract. de confeſſione quæſt. 13. nu. 31. Alphonſus de Leone. tract. de offic. & poteſtat. confeſſoris tom. 1. Recollect. 6. num. 123. Turrianus de pęnitẽt. quęſt. 9. art. 2. diſp. 32. dub. 4. Fagundez de præcept. Eccleſiæ præcept. 2. lib. 2. cap. 10. num. 5. Coquetius diſertatione de confeſſione per literas cap. 5. num. 15. Aluarez in primam ſecundæ D. Thomæ quæſt. 19. art. 6. diſp. 80. in appendice num 34. & ſequent. Petrus Fray de pœnitent. in addit. ad 3. part. quæſt. 9. art. 3. diſp. 3. Pitigianus in 4. ſentent. tom. 2. diſt. 27. quæſt vnica art. 8. concl. 2. Nugnus in 3. part. tom. 2. quęſt. 9. art. 3. difficult. 2. Ioanes Chapeauilla tract. de modo miniſtrãdi Sacramenta tempore peſtis quæſt. 30. Syluius in 3. partem quæſt. 9. art. 3. quos citat, & ſequitur Diana dicta part. 3. tract. 3. reſol. 7. atqui in caſu noſtro Confeſſarius ſolum habet notitiam peccatorum iſtius moribũdi per literas, ſeu per illam ſchedulam in qua inuenit ſcripta peccata iſtius infirmi moribundi, qui deſtitutus eſt ſenſibus, cũ ſupponatur ipſum non petiſſe confeſſionem, nec aliud ſignum pœnitentiæ dediſſe: ergo non poteſt Confeſſarius eum abſoluere ſacramentaliter.

123 Nihilominus affirmatiuè reſpondeo cum Layman tract. 6. theolog. moralis cap. 3. in fine, quem ſequitur Boſſius de conſcientia tom. 1. part. 1. tit. 1. §. 25.

num. 373. probatur primo: quia si quis indicauit Confessario aliquem moribundum signa contritionis dedisse, vel quod confessionem petijt in absētia ipsius infirmi, debet absolui à Sacerdote superueniēte illum adhuc viuum, sensibus tamen destitutum inueniente, vt docent Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 122. Bonacina de sacrament. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punt. 2. §. 4. nu. 10. Fernandez in exam. resolut. moral. part. 3. cap. 7. §. 6. num. 50. Zambranus de cas. tempore mortis cap. 4. dub. 2. sect. 5. nu. 31. Layman in theolog. moral. tract. 8. cap. 3. num. 9. in fine, vt refert Diana dict. resol. 7. id ipsum docent Machinus de bello diuino part. 3. cap. 13. num. 15. Ioannes Sancius in selectis disput. 44. num. 35. §. quod si eueniat in fine, vbi sic ait. Nec opus erit interpretem in præsentia infirmi testificari de signis doloris, cum enim interpres coram Confessario comparet, confessio fit in præsentia Sacerdotis, ita ille: Eminentissimus Lugo de pœnitentia disp. 17. num. 85. & 86. non obstante decreto Clementis Octaui. Ergo similiter potest, & debet Sacerdos absoluere moribundum, quem inuenit sensibus destitutum, quamuis sciat ipsum non petijsse confessionem, nec vllum signum pœnitentiæ dedisse, si inueniat illum habuisse in schedula scripta sua peccata ad ea integrè confitenda; sine eo, quod contraueniat decreto supradicto Clementis Octaui. Cōsequentia apertè sequitur ex antecedenti: nam vtrobique est eadem ratio. Antecedens probo contra Dianam: nam ipse affirmat, quod quando astantes in cubiculo moribundi, iam sensibus omnino destituti, & propè ipsum existentes Sacerdoti accersito testimonium de petitione confessionis, vel signis pœnitentiæ in ordine ad confessionē in eius absentia datis exhibent, licere Sacerdoti moribundum absoluere (quod non concedunt Aluarez, nec Doctores præsertim Dominicanę familiæ, quos in sui fauorem citat Diana dict. resol. 7.) sine eo, quod contraueniat Cōfessarius prędicto decreto Clementis Octaui, qua doctrina Dianę supposita, sic argumentor: vel decretum Clementis Octaui intelligitur non solum complexiuè, sed etiam diuisiuè, itaut Pontifex damnet, non solum complexiuè, sed etiam diuisiuè illam propositionem, quod liceret confiteri absente Sacerdote per litteras, aut inter nuncium, & ab eo absente accipere absolutionem, & Sacramētum semper esse nullum, siue fiat confessio in absentia, siue absolutio sola detur ab absente Sacerdote, vel vtraque contingat in absentia; vel intelligitur tantum complexiuè, itaut Pontifex damnet totam illam propositionem hypoteticam copulatiuè, & non diuisiuè? Si hoc secundum dicatur: ergo sicut Sacerdos potest, & debet absoluere moribūdum sensibus destitutum, quando astantes in cubiculo moribūdi in eius præsentia testificant Sacerdoti, ipsum moribundum petijsse confessionem, aut signa aliqua absente Sacerdote in ordine ad sacramentalem confessionem fecisse; ita potest, & debet absoluere moribundum, quando aliquis testis in absentia ipsius moribundi ipsi Sacerdoti certificat, quod infirmus petijt confessionem, si quando accedit

ad

ad infirmum inuenit eum viuũ, quamuis ſenſibus deſtitutum, patet conſequentia, nam in vtroque caſu datur abſolutio ſacramentalis præſenti pœnitenti moribundo à Sacerdote pręſente, licet teſtificatio, quod infirmus confeſſionem petijt in vno caſu fiat Sacerdoti præſenti in præſẽtia moribundi ſenſibus deſtituti, & in alio Sacerdoti abſenti in abſentia infirmi tamquam per interpuncium, aliàs prædictum Clementis Octaui decretum damnaret propoſitionem illam nõ ſolũ copulatiuè, ſed etiam diuiſiuè, cuius contrarium ſupponitur in reſponſione data. Si autem dicatur, quod prædictum Pontificis decretum damnat propoſitionẽ illam non ſolum complexiuè, ſed etiam diuiſiuè, vt fatetur Diana: ergo ſicut Sacerdos non poteſt abſoluere moribundum ſenſibus deſtitutum, quando atteſtans Sacerdoti in ipſius moribundi abſentia certificat ipſum petijſſe confeſſionem, aut aliqua ſigna in abſentia Confeſſoris in ordine ad ſacramentalem confeſsionem feciſſe; quia hoc obſtat Clementis Octaui decreto; ita nec poterit Sacerdos abſoluere moribundum deſtitutum ſenſibus, quãdo aſtantes in cubiculo ipſius moribundi ſenſibus deſtituti, & prope ipſum exiſtẽtes Sacerdoti accerſito teſtimonium de petitione confeſſionis, vel ſignis pœnitentię in ordine ad confeſſionem in eius abſentia datis exhibẽt. Probo conſequentiam, quia tunc verè confeſſio à pœnitente moribundo eſt facta Sacerdoti abſẽti, ſeu in abſentia Sacerdotis: ergo ſicut in primo caſu ſecundum Dianam nõ licet Sacerdoti moribundum ſenſibus deſtitutum abſoluere, neque in ſecũdo licebit, probatur antecedens: nam dictus moribundus, vt ſupponitur in aduentu, & pręſentia Sacerdotis eſt omnino ſenſibus deſtitutus, & carens totaliter vſu rationis; atqui quod aſtãtes propè eumdem moribundum exiſtẽtes, Sacerdoti pręſenti manifeſtent, petitionem confeſſionis factam, vel ſigna contritionis data ab infirmo abſẽte Sacerdote, non ſufficit, vt idem infirmus tunc per eoſdem aſtantes confiteatur, vel cenſeri debeat coram Sacerdote confiteri; quia nullo modo ipſi Sacerdoti oſtendit, ſeu oſtẽdere poteſt ſe approbare id, quod aſtantes eidem Confeſſario aperiunt cum nullo polleat vſu rationis; & reſpectu teſtimonij confeſſionis à ſe petitæ, vel ſignorum pœnitentiæ exhibitorum, ſe habet ac ſi non eſſet, & veluti cadauer; atqui idem aſtantes ſolum explicant, & notam faciunt Sacerdoti præſenti confeſſionem à moribundo factam in eius abſentia: ergo ſi decretum ſupradictum Clementis Octaui damnat illam propoſitionem non ſolum complexiuè, ſed etiam diuiſiuè, vt vult Diana, ſicut non poteſt Sacerdos conferre abſolutionem ſacramentalis pœnitentiæ moribundo illo, de quo aliquis affirmat Confeſſario in abſentia ipſius moribundi, quod petijt confeſſionem, vel aliquod pœnitẽtiæ ſignum dedit, ſi illum inueniat Sacerdos, ſeu Confeſſarius ſenſibus deſtitutum, vt fatetur Diana, ſimiliter non licebit Cõfeſſario ſacramentaliter abſoluere moribundum ſenſibus deſtitutum, de quo teſtes in præſentia prædicti moribundi Sacerdoti, ſeu Confeſſario affirmant in eius abſentia petijſſe confeſſionem, vel ſigna contritionis dediſſe, cũ in vtroque caſu confeſſio ſit à pœnitente facta in abſentia Confeſ-

ſa-

sarij, ergo sicut in hoc secundo casu fere omnes Doctores affirmant Confessarium teneri moribundum sensibus destitutum sacramentaliter absoluere; ita similiter debebit in primo casu moribundum illum absoluere, ac proinde etiam tenebitur Cõfessarius absoluere moribundum sensibus destitutum, qui nec petijt confessionem, nec vllum cõtritionis signum dedit, quando peccata sua in schedula illum ad integrè confitenda annotasse eidem Sacerdoti, seu Confessario constaret, nam prædicti casus nõ comprehenduntur in decreto Clementis Octaui, vt ex postea dicendis apertè constabit cum prædictum decretũ explicemus.

124 Secundo probatur, quia in casu tam graui, vt est articulus mortis, vbi vita æterna viri Catholici periclitatur, si Confessarius tunc habeat aliquod indiciũ probabile interioris cõtritionis, seu attritionis, & confessionis sacramentalis desiderij in Catholico moribundo sensibus destituto, qui nec Confessionem petijt, nec vllum contritionis signum dedit, non solum potest, sed tenetur sub mortali peccato eum sacramentaliter absoluere saltem sub conditione, vt ex dictis resolutione præcedenti cõstat; atqui schedula illa in qua prædictus moribundus, qui à Confessario inuentus fuit sensibus destitutus sua peccata scripsit ad ea integrè confitenda, est plusquam probabile indicium interioris contritionis, & desiderij confitendi sua peccata, eaque clauibus Ecclesiæ subijciendi ipsius moribundi: ergo non solum potest, sed etiam debet Confessarius eum sacramẽtaliter absoluere aliàs peccabit mortaliter si fuerit proprius Parochus contra iustitiam, sin autẽ contra charitatem. Consequentia est formalis, & maior constat ex dictis resol. præcedenti, minor vero probatur manifestè: nã ex eo quod vnus testis affirmet Confessario aliquem moribundũ sensibus destitutũ in absentia ipsius Confessarij petijsse confessionem, aut signum aliquod contritionis dedisse, infert probabiliter prudens Cõfessarius interiorem contritionem, confessionisque sacramentalis desiderium ipsius moribundi, & tenetur illum sacramentaliter absoluere absolutè, & absque conditione aliqua secundum probabiliorem sentẽtiam; atqui schedula illa in qua infirmus ille antequam destitueretur sensibus, sua scripsit peccata ad ea integrè confitenda, non minorem testimonium præbet desiderij confitendi ipsius moribundi, quam præbet ille, qui Cõfessario testificat moribundum petijsse confessionem, aut signũ aliquod contritionis dedisse: ergo prædicta schedula est plusquã probabile indicium, ne dicam certum, interioris contritionis, & voluntatis confitendi, ipsius moribundi sensibus destituti, igitur tẽnebitur Confessarius ipsum sacramentaliter absoluere absolutè, & absque conditione aliqua dum illi constet, quod infirmus prędicta sua peccata scripsit, ad integrè ea confitenda, postquam incidit in illam infirmitatem.

125 Ad primum argumentum negatiuæ sententiæ respondetur, concessa maiori negando minorem; ad cuius probationem dico, quod si Sacerdoti constet prædictã schedulam fuisse à moribundo illo factam, postquam incidit in illam infirmitatẽ, animo integrè confitendi sua peccata, debet præsumere ipsum moribundum, tunc permanere in ea-

eadem voluntate, & ita teneri illum ſacramentaliter abſoluere, vt diximus num. 123. ſicut tenetur ſacerdos abſoluere moribundum deſtitutũ ſenſibus, de quo aſtantes in cubiculo ipſius moribundi affirmant Confeſſario, ipſum petijſſe cõfeſſionem, vel aliquod ſignum contritionis dediſſe, vt eodem num. 123. diximus; nam ipſa ſchedula, in qua ille moribundus ſua ſcripſit peccata, eſt Sacerdoti ſufficiens ſignum ſenſibile interioris contritionis, & deſiderij ſacramentalis confeſſionis, ipſius moribundi ſenſibus deſtituti. Si autem Confeſſario certo conſtet prædictam ſchedulam fuiſſe à dicto infirmo factã non multo tẽpore antequam in illam infirmitatem incideret, iudico Confeſſarium poſſe, imo, & debere prædictum moribundum ſenſibus deſtitutum, ſub conditione ſacramentaliter abſoluere, iuxta dicta reſolutione præcedenti.

126 Ad ſecundum argumẽtum reſpondẽt Bonacina diſp. 5. queſt. 5. ſect. 2. punt. 2. §. 4. difficult. 4. num. 10. in vltima impreſſione Filliuc. tract. 7. num. 122. Mozora 3. part. ſummæ cap. 6. num. 50. Zambranus cap. 4. dub. 2. ſect. 5. num. 31. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo diſp. 17. de pœnitent. ſect. 4. num. 72. & num. 85. quos citat, & ſequitur Leander part. 1. de Sacramentis tract. 5. de pœnitent. diſp. 5. quæſt. 45. negando maiorem: nam decretum Clementis Octaui Solum loquitur de confeſſione ſtrictè accepta, quæ fieri nequit niſi in præſentia Confeſſarij, non vero de confeſſione magis vniuerſaliter ſumpta, qualis eſt illa, quæ fit Confeſſario per teſtes, quamuis teſtes non repetant teſtimonium coram infirmo: nam licet dicta per teſtes confeſſio facta ſit in abſentia, tamen poſtea abſolutio datur in præſentia pœnitẽtis, quod ſufficit ad valorem Sacramenti, & vt non fiat contra decretum Clemẽtis Octaui, quod explicat Eminentiſſimus Lugo dicto nu. 72. vbi notat dupplicẽ dari confeſſionem, vnam in ſtricta ſignificatione, quæ eſt, quando reus coram Iudice explicitè confitetur iuridicè; ſua delicta; altera latè, & in magis vniuerſali ſignificatione, quæ nihil aliud eſt, quam deſiderium, ſeu votũ confitendi, delicta voce viua, vel alijs ſignis externis expreſſum, ſiue hoc deſiderium manifeſtetur coram Iudice, ſiue in illius abſẽtia, dicit ergo Clementem Octauum in ſuo decreto loqui ſolũ de confeſſione ſacramentali ſtricta, & qua explicitè delicta, ſeu peccata iuridicè aperientur Iudici, eo quod cum decretum ſit odioſum, debet in ſenſu magis ſtricto intelligi, & quia ideo confeſſio ſacramentalis requirit præſentiam Confeſſarij, quia per illam ſatisfacit pœnitens obligationi, quam ex Chriſti præcepto habet ſiſtendi ſe coram legitimo Iudice, & confitendi delicta ſua; hæc autem obligatio non eſt niſi ad confeſſionem ſtrictam, & explicitam, quæ iuxta leges etiam eſt actus partialis, qui fieri debet coram Iudice comparendo perſonaliter in iudicio: confeſſio verò ſecundo modo, & in vniuerſali ſignificatione accepta, ſeu voluntas, & deſiderium confitẽdi, cum ſit quid antecedens, & præparatoria, non requirit talẽ præſentiam, & vult Clementem loqui in ſenſu diuiſo, itaut inhibeat non ſolum dari abſolutionẽ ſacramentalem in abſentia, ſed etiam fieri confeſſionem ſacramentalem in abſentia Cõfeſſarij,

lo-

loquendo de hac confeſſione ſacramentali ſtr cta, & explicita.

127 Sed hæc reſponſio non placet Patri Ioanni Angelo Boſſio de conſcientia tom. 1. part. 1. tit. 1. §. 25. num. 371. & ita eam ſic arguit: quia vel illud deſiderium confitendi voce, vel nutibus, & ſignis contritionis expreſſam in abſentia Confeſſarij, eſt vera cõfeſſio ſacramentalis, vel non; Si non certè Confeſſarius vocatus, & certior factus de tali deſiderio, non poterit infirmum ſenſibus deſtitutum abſoluere, quia nulla præceſſit vllo modo confeſſio, & accuſatio peccatorum; ſi eſt vera confeſſio ſacramentalis: ergo iam vera confeſſio ſacramentalis poteſt licitè, & validè fieri in abſẽtia Confeſſarij: ergo vel decretũ Clementis Octaui comprehẽdit etiam hunc caſum, vel debet intelligi collectiuè, non diuiſiuè. probatur hæc vltima conſequẽtia: quia tam eſt confeſſio verè, & ſtrictè ſacramentalis illa, quæ in ordine ad abſolutionem fit ſolũ in genere, cum alio modo ob impotentiam phyſicam, vel moralem explicitè, & in ſpecie fieri nequit; quam quæ fit explicitè, & in ſpecie nec Patres, Concilia, & Paulus Quintus certè aliud volunt, dum decernunt moribundum, qui oſtendit deſiderium confitendi ipſimet Confeſſario, vel in eius abſentia deberi abſolui à Sacerdote; volunt enim ipsã oſtenſionem deſiderij confitendi factam coram, vel abſente Sacerdote eſſe confeſſionem ſacramẽtalem verè, & ſtrictè iuxta inſtitutionem factam à Chriſto Domino, alioqui non potuiſſent decernere fore abſoluendum: ergo, & cætera.

128 Sed hæc omnia nullatenus infirmant ſolutionem Eminentiſſimi Cardinalis Lugo; quia benè ſtat, quod aliqua confeſſio ſit ſufficiens, imò & neceſſaria ad valorem huius ſacramenti pœnitẽtiæ, itaut ſimul cum abſolutione Sacerdotis dicatur vera confeſſio ſacramentalis, hoc eſt ſufficiens ad valorem huius Sacramenti in quolibet caſu: & quod non dicatur confeſſio ſtricta, & per ſe loquẽdo ex inſtitutione Chriſti Domini: nam vt benè notat Eminentiſſimus Lugo ſupra nũ. 75. confeſſio aliqua neceſſaria eſt ad valorem huius Sacramenti in quolibet caſu: cõfeſſio vero ſtricta neceſſaria eſt per ſe loquendo; vnde quando Concilium Tridẽt. ſeſſione 14. cap. 5. & canone 7. dicit ad remiſſionem peccatorum neceſſariam eſſe de iure diuino confeſſionem loquitur de confeſſione ſtricta, ſed de neceſsitate per ſe loquendo, quod apertè conſtat ex eo quod non ſolum dicit neceſſariam eſſe cõfeſſionẽ, ſed confeſsionem omnium peccatorum, & circumſtantiarum ſaltem mutantium ſpeciem, quã confeſſionem certum eſt requiri per ſe loquendo, non vero in caſu neceſsitatis; quo homo per accidens excuſatur à confeſſione omnium, & ſingulorum peccatorum, quando vero in eodem Concilio eadem ſeſſione 14. cap. 3. & 4. dicitur tres eſſe huius Sacramenti partes ad integram, & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione requiſitas, contritionem, confeſſionẽ, & ſatisfactionem: poteſt intelligi de neceſſitate ſimpliciter, & tunc nomine confeſſionis intelligitur confeſſio in ſignificatione magis vniuerſali: ſi verò intelligatur de neceſſitate ſolum per ſe: nomine confeſſionis intelligitur eõfeſſio ſtricta, ſicut dicitur in eiſdem locis neceſſaria etiam ſatisfactio, quæ tamen non eſt neceſſaria,

niſi

niſi per ſe loquendo; cum ſine illa poſſit dari Sacramentum validum, denique quando canone 9. dicitur; ſi quis dixerit non requiri Confeſſionem pœnitentis, vt Sacerdos eum abſoluere poſſit, anathema ſit, intelliguntur prædicta verba de neceſſitate ſolum per ſe, qua neceſſitate requiritur confeſſio ſaltem virtualis ad ſacramentalem abſolutionem, ob quam rationem poteſt, & debet Sacerdos abſoluere ſacramentaliter Catholicum moribundum probatæ vitæ ſub cõditione, qui ſenſibus deſtitutus, nec petijt confeſſionem, nec vllum contritionis ſignum dedit; nam vita ab ipſo moribundo catholicè acta eſt ſufficiens inditiũ probabile interioris cõtritionis, ſeu attritionis, & confeſſionis ſacramentalis deſiderij, quę eſt accuſatio, ſeu confeſſio virtualis, quæ ſufficit ad hoc, vt Sacerdos dictum moribundum abſoluere poſſit ſub conditione, vt diximus reſolutione præcedenti. Vel intelligitur de omnimoda neceſſitate alicuius confeſſionis, non tamen confeſſionis in ſignificatione magis ſtricta, ſed magis vniuerſali, vt ſupra explicatum eſt, ex quo patet ſolutio ad argumentum Boſſij: Reſpõdeo igitur eligendo primam partem dilẽmatis, & diſtinguendo primũ conſequens: ergo iam vera confeſſio ſacramentalis poteſt licitè, & validè fieri in abſentia Sacerdotis; ſi nomine confeſſionis intelligatur confeſſio ſtrictè ſumpta nego conſequentiam. Si nomine confeſſionis ſacramentalis intelligatur confeſſio in ſignificatione magis vniuerſali, & ſimul abſolutio detur à Sacerdote preſenti, in præſentia ipſius pœnitẽtis, qui ante in abſentia Confeſſarij petijt confeſſionem, vel aliquod contritionis ſignum dedit concedo conſequentiam; neque hoc eſt contra prædictum Clementis Octaui decretum editum 21. Iunij 1602. ab Aluarez in dicta appendice num. 20. relatum in quo damnauit hanc propoſitionem, ſcilicet licere per literas, aut inter nunciũ, Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter cõfiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, quia vt patet ex ipſis verbis caſus in decreto damnatus, eſt diſtinctus à præſenti de quo loquimur, deinde, quia idemmet Clemens Octauus interrogatus, an moribundus in caſu ſimili de quo loquimur, deberet ſacramentaliter abſolui, ſcilicet quando infirmus petijt confeſſionem in abſentia Confeſſarij, & ante aduentum eius deſtitutus eſt ſenſibus, reſpondit debere abſolui, & ſe eum abſoluturum, neque huiuſmodi caſum ſuo decreto vllo modo comprehendi; vt anno 1608. 16. Aprilis teſtati ſunt ex eo audiuiſſe, Cardinalis Bellarminus, & Archiepiſcopus Armacanus; addens etiam ſe priuaturum parochũ ſibi ſubiectum, qui in ſimili euentu pœnitenti moribundo negaſſet abſolutionem; & præterea literas de hac re teſtimoniales ſua manu ſubſcriptas, dedit Prouinciali in belgio Franciſco Florentino e Societate Ieſu, & Patri Leonardo Leſſio Romæ, tunc temporis exiſtentibus, quæ omnia ex Coninchio, & Ioanne Sancio. Refert ipſe Boſſius ſupra num. 363. quare neganda eſt ſecunda conſequentia, ad cuius probationem nego ſuppoſitum antecedentis; ſupponit enim falſo Pater Boſſius, quod confeſſio, peccatorum, quæ fit

in genere dumtaxat cum alio modo ob impotentiam phyſicã, aut moralem, alio modo à pœnitente fieri non poteſt eſſe cõfeſſionem ſacramentalem ſtrictè ſumptam, ſicut eſt ea, quæ fit explicitè, & in ſpecie, quod eſt omnino falſum: nam illa eſt confeſſio ſacramentalis ſtrictè ſumpta per quam pœnitens ſatisfacit omni ex parte obligationi, quam ex Chriſti præcepto habet coram Iudice; at, qui cõfitetur peccata ſecundum genericã dumtaxat rationem, ob aliquam impotentiam phyſicam, aut moralem, non ſatisfacit omni ex parte obligationi, quam ex Chriſti præcepto habet, nempe cõfitendi omnia ſua peccata diſtinctè, & ſecundum ſpeciem, aliàs non teneretur poſtea ablata impotentia confiteri peccata prius in genere confeſſa iterum in ſpecie, & indiuiduo: ergo confeſſio peccatorum genericè ſumptorum, non eſt cõfeſſio ſacramentalis ſtricta licet ob grauem neceſſitatem, aut impotentiam dictam ſufficiat ad validitatem Sacramenti pœnitẽtię.

RESOLVTIO VI.

Vtrum qui confeſſus eſt, ſe centies plus minusue commiſiſſe peccatum furti, ſi deinde certo ſciat, fuiſſe centum quinquaginta furta teneatur confiteri exceſſum?

129 HAEc difficultas maxime pẽdet ex alia difficultate, ad quod ſcilicet ſe extendant illa verba plus minuſue, in qua difficultate variè loquũtur Doctores aliqui dicũt extendi ad duo, vel tria; alij vero prædicta verba extendunt ad quartam partem ſummæ cui adijcitur, vt ſi dicas octo plus minuſue verificetur in ſex, vel in decem, quia duo ſunt quarta pars ex octo, ſic aliqui, quos refert Gloſa in lege hęc adiectio 192. ff. de verb. ſignificat. alij dicunt illa verba verificari poſſe de quinque pro quolibet centenario, alij denique de viginti pro quolibet centenario, quorum Doctorum sẽtentiam refutat, vt bene Eminẽtiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 2. num. 94. alij præterea docent, quod qui confitetur ſe peccaſſe decies plus, minuſue; tunc ijs verbis comprehendit alias tres, vel quatuor vices, ita Pater Gaſpar Hurtado de Sacrament. diſput. 9. de pœnitentia diff. 5. Diana part. 4. tract. 4. reſolut. 204. Filliucius tract. 7. cap. 4. num. 82. apud Lugum inuenies citatum Dianam reſol. 294. nõ rectè. Alij autem prædicta verba plus, minuſue, aut parum plus, vel minus, ad ſummam paruam referri affirmant, quanta autem debeat eſſe, non poſſe vniuerſali regula definiri, ſed arbitrio prudentis relinqui; notant tamen, quod quo maior eſt numerus peccatorum, qui nominatur, maior numerus debet intelligi verbis illis plus, minuſue, ita Eminentiſſimus Lugo vbi ſupra num. 96. Vaſquez quæſt. 91. art. 1. dub. 6. num. 2. Leander de Sacrament. part. 1. tract. 5. de pœnitent. diſput. 5. quęſt. 10.

130 Pater Angelus Maria Verricellus in ſuis qq. moral. & legal. lib. tract. 1. ſingularium opinionum quęſt. 8. num. 4. affirmat illã particulã plus, minuſue addere mediocritatẽ ſupra sũmam expreſsã, & cõſequẽter docet, quod qui con-

confeſſus eſt ſe centies, plus, minusue, furatum ſi deinde certo ſciat fuiſſe centum quinquaginta furta, non teneri iterum ea confiteri. Verba iſtius Doctoris ſunt: dico illam particulam, circiter, aut plus, addere quo ad confeſſionem medietatem ſupra ſummam expreſſam: vnde qui confeſſus eſt, centum plus, minus furta commiſiſſe, non tenetur iterum confiteri, ſi comperiat, fuiſſe centum quinquaginta, etiam ſi certus ſit, ex reperta cartula v.g. in qua ſingula ſingulis diebus denotauerat furta: ita ille; qui quamuis in fine dictæ quæſtionis aſſerat non eſſe recedendum à communi ſentẽtia oppoſitum affirmante, nihilominus hanc ſententiam, vt propriam defendit, tum quia in hac quæſtione ad argumenta, quæ format in fauorem huius ſententiæ non reſpondet; tum etiam, quia poſtea tract. 5. de ſcrupulorum cauſis, & remedijs quæſt. 6. num. 23. abſolute affirmat, quod qui confeſſus eſt ſe decies circiter fornicatum, comperiens deinde fuiſſe vigeſies, non tenetur iterum confiteri, pro qua opinione citat Viualdum in candelabro aureo, tit. 7. §. ſed dixi nu. 3.

131 Probat ſuam ſententiam primo Pater Angelus Maria Verricellus, quia quamuis proprietas dictionis circiter, aut plus minus, importet adiectionem paruæ ſummæ ſupra expreſſam, tamẽ in declaratione numeri peccatorum præſertim cum numerus eſt magnus, & longi temporis, ex communi vſu loquendi cõfitentium ſignificat longè maiorem quantitatem: ergo addit dimidium ſupra quantitatem expreſſam, propter ingentem difficultatem, ac ferè moralem impoſſibilitatem, quæ eſt in expreſſione certioris numeri, ſeu in reſtrictione ad illam propriam, ac legalem ſignificationem dictionis pluris vt modicam quantitatem exprimat: probatur conſequentia: nam qui per annum furatus eſt, atque fornicatus, & dixit, hoc anno bis plus minuſue, aut circiter in hebdomada furatus ſum, & centies, plus minuſue, fornicatus in toto hoc anno, ſi deinde certiſſimè comperiat, fuiſſe centum quinquaginta furta, centum quinquaginta fornicationes, non tenetur repetere confeſſionem furtorum, vt docent omnes, quia particula circiter, aut plus minus, comprehẽdit tertium furtum in hebdomada: ergo neque tenetur repetere confeſſionem fornicationum, probo conſequentiam: nã potuiſſet eodem modo confiteri fornicationes, dicendo bis circiter, in hebdomada fornicatus ſum, ſiquidem liberum eſt pœnitenti exprimere numerum frequentium fornicationum vtroque modo, vel dicendo centies circiter, vel dicendo bis in hebdomada fornicatus ſum, qui numerus redactus ad vnam ſummã continet centum quinquaginta, ſunt enim in anno ferè 52. hebdomadæ.

132 Secundo probatur, quia turpi amore fauciatus ſufficienter explicat numerum cogitationum, dicendo per menſem quaſi continuè mulierem concupiui, nec tenetur ſe magis explicare, vt docet Coninchius de Sacramẽt. diſp. 7. dub. 7. num. 151. & 152. & tamen magnum eſt in hoc numero ineundo diſcrimen, ſi præſens erat mulier excitans ad turpem amorem, vel abſens; frequentiora enim ſunt præſente obiecto deſideria, quia præſentia excitat ad amorem: ergo non te-

netur ad exactiſſimam diſcuſſionem numeri, an ſcilicet decem, vel quindecim fuerint deſideria ſingulis diebus, ergo illa particula circiter, aut plus minusuè, ita explicanda eſt in expreſſione peccatorum, vt non redigatur ad paruæ quantitatis anguſtias, ſed iuxta ſubiectam materiam ob memoriæ defectum, & ingentem difficultatem in vero numero ſupputando, debet ea particula circiter, aut plus minuſue extẽdi non ad modicam quantitatẽ, ſed ad magnam, & ad dimidiam ſaltem, ſupra expreſſam, alioquin nunquam poſſent ſe ſatis pœnitentes explicare, quia ſemper inuenies, diligentiſſime facto calculo magnum exceſſum, & ſic nunquam eſſet finis ſcrupulorũ.

133 Tertio probatur: quia ob difficultatem magnam in aliquorũ peccatorum numero, non debet Confeſſarius inſtare, vt ineatur numerus per dies, hebdomadas, aut menſes, quia dum pœnitens ad talem ſupputationẽ cogitur, ſæpiſſimè certum numerum confitendo mentitur, vnde ſufficit exprimere tempus, & conſuetudinem peccandi, vt docet Victoria de Sacramentis num. 178. Reginal. lib. 6. num. 123. ſic ſufficit in meretrice, & concubina exprimere tempus prauarum cogitationum, quamuis debeat per hebdomadas exprimere numerum fornicationum, vt aduertit Vaſquez 3. par. tom. 4. quæſt. 91. art. 1. dub. 5. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 89. Lugo de pœnitentia diſp. 16. nu. 573. ſic in periurijs, in delectationibus moroſis, in furtis, in deſiderijs quarumcũque mulierum, quæ obuię ſunt, in turpibus colloquijs, & ſimilibus frequentibus peccatis, in quibus impoſſibile eſt aliquem numerũ inire per menſes, aut hebdomadas, ſine periculo maximi erroris in ea ſupputatione; vnde in his ſufficit tempus explicare, vt tenet Lugo nu. 574. 575. & 576. ergo expreſſo magno numero, vt quingentum, cum labilis ſit memoria, & difficillimum ſit numerum ſupputare, pœnitentem falli, & mentiri ſæpiſſimè neceſsè eſt, ſi adiecta particula circiter, aut plus minuſue ſolum decem addat ſupra centum, iuxta propriam ſtrictam, ac legalem huius dictionis ſignificationem, conſequenter illa particula circiter, aut plus minus ex vſu, & intentione confitentium non ſignificat ſola decem ſuper centũ, ſed tantam tamque magnam quantitatem, vt pœnitens liber ſit ab errore, & a timore repetẽdi confeſſiones, alioquin nemo tutus eſſe poterit.

134 Quarto probatur: quia illa iudicatur ſufficiens expreſſio peccatorum, qua peccatoris ſtatus innoteſcit; ſed quando quis confitetur ſe centies circiter furatũ, idem iudicium de ipſo fit, ſi verè centum, aut centum, & decem, vel centum quinquaginta deinde comperiat: ergo ſufficienter confeſſus eſt, ſe centies circiter furatum.

135 Quinto probatur: quia non tenetur ruſticus repetere præcedentes confeſſiones, groſſo modo, cum indocto Parocho factas, vt aiunt Henriquez lib. 5. cap. 3. num. 10, Fagundez de præcepto confeſſionis lib. 3. cap. 4. nu. 10. & cap. 2. num. 5. Lugo de pœnit. diſp. 16. num. 577. ergo neque tenetur iterum confiteri, qui bona fide confitetur, centies circiter in anno ſe fornicatum, ſi poſtea comperiat, eſſe centũ quinquaginta. Conſequentia probatur: quia vterque tam ruſticus,

quam

quam iſte bonafide confeſſus eſt, vterque ob difficultatem nõ explicauit certum numerum, vterque fuit directè abſolutus ab omnibus, vterque groſſo modo confeſſus, neque repetere tenetur confeſſionem ; ergo neque tenetur iſte cum in vtraque ſit par ratio.

136 Communis, & vera ſententia affirmat, eum qui confeſſus eſt ſe centies plus minuſue furatum, ſi deinde certo ſciat, fuiſſe centum quinquaginta furta teneri confiteri exceſſum; ita Sotus in 4. diſt. 18. art. 4. Sylueſter verbo confeſſio 1. num. 12. Sà num. 32. Filliucius tract. 7. num. 82. Fagundez in præcep. Eccleſiæ præcep. de confeſſ. lib. 3. cap. 44. num. 9. Villalobos in ſumma tõ. 1. tract. 9. difficult. 33. num. 5. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 94. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 2. §. 5. Leander de Sacramentis part. 1. tract. 5. de pœnitentia diſput. 5. quæſt. 10. & alij, quos citaui ſupra num. 128. Ioannes Sancius in ſelectis diſp. 2. num. 13.

137 Probatur communis ſentẽtia ; nam vt bene notat Eminentiſſimus Lugo ſupra num. 97. ad verificanda illa verba plus minuſue, ſemper debet interuenire aliqua paruitas in eo quod additur, vel aufertur : cum autem paruitas aliquando ſit abſoluta, vt quando id quod additur in ſe ipſo abſolutè eſt paruum; aliquãdo vero eſt reſpectiua, quando ſcilicet licet in ſe non ſit paruum id quod additur, eſt tamen paruum reſpectiuè ad aliquid multo maius. Vnde prouenit, quod quando verba illa plus minuſue, adducitur numero paruo, verificari, etiã ſi id quod additur, vel aufertur ſit tertia pars, vt ſi dicat aliquis peccaui ter, plus minuſue, vera ſunt ſi ſolum bis, aut quater ille peccauit, quia licet vnum ſit tertia pars numeri ternarij, eſt tamen in ſe ſatis paruũ; atqui ille, qui dicit ſe centies peccaſſe plus minuſue, non dicit verum ſi peccauit centum quinquaginta vicibus: ergo ille, qui confeſſus eſt ſe centies plus minuſue, furatum, ſi poſtea certò ſciat fuiſſe centum quinquaginta furta, tenetur confiteri prædictum exceſſum, maior colligitur ex lege hæc adiectio 192. ff. de verborum ſignificatione, ibi hęc adiectio plurisue non infinitam pecuniam continet, ſed modicã dumtaxat. Adiectio hæc ſolidorum decem pluriſue, ad minuſculam ſummam refertur. Vnde colligũt communiter Doctores particulam illam plus minuſue, ſignificare paruam quantitatem ſupra expreſſam, eamque arbitrio iudicis definiendam iuxta ſubiectam materiam, & iuxta quantitatem expreſſam, nam debet quantitas adiecta eſſe modica, non ſolum in ſe, & abſolutè conſiderata, ſed etiam reſpectiuè ad quantitatem expreſſam Gloſa in dicta leg. hæc adiectio, & ibi Alciatus Gloſa in leg. & ſi poſt tres ff. ſi quis cautionibus Angelus conſ. 127. Alexand. cõſil. 82. in fine lib. 7. Rota deciſ. 220. num. 6. part. 2. diuerſorũ. Menochius de arbitrar. caſu 46. minor vero probatur: quia quinquaginta furta, neque in ſe, neque reſpectiuè ad centum ſunt aliquid paruum, vt de ſe notum eſt: ergo ſi dicas peccaui centum plus minuſue, non erunt verba illa vera, ſi centum quinquaginta peccaſti: ergo teneris confiteri exceſſum.

138 Nec valet ſi dicas quod licet proprietas dictionis plus minuſue, importet adiectionem paruę ſum-

ſummæ ſupra expreſſam, tamen in declaratione numeri peccatorum, præſertim, cum numerus eſt magnus, & longi temporis, ex communi vſu loquendi confitentium, ſignificat longè maiorem quantitatem, & ſic addit dimidium ſupra quantitatem expreſſam, hoc inquam non valet, tum quia licet in eo iudicio formãdo in hoc caſu debeat ſeruari hæc regula, vt quo maior eſt numerus, qui nominatur; maior etiam numerus poſſit intelligi verbis illis plus minuſue, aut alijs ſimilibus, tamen hoc nõ debet accipi proportione arithmetica, vt dicunt, ſed Geometrica: hoc eſt non debet accipi, vt ſi numero minori addita extendantur ad quintam partem, addita etiã numero maiori poſſint extẽdi ad quintam eius partem v. g. cum dicis, peccaui decies plus minuſue, verificatur, ſi octo, vel duodecim vicibus peccaſti, atque adeo illa verba addunt, vel demunt quintam partem numeri denarij quæ eſt duo: at cum dicis peccaui cẽties plus minuſue non verificantur verba ſi quinquaginta ſolis, vel centũ quinquaginta peccaſti vicibus; quia quinquaginta, quæ eſt dimidia pars numeri centenarij, non eſt paruum, ſed multum, plus, vel minus, vt in probatione huius communis ſententię diximus num. præcedenti, tum etiam: quia in caſu præſenti, nõ tam attenditur in declaratione numeri peccatorum intẽtio cõfitentium, quam integritas cõfeſſionis ſacramentalis, quæ ad ſui integritatem petit manifeſtationem omnium peccatorum, tam in ſpecie, quam in indiuiduo factam Confeſſario; & licet quando peccatorum numerus eſt magnus ob difficultatem, ſeu moralem quaſi impotentiam facto debito examine peccatorũ, liceat pœnitenti ad fugiendum mendacium vti illis verbis plus minuſue, debent ſumi in propria ſignificatione, vt ſcilicet denotent adiectionem paruam, vel abſolutè in ſe ſi numerus expreſſus ſit paruus, vel reſpectiuè ſi numerus expreſſus magnus ſit, vt ſupra explicui: ex quo non licet inferre, quod in omni numero expreſſo peccatorum, ſiue paruo, ſiue magno, verba illa plus minuſue, addant, aut diminuant medietatem, ſeu dimidium ſupra quantitatem expreſſam, propter rationem ſuperius dictam num. 136. aliàs ſequeretur, quod ſi quis diceret, peccaui decies in hoc peccato, & de omnibus alijs, quæ Deus ſcit me commiſiſſe, in hoc caſu, quorũ non recordor, me accuſo, & dico meam culpam, non tenetur iſte talis amplius confiteri: ſi poſtea aliqua illi veniſſent in memoriam quamuis excederẽt medietatem numeri expreſſi; ſi in illis verbis plus minuſue, attendendus eſſet vſus confitentium: quod eſt falſum; vt omnes fatentur contra Viualdum in candelabro aureo de confeſſione tit. 7. §. Sed diximus num. 3. qui ait, eum qui confeſſus eſt centum furta, plus minuſue ſatisfeciſſe, quamuis deinde cognoſcat fuiſſe ducentum: nam numerus cẽtenarius, ſcilicet centum furta eſt materia magna, tam abſolutè, & in ſe, quam reſpectiuè ad quantitatem expreſſam, & ideo neceſſario confitenda.

139 Ad primum fundamentum Patris Angeli Mariæ Verricelli reſpondetur concedendo antecedens in ſenſu explicato num. 136. & negando conſequentiam, ad cuius probationem reſpõdeo pri-

primo negando antecedens, nec oppoſitum docetur à Theologis; (vt malè putat Verricellus) qui licet concedant nonnulli, quod qui confeſſus eſt ſe bis circiter, aut plus minuſue, furatum, particula illa, circiter, includat tertium furtum, quia tertium furtũ eſt quantitas parua in ſe, tamen, quãdo quis in annuali cõfeſſione confitetur ſe bis circiter in hebdomada furatum, ſi deinde certiſſimè comperiat, fuiſſe centum quinquaginta furta, tenetur confiteri exceſſum: nam licet quodlibet tertium furtum ſecundum ſe conſideratum, ſit quantitas parua, conſiderata tamen quinquaginta illa furta collectiuè ſunt magna quantitas, non ſolũ ſecundum ſe conſiderata; ſed etiam reſpectiuè ad quantitatẽ expreſſam: & quod centum illa furta confiteãtur per hebdomadas in confeſſione illa annuali, dicendo peccaui bis circiter in hebdomada, aut ſimul, & collectiuè dicendo centies in hoc anno plus minuſue, furatus ſum, quod accidentarium eſt ad integritatem eſſentialiter requiſitã in confeſſione. Secundo reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis ſtat in hoc, quod quando quis in annuali confeſſione ſe accuſat bis in hoc anno plus minuſue in hebdomada furaſſe, conſequẽter implicitè ſubijcit clauibus Eccleſiæ tertium aliud furtum in qualibet hebdomada inclusũ in illis verbis, plus minuſue, & Confeſſarius de illo tertio furto facit iudicium quãuis non explicitum, & determinatum, ſed conditionatum, & implicitum, & ita illa quinquaginta furta manẽt implicitè ſubiecta clauibus Eccleſiæ, & directè abſoluta ſub conditione ſi fuerunt commiſſa. Vnde quando explicitè cognoſcuntur cõmiſſa, non eſt neceſſarium illa confiteri iterum, quia implicitum efficit, quod explicitum faceret: lege cum quid ff. ſi certũ petatur. lege vltima ff. de legatis 2. lege vltima C. qui bonis Couarruu. in cap. quamuis pactum part. 2. nu. 6. Menocchius conſ. 108. num. 54. Souſa in bullam Cęnæ diſp. 101. num. 2. Gõzalez ad regulam 8. Gloſa 14. nũ. 64. Franciſcus Leo in theſauro part. 3. cap. 7. num. 61. & ideo non manet defraudatum in re graui iudicium Confeſſarij, quãdo autem, quis ſe accuſat centies in anno fornicaſſe, plus minuſue, & poſtea certo ſcit centum quinquaginta commiſiſſe fornicationes, tenetur confiteri exceſſum; quia nec quinquaginta illæ fornicationes includuntur in illis verbis plus minuſue, cum ſint magna quantitas, tam abſolutè, & in ſe, quàm reſpectu quantitatis expreſſæ, nec manent ſubiecta Eccleſiæ clauibus explicitè, aut implicitè, nec manent directè abſoluta per ſacramentalem abſolutionem, etiam ſub conditione, & ita manet defraudatũ in materia magna, & graui iudicium Confeſſarij, qui ſumit (vt debet) verba illa plus minuſue, in propria ſignificatione, quæ vt ſupra diximus ſignificant paruitatem ſummæ ſupra quantitatem expreſſam.

140 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur negando vltimam conſequentiam: nam licet quãdo numerus peccatorum eſt magnus, particula circiter, aut plus minusue, ſe extendat ad quantitatem magnam iuxta quantitatem expreſſam, vt ſupra diximus, nihilominus ſemper debet hoc intelligi de quantitate magna

gna in ſe, & parua reſpectiue ad quantitatem expreſſam: cum autem medietas ſupra numerũ centenarium expreſſum, ſit quãtitas magna, tam ſecundum ſe, quam reſpectiuè ad quantitatem expreſſam vt de ſe notũ eſt, ideo tenentur illa quinquaginta cõfiteri, nec valet paritas de numero actuum internorum; quia in his actibus internis videtur impoſſibile, eos ad aliquem numerum reducere, ſine periculo maximi erroris per exceſsũ, aut defectum, quod non contingit in noſtro caſu.

141 Ad tertium reſpõdetur, quod licet verum ſit, quod quo maior fuerit quantitas expreſſa peccatorum in confeſſione ad maiorẽ numerum debeat ſe extendere particula circiter, aut plus minuſue, tamen non poteſt hoc definiri vniuerſali regula, vt ſemper ſe debeat extendi ad medietatem quantitatis expreſsæ (vt malè infert Verricellus) ſed arbitrio prudentis viri relinquitur vt ſupra diximus ex Gloſſa, & tenet Vaſquez quæſt. 91. art. 1. dub. 6. nam hic non agimus de proportione Arithmetica, ſed Geometrica, vt ſupradixi num. 137. nec valent inſtantiæ in argumento poſitæ: nam ideo in his caſibus, & ſimilibus ſufficit explicare tempus, quo in tali ſtatu, & conſuetudine peccandi quis perſeuerauit, quia videtur impoſſibile talia peccata ad aliquem numerum reducere ſine periculo maximi erroris in aſſignatione numeri prædictorum peccatorum, quod non ſolum eſt dicendum de meretrice inueterata, ſed etiam de quocumque alio peccatore, in quo æqualis ſit difficultas explicandi numerũ, aut illum reducendi ad aliquam multitudinem confuſam, vt ex Vaſquez notauit Eminentiſſimus Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 14. num. 574.

142 Ad quartum reſpondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem quo ad ſecundam partem: nam quando quis confitetur ſe centies plus minuſue, furatum, prudens Confeſſarius accipit illam particulam plus minuſue, ita vt denotet quantitatẽ paruam reſpectiuè ad quãtitatem expreſſam, cum autem quinquaginta furta ſint magna quantitas, non ſolum in ſe, ſed etiam reſpectiuè ad centum furta expreſſata in confeſſione, & decem furta ſunt quantitas parua reſpectiuè ad centum furta in confeſſione expreſſata, ideo non fit idem iudicium quando quis confitetur ſe centies plus minuſue furatum, ſi verè cẽtum, aut centum & decem, vel centum quinquaginta deinde comperiat: & ita falſa eſt conſequentia.

143 Ad quintum reſpondetur diuerſimodè loqui Doctores circa veritatem antecedentis; nam Henriquez lib. 5. cap. 3. num. 10. vbi Gloſa citat Illuſtriſſimũ Dominum Ferdinandum Guerrerium Archiepiſcopum Granatenſem poſt conſultationem cũ viris doctis; Fagundez in præcept. Eccleſiæ præcept. 2. lib. 3. cap. 4. num. 10. & cap. 2. num. 5. aſſerunt ruſticum, qui groſſo modo ſuo indocto Parocho confitetur bona fide, ſine numero, aut diſcuſſione peccatorum, nõ eſſe cogendum poſtea repetere confeſſiones, ſic factas; quia cũ hi habeant vniformem vitæ modum, nec extraordinarijs vitijs, aut negotijs ſint affecti, ex his quæ fatentur ſe vna hebdomada, aut menſe feciſse, facile cõiectat Confeſsarius expertus,

quan-

quantum pro toto anno peccauerit, prout requiritur ad rectũ iudicium, & remedium peccatorum, ita præfati Doctores, qui ſi verba eorum attendas, non videntur loqui de repetitione prę-teritarum confeſſionum, & de accuſatione de peccatis præteritis commiſſis ante vltimam confeſſionem, ſed ſolum de explicatione magis diſtinctè numeri peccatorum, vt conſtat ex ratione, quam tradit Fagũdez dicto cap. 2. num. 5. vbi ſic ait: ruſtici enim, & agreſtes homines, nihil præmeditari noſcunt, ſed groſſo modo, ac pene inculto ſine certo numero, & ſine diſcuſſione conſcientiæ bona fide confitentur, & hi quidem cogendi non ſunt repetere confeſſiones præteritas, factas cum indoctis Parochis, ſed iuuandi ſunt à prudenti Confeſſario, præmiſſis nonnullis interrogationibus meliori modo, quo fieri poteſt: Cum enim huiuſmodi ruſtici habeant ſemper eumdem viuendi modum, & extraordinarijs vitijs, ac negotijs, non ſint aſſueti, ex ijs, quæ confitentur ſe vno menſe, vel hebdomada commiſiſſe, facile conijcere poteſt expertus, prudenſque Confeſſarius, quantum in toto anno, aut reliquis annis labentibus deliquerint, & ſic formare poſſunt facile Confeſſarij iudicium plenum, ac ſufficiens ſtatus conſcientiæ ruſticorum, vt conueniens remedium apponãt, ita docet Henriquez lib. 2. de pœnitentia cap. 3. num. 10. & eſt vera doctrina illius, ita Fagũdez, quod ſi in ſenſu horum Doctorũ loquamur. Conceſſo antecedẽti neganda eſt conſequentia, ad cuius probationem dico: quod licet vterque, tam ruſticus, quam ille, qui confeſſus eſt ſe centies plus minuſue furatum, bona fide confeſſus eſt, vterque ob difficultatem non explicet certum numerum peccatorum, nego tamen vtrũque fuiſſe directè abſolutũ ab omni numero peccatorum: nam aliàs non requireretur, quod quando ruſticus confitetur cum Confeſſario prudenti, & docto, poſt præfatas confeſſiones cum Parocho ignoranti, & indocto, prudens Confeſſarius præmiſſis aliquibus interrogationibus, recognoſcat modũ viuendi illius ruſtici, ex quo ex his quæ confitetur ſe vno menſe, vel hebdomada commiſiſſe conijciet quantum in toto anno, aut reliquis annis labentibus deliquerit, & formet iudicium plenũ, vt ſufficiens remedium apponat, pertinens ad integritatem aliarũ confeſſionum antecedentium, & ad hoc vt omnia peccata illius ruſtici ſecundum ſpeciem, & numerum maneant ſubiecta clauibus Eccleſiæ, & directè abſoluta.

144 Sed doctrina horum Doctorũ non placet Eminentiſſimo Cardinali Lugo, & contra illam ſic arguit num. 578. quia ſi ruſticus ille cogendus non eſt magis diſtinctè dicere numerũ peccatorum prius confusè explicatum, eo quod ex vniformi eius vita colligitur, quid toto illo tempore fecerit, ergo & Parochus cui magis notus erat pœnitens, potuit melius ex illo loquendi modo colligere, quid toto anno feciſſet, atque adeo potuit tunc formare ſibi iudicium ſufficiens non minus, ſed magis, quam Cõfeſſarius doctus poſtea, propter maiorem notitiam, quam de pœnitente Parochus proprius habebat. Ergo non eſt obligatio vlla ſubijciendi iterum eadem

peccata præterita clauibus, ſi nõ eſt obligatio magis diſtinctè explicandi eorum numerum, itaque concludit Eminentiſsimus Lugo, quod dum ruſticus ille manet in eadem impotentia, nõ eſt cogendus àd explicãdum melius ſuum ſtatum, quod ſi huic adhæreamus doctrinæ; reſpondetur ad argumentum concedendo antecedens in ſenſu dicto, & negando conſequentiam. Ratio diſparitatis ſtat in hoc quod in ruſtico remanet, vt ſupponitur impotentia, vel difficultas explicãdi melius ſuum ſtatum, & ideo non eſt cogendus repetere confeſſiones factas groſſo modo ſuo cum Porocho indocto; at ille, qui confeſſus eſt ſecenties plus minuſue furatum, quando poſtea certo ſcit eſſe centum quinquaginta tenetur cõfiteri exceſſum: quia illa quinquaginta furta nõ fuerunt incluſa in illis verbis plus minuſue, quæ ſolum includunt materiam paruam, vel in ſe, vel reſpectiue ad quantitatem expreſſam; cum autem quinquaginta furta, ſint quantitas magna, tam in ſe, quam reſpectiuè ad centum illa, quæ expreſſa fuerunt in confeſſione, ideo tenetur confiteri, vt ſupra diximus.

145 Si autẽ loquamur in caſu quo ruſticus ille propter maiorem notitiam, quam poſtea acquiſiuit, vel puer grandior factus, melius iam poſſet explicare numerum, quem ſub illa generalitate; & ita groſſo modo dixerat in confeſſionibus bona fide antea factis, an ſcilicet in hoc caſu teneatur repetere confeſſiones, vel nõ grauis eſt difficultas inter Doctores, ad quam difficultatem reſpondet Eminentiſſimus Lugo ſupra num. 585. quod ſtãdo in ſententia illa communi, quæ affirmat, quod ille qui confeſſus fuit peccatum vt dubium, quando poſtea ſcit certo illud commiſiſſe, tenetur iterum illud peccatum, vt certum confiteri, conſequenter debent Auctores illius ſententiæ aſſerere, quod ruſticus ille tenetur repetere illas confeſſiones, quando poteſt melius, & magis diſtinctè numerum explicare, in qua doctrina ſtare debet Pater Angelus Maria Verricellus, cum affirmet cum communi ſententia, tract. 8. miſcellaneo quæſt. 21. quod peccatum dictum, vt dubium in confeſſione, debet iterum ceſſante dubio confiteri vt certum. Quare ſiſtendo in hac communiſſima ſententia reſpõderi poteſt ad argumentum negando antecedens: quia per illum modum confuſum confitẽdi, multa peccata dicta fuerũt, vt dubia, quæ nunc poſſent dici, vt certa: nam qui confitetur confusè multitudinem confuſam viginti peccatorum plus minuſue, non dicit vt certum peccatum vigeſimum primum imò nec vigeſimum, vt probaui reſolut. 2. ergo à fortiori ruſticus dicens, illum modum vitæ communem, non dicit vt certum talem numerum determinatum peccatorum, ſed plura comprehendit ſub aliquo dubio: ergo debet nunc dicere illa vt certa, ſi poteſt ſuppoſito maiori lumine, & inſtructione, quam nunc habet.

146 Sed quia durum videtur imponere hoc onus, etiam in eo caſu, vt optimè notat Eminentiſſimus Lugo dicta diſput. 16. à num. 580. vſque ad 583. ideo ſtando in illa doctrina ſatis probabili, & tuta in praxi,

praxi, quod qui confeſſus fuit peccatum, vt dubium, ceſſante dubio non tenetur iterum illud peccatum vt certum confiteri, vt dixi reſolutione ſecunda. Reſpondeo ad argumentum concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia peccata illa, quæ nunc magis diſtinctè cõfiteri poſſet ruſticus, iam omnia ſubiecta fuerũt prius directè clauibus Eccleſiæ, atque adeo ab eis fuit directè abſolutus: ergo non manet obligatus iterum cõfitendi magis diſtinctè poſtea eadem peccata; licet id facere poſſit, patet conſequẽtia: quia iuxta communem ſententiam non eſt obligatio iterum confitendi, & deferendi peccata ad hoc iudicium Sacramentale, à quibus pœnitens in eodem iudicio per Iudicem legitimum fuit directè abſolutus, antecedens vero probatur: nam materia directa illius prioris abſolutionis, nõ fuit alia, niſi quæ in illa confuſa ratione continebatur: ergo prædicta peccata fuerunt iam a Iudice legitimo directè abſoluta, quod nõ contingit in eo, qui confeſſus fuit ſe centies minuſue, furatum, & poſtea certo inueniet fuiſſe centum quinquaginta furta; nam illa quinquaginta furta non fuerunt in illo iudicio ſacramentali clauibus Eccleſiæ ſubiecta, nec à Iudice legitimo directè abſoluta, cum in illis verbis plus minuſue, non fuerint incluſa, vtpote quantitas magna, tum in ſe, tum reſpectiuè ad quantitatem expreſsã, vt ſupra diximus, ex quo patet ad probationem cõſequẽtiæ.

147 Sed dices ideo illa peccata cũ illa confuſione dicta, in alijs confeſſionibus fuerunt directè abſoluta per abſolutionem ſacramẽtalis confeſſionis, quia omnia ſub illa generali confuſione dicta, fuerunt ſaltem ſub dubio clauibus ſubiecta; atqui ille qui cõfitetur ſe centies plus minuſue furatũ ſub dubio ſubijcit Eccleſię clauibus quinquaginta alia furta: ergo manent clauibus ſubiecta, & directè per abſolutionẽ ſacramentalem dimiſſa: ergo quando cognoſcuntur, vt certa non tenetur pœnitens illa confiteri, ſicut non tenetur iterum confiteri, vt certum peccatum prius confeſſum vt dubium. Reſpondetur concedendo maiorẽ, & negando minorem, nam per illa verba plus minuſue, pœnitens ſub dubio ſolum ſubijcere poteſt Eccleſiæ clauibus numerũ peccatorum in aliqua ſpecie, qui ſit paruus, vel in ſe, vel reſpectiuè ad quantitatem expreſſam, vt ſupra dixi; & ſic qui confeſſus fuit ſe centies plus minuſue furatum, ſi poſtea comperiat fuiſſe centum viginti furta, nõ tenetur confiteri exceſſum; quia licet viginti illa furta ſint quantitas magna in ſe, eſt tamen parua quantitas, reſpectiuè ad centum furta expreſsè cõfeſsa; quinquaginta autem furta, non ſolum ſunt quantitas magna in ſe, ſed etiam reſpectiuè ad quãtitatem expreſſam, & ideo debent confiteri, quia nec fuerunt in prima confeſſione ſubiecta clauibus, nec directè à Iudice competenti remiſsa per abſolutionem ſacramentalem, ſicut fuerunt peccata ruſtici groſso modo ſuo, bona fide cum illa confuſione dicta in alijs confeſſionibus.

RESOLVTIO VII.

An qui facit confeſſionem generalem, & confitetur ſimul aliqua peccata commiſsa poſt vltimam confeſſionem, quæ nunquam prius cõfeſsus erat, teneatur explicare illa peccata, eſse commiſsa poſt vltimam confeſſionem.

148 QVamuis difficultas propoſita generalis ſit ſæcularibus, & regularibus, nihilominus magis claritatis cauſa eam in religioſis examinemus, an ſcilicet licitè, & validè abſoluatur Religioſa, aut Religioſus ille, qui erubeſcens fateri peccatum recenter commiſsum, petit à Confeſsario facultatem faciendi generalẽ confeſſionem, ſicque cum peccatis aliàs confeſſis, confitetur etiam peccatum nõ amplius cõfeſsum, abſque eo quod explicet eſse commiſsum inter vnam, & alteram confeſſionem.

149 Prima ſentẽtia ſubſtinet, quod ille, qui facit confeſſionem generalem tenetur neceſsario in illa explicare omnia illa peccata, quæ ab ipſo fuerunt commiſsa tempore mediante, inter vltimã confeſſionem ab eo fac tam, & illam generalem confeſſionem, quæ modo facit, vt confeſsarius cognoſcere valeat, quod dicta peccata non fuerunt ab ipſo pẽnitente antea confeſsa, nec directè clauibus eccleſiæ ſubiecta, aliàs confeſſio illa generalis erit ſacrilega, & nullius valoris, ita cum alijs docet Aloyſius Turrianus in opuſculo theologiæ centuriæ theolog. 4. dubio 7. aſserẽs contrariam ſententiam non eſse probabilem, nec tutam in praxi, imo potius pernicioſam bonis moribus.

150 Probatur primo hæc ſentẽtia, omnes fideles qui accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ recipiẽdum tenentur neceſsario taliter ſua peccata confiteri, vt in modo confitendi non defraudẽt notabiliter iudicium ſacerdotis, ſeu Confeſſarij, alias confeſſio erit nulla, & inualida; ſed ille, qui in confeſſione generali cum alijs peccatis iam ante ritè confeſsis, confitetur ſimul alia peccata recẽter commiſsa, & nondum ritè confeſsa, & in confeſſione non explicat talia peccata eſſe recenter commiſsa, & non antea confeſsa in alijs confeſſionibus notabiliter defraudat iudicium Confeſſarij: ergo facit confeſſionem nullam, & inualidam. maior manifeſtè colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 5. in illis verbis, *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognita cauſa, exercere non poſſe: neque æquitatem quidẽ illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiã habent in confeſſione recenſeri, etiã ſi occultiſſima illa ſint.* Minor vero probatur, quia ſi ille, qui facit talem confeſſionem generalẽ eſt Religioſus, poſſunt illa peccata recenter commiſsa, & non iterum confeſsa eſse in ſua religione reſeruata, quæ in ſęculo commiſsa non erant reſeruata, & ſi forte non ſint reſeruata fuerunt commiſsa poſt emiſsum votum ſollẽne v. g. Caſtitatis, ſi forte talia peccata fuerint cõtra ſextum decalogi præceptum: ergo cum Confeſsarius poſſit iudicare ſatis prudenter, quod illa peccata fuerunt à prædicto religioſo commiſ-

miſsa in ſęculo, etiam ante ritè confeſſa in alijs confeſſionibus poſito, quod non declaratur ab ipſo eſſe commiſſa tempore quo iam erat Religioſus, defraudatur manifeſte iudicium Confeſſarij notabiliter, tacendo tempus cõmiſſionis talium peccatorum, nã vel iudicat non eſſe reſeruata, ſi habeant annexam reſeruationẽ, vel iudicat non habere annexam ſpeciem ſacrilegij cum iudicet talia peccata; (ſi ſint contra caſtitatem) eſſe commiſſa in ſæculo, & conſequenter ignorat ſpeciem talium peccatorum. deinde, quia pœnitens poteſt eſſe pro illo tũc in occaſione proxima peccandi, & iterum relabendi, vel poteſt habere conſuetudinem præſentem peccandi, quam ſi habeat debet illam explicare, vt Sacerdos applicet illi medicinam, & iudicet an ſit diſpoſitus ad abſolutionem: ergo ſi pœnitens non explicat tempus in quo talia peccata commiſit, defraudat notabiliter iudicium Confeſſarij, & cõſequẽter facit confeſſionem nullam, & ſacrilegam.

151 Secundo probatur, quia magis diſtat peccatum remiſſum à non remiſſo, quã veniale à mortali, atqui pœnitens tenetur explicare eam circumſtantiam, quę facit, quod peccatum tranſeat de veniali in mortale, vel è contra: ergo debet etiam explicare, an confeſſus ſit illud peccatum, vel non ſit confeſſus, cum ea circumſtantia transferat de materia neceſſaria in non neceſſariam, quæ eſt pluſquam differentia ſpecifica in genere moris. Conſequentia eſt formalis, & minor manifeſte conſtat; nam ille, qui furauit paruam quantitatem exiſtenti in grauiſſima, vel extrema neceſſitate, aut occidit aliquem ſine plena aduertentia, tenetur in confeſſione dictas circumſtãtias explicare; quia prima tranſfert peccatum veniale in mortale, ſecunda verò mortale in veniale mutat, maior vero probatur: nam ens, & non ens magis diſtãt inter ſe, quam ens magnum, & paruum: ergo magis diſtat peccatum remiſsũm à non remiſſo, quam veniale à mortali.

152 Tertio probatur, Confeſsarius poteſt pęnitenti interrogare, an peccatum ſit recenter commiſsũ, vel tempore præterito, vt cognoſcat, an tale peccatum, fuerit ante iterum confeſsum, vel non, & pęnitens tenetur reſpondere, an confeſſus iterum ſit illud peccatum: ergo illa etiam circumſtantia neceſſario explicanda eſt in confeſſione præſenti. nec valet reſpondere. idem argumẽntũ fieri poſſe de circumſtantijs aggrauantibus intra eamdem ſpeciem, quas pœnitens interrogatus non poteſt negare, licet de ſe illas explicare nõ teneatur, & ita admiſſo antecedenti negare cõſequentiam; quia multa poteſt, & aliquando debet interrogare, Confeſsarius, ad melius exercẽdum munus ſui officij, quæ pœnitens non interrogatus explicare non tenetur, vt communiter docent Doctores. hoc inquã non valet: nam hæc circumſtãtia eſt omnino neceſsaria ad hoc vt Confeſsarius poſſit prudenter imponere pœnitentiam; cum leuiorẽ debeat imponere pro peccatis iam iterum confeſſis, & punitis in alia confeſſione, quam pro nunquam confeſſis, nec in alia confeſſione punitis: ergo nõ poteſt pęnitens illam tacere.

153 Quarto probatur; quia pœnitens dicens ſe velle facere confeſſionem generalem, eo ipſo indicat peccata illa, quæ confitetur eſse antiqua, & non proxime com-

commiſsa; at qui ſi expreſsè diceret ea peccata eſse antiqua, præter quam quod mentiret in confeſſione, deciperet grauiter Confeſsarium: ergo idem erit ſi implicitè dicat: probatur conſequentia: nam explicitum, & implicitum quo ad hoc non videntur differre, nec valet ſi reſpondeas, pœnitentem ſufficienter declarare ſuum peccatum, etiam ſi expreſsè dicat illud fuiſse factũ anno præterito, cum factum ſit hoc menſe: quia illa circumſtantia videtur eſse omnino extrinſeca: ſicut ſi diceret ſe dum eſset veſtitus odio habuiſse Petrum, cum tamen eſset tunc in lecto nudus, nam odium idem eſt, & ſecundum ſe totum declaratur, hoc itaque non valet: nam iuxta probabilem ſatis ſententiam, quã ex philoſophia ſuppono, actiones, & actus voluntatis durant ſe ipſis, atque adeo aſſignantur eſſentialiter ad talem durationẽ: vnde actus voluntatis, qui fit hodie, non eſt idem cum eo, qui potuit fieri anno præterito: ergo ſi dico me peccaſſe anno præterito, non confiteor peccatum, quod feci hodie, ſed aliud diſtinctum, & conſequenter decipio grauiter Confeſſarium, & mentior in confeſſione in re graui. 155

154 Secunda ſententia, quæ mihi probabilior videtur affirmat eũ, qui hodie commiſit peccatum, ſi nolit Confeſſario manifeſtare, nunc illud commiſiſſe, poſſe facere confeſſionem generalem, & illud peccatũ miſcere cum alijs, ne Cõfeſſarius aduertat tale peccatum fuiſſe nunc perpetratum, ita ut tale peccatum nõ ſit reſeruatum, vel confiteatur cum habente iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis, ita tenent eruditiſſimus Diana part. 3. tract. 4. reſol. 62. & part. 4. tract. 3. reſol. 65. Eminentiſſimus Cardinalis Lúgo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 1. §. 1. num. 46. Pellizzarius in manuali regular. tom. 1. tract. 5. de obligatione ſacramentalis cõfeſſionis cap. 3. ſect. 1. quæſt. 32. & tomo de monialibus cap. 10. ſect. 3. ſub ſect. 1. quæſt. 29. num. 195. Thomas Tamburinus in opuſculo ſacramentalis confeſſionis lib. 2. cap. 1. Vincentius Tancredi in quæſtionibus moralibus diſp. 6. quæſt. 1. & hanc opinionem tenentur ſequi Thomas Sanchez lib. 1. in decalog. cap. 10. num. 71. & Suarez de pœnitent. diſp. 22. ſect. 9. quatenus affirmant, quod pœnitens non tenetur explicare ſe iam iterum confeſſum fuiſſe illud peccatum, ſed poſſe peccatum antiquum confiteri, non explicando tempus, in quo caſu idem docet Coninch diſp. 17. dub. 8. num. 69. & Bonacina de Sacramẽtis diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punt. 2. §. 3. difficult. 4. num. 5.

Hanc autem ſententiam limitant Cardinalis Lugo, & Pater Thomas Tamburinus vbi ſupra, niſi à Confeſſario interrogetur pœnitens de tempore in quo tale peccatum commiſit; quia tũc pœnitens tenetur reſpondere verum, aliàs cõfeſſio erit ſacrilega, ſi Confeſſarius petat, & ipſe pœnitens poſitiue dicat, ſe tale peccatum commiſiſſe non nunc, ſed tempore præterito, cuius rationẽ reddit Pater Tamburinus loco citato numero 6. quia quando pœnitens negatiue ſe habet, & nihil dicit de tempore in quo delictum commiſit, certè ſuum preſens delictum commiſſum confitetur, quia in ipſa confeſſione illud inuoluit cum alijs peccatis iterum confeſſis: quare eſto Cõfeſſarius apprehendat illud eſſe peccatum alio tempore fac-

factum, tamen pœnitens hoc nõ dicit: sed Confessarius ipse per se sic appræhendit, & cum ex alia parte Confessarius, quando absoluit habeat intentionem absoluendi omne illud peccatũ, quod potest, & à pœnitente dictum, & manifestatum est, non est periculum irritandi pœnitentiæ Sacramentum, at vero, quando positiuè pœnitens affirmat illud esse peccatum antiquum cum sit recens commissum: non explicat neque implicitè quidem suũ præsens delictum, sed aliud antiquum, quod non fecit; atqui hoc esset non fateri omnia sua peccata, ergo in tali casu committeret sacrilegium.

156 Sed hæc limitatio Patris Thomæ Tamburini, non placet Patri Vincentio Tancredi loco superius citato, quare absolutè affirmat validam esse confessionem, quãuis pœnitens positiuè dicat se illud peccatum non tunc, sed antea commisisse. Cuius fundamẽtum est, quia mentiri in confessione quando mendacium non impedit quin omnia peccata mortalia secundum numerum, & circumstantias mutantes speciẽ, & iuxta aliquos Doctores circũstantias notabiliter aggrauantes aperiantur, non reddit irritam confessionem; atqui hic, qui dicit se non peccasse nunc, sed antea, mentitur quidem, sed tale mendacium non impedit quin dicantur omnia peccata mortalia, & numerus, & species eorũ: ergo hìc, qui dicit se peccasse antea nõ reddit dictam confessionẽ nullam. maior à nonnullis Doctoribus recipitur, eam docent Henriquez lib. 2. de pœnitent. cap. 9. num. 2. Suarez disput. 22. sect. 10. num. 4. Coninch. disput. 6. de qualitate Confessarij dub. 3. num. 8. Fagundez in præcept. Ecclesiæ, præcepto 2. lib. 3. cap. 21. à num. 7. Vasquez quæst. 91. art. 5. dub. 7. Cardinalis Delugo de pœnitent. disp. 14. sect. 8. Dominus Iosephus de Ianuario par. 1. resolut. 34. Cuius ratio est, quia pœnitens, vel non tenetur illa peccata confiteri, vel habet iustam causam non confitendi hic, & nunc, & sic nullo modo falsificat materiam Sacramenti pœnitentiæ, cum illa peccata stantibus his circumstantijs impertinenter se habeant ad materiam Sacramenti pœnitentiæ, posito quod sit alia materia pro Sacramento; nec damnum infert alteri, vt supponitur, nec lædit ius Confessarij interrogantis, quia non tenetur pœnitens ea confiteri, aut declarare illam circumstantiam, de qua interrogatur à Confessario, cum sine illa maneant peccata sufficienter explicata, tam quoad numerum, quam quoad eorum species: ergo confessio aliorum est valida, & pœnitens, si vtatur restrictione mẽtali, nempe quod non fecit illud peccatum, aut illud non commisit tali tempore, vt iterum, vel tunc teneatur cõfiteri, nec venialiter quidem peccat; non igitur reddit pœnitens confessionẽ inualidam, si neget consuetudinem peccandi cum æquiuocatione, quia scilicet non tenetur bis confiteri semel commissum; vel si neget occasionẽ proximam ineuitabilem sine magno incommodo, vel scandalo. minorem autem in qua potest esse difficultas probat Pater Tancredi ex Sanchez lib. 1. cap. 10. num. 71. vbi sic ait: si tamen explicetur integrè, & fideliter qualitas peccati, manifestũ est non esse opus explicare tempus quo commissum est: ergo per Sanchez explicare tempus, non est quid pertinens

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

nēs ad explicandum numerum, & ſpecies peccatorum, aliàs falſo ſupponeret, quod poſſet explicare integrè qualitas peccati abſque eo quod explicetur tempus quo commiſſum eſt.

157 Secundo impugnat doctrinā Patris Tamburini: quia ſi quis dum poſitiuè dicit ſe commiſiſſe v. g. fornicationem menſe præterito, quam heri commiſit, nō fateretur omnia peccata, & ſacrilegium committeret; ſequeretur quod neque poſſet ſe habere præciſiuè, quando videt Cōfeſſarium ex modo ſuæ confeſſionis, vt ſi dicat volo facere confeſſionem generalem; prudenter æſtimare fornicationem fuiſſe commiſſam tempore antecedenti; atqui contrarium affirmat Tamburinus, vt ſupradictum eſt: ergo. Sequelam probat Pater Tancredus; quia ſi pœnitens aduertit, Confeſſarium per errorē minorem numerum peccatorū apprehendere, vel vnum peccatum mortale pro alio v. g. ſimplicem fornicationem pro adulterio, vel non percipere omnia peccata mortalia, debet illum e tali errore amouere, clarius explicando peccatum; ne iudicium Confeſſarij notabiliter varietur in re graui, vt communiter docent Doctores cum Suario de pœnitent. diſp. 22. ſect. 10. num. 7. ergo ſi quando dicit hoc peccatum menſe prēterito commiſi, variatur notabiliter iudicium Cōfeſſarij, ita vt non explicetur peccatum factum à pœnitēte, ſed aliud, vt docet Tamburinus, etiā quando id non dicit, ſed videt Confeſſarium ſic apprehendere, præſertim quando prudenter ſe gereret Confeſſarius, tenetur poſitiuè dicere commiſi hodie. Ergo cum Tāburinus dicat, peccata pœnitentis integrè dici, quamuis Confeſſarius erret circa tempus in eo caſu, in quo pœnitens tantum dicit v.g. volo facere confeſſionem generalem; fateatur neceſſe eſt, integre dici peccata pœnitentis, nec variari in re neceſſaria iudicium Confeſſarij, etiam ſi pœnitens poſitiue dicat: hoc peccatum non commiſi hoc menſe v. g. ſed in iuuentute, ad ſummum enim peccabit venialiter ob mendacium, quod poteſt vitare vtendo æquiuocatione.

158 Verū enim vero rationes iſtę nihil conuincunt contra doctrinam traditam ab erudito Patre Thoma Tamburino: prima quidem nihil conuincit: nam præcipua ratio ob quam Pater Tamburinus affirmat, quod pœnitēs qui in confeſſione generali miſcuit peccatum recenter commiſſum, & interrogatus à Confeſſario dixit ſe illum tale peccatum in ſua iuuentute commiſiſſe, facit confeſſionem nullam, non eſt, quia mentitur in confeſſione in re graui ad confeſſionem pertinēte, licet inſinuet illud mendacium eſſe mortale iuxta doctrinam à ſe ipſo traditam in eodem lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 38. vbi vt certum ſupponit cum Eminētiſſimo Cardinali Delugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 2. num. 100. quod mētiri circa mortalia aliàs rite abſoluta quando Confeſſarius de illis ſiue vt Medicus, ſiue vt Iudex interrogat, tamquam quid neceſſarium ad præſentem confeſſionem eſſe mortale, quia tunc habet Ius Confeſſarius ad bene hanc confeſſionem expediendam: & ex alia parte cum agatur de mortali res eſt grauis, & num. 39. ſupponit cum eodem Delugo, quod fateri aliquod mortale, quod non feciſti, eſſe mortale niſi forte ignorantia, vel bo-

bona fides excuſet: cuius ratio eſt quia variatur in re graui iudiciũ Confeſſarij. Relicta igitur hac ratione, præcipua ratio illius in præſenti caſu eſt: quia tunc pœnitens non fatetur integrè omnia ſua peccata, quod requiritur neceſſario ad validitatem confeſſionis, quod manifeſtè videtur conſtare: nam ille qui commiſit aliquod mortale peccatum, tenetur illud confiteri, & ſubijci Eccleſię clauibus vt præſens ſaltem implicitè; atqui ille qui poſitiuè affirmat peccatum eſſe antiquum, cum ſit recens factum nõ explicat neque ſaltem implicitè ſuum præſens peccatum, neque vt tale ſubijcit illud clauibus Eccleſiæ, ergo non confitetur integrè omnia ſua peccata, & conſequenter faciet confeſſionem ſacrilegam.

159 Ad primam igitur rationem Patris Tancredi, reſponderi poteſt omittendo maiorem, & negando minorem, quoad ſecundam partem; quia eo ipſo, quod pœnitens affirmat Confeſſario ſe non peccaſſe nunc, ſed antea non explicat, neque implicite quidem ſuum præſens peccatum, ſed potius confitetur peccatum, quod non commiſit, cum antea non commiſiſſet tale peccatum, ſed nunc illud commiſiſſet: ergo eo ipſo, quod nunc confitetur illud, vt antea commiſſum, confitetur peccatum illud vt non cõmiſſum, & conſequenter non confitetur nunc, omnia ſua peccata mortalia commiſſa, & facit confeſſionem ſacrilegam, ad probationem minoris deſumptam ex doctrina Sanchez. Reſpondetur concedendo antecedens, & ſimul conſequentiam, ſed quid inde contra doctrinam Patris Thomæ Tamburini? nihil certè ſi attentè aſpicias, aliud enim eſt, quod pœnitens non teneatur explicare tempus quo commiſſum eſt peccatum, ſi ex tali tempore non dependeat explicatio qualitatis peccati, aliud verò quod pœnitens poſſit poſitiuè affirmare ſe antea commiſiſſe peccatum, quod nunc commiſit, primum eſt verum, & nõ negatur à Tamburino, ſed potius aſſeritur; ſecundum eſt falſum, & rectè à Tamburino negatur, quia in primo caſu pœnitens confitetur ſuum peccatum factum ſecundum numerum, & ſpeciẽ illius, etiam ſi non explicet tempus in quo illud commiſit, in ſecundo autem caſu pœnitens confitetur ſuum peccatum nunc commiſſum, vt non commiſſum eo ipſo, quod affirmat ſe illud antea commiſiſſe nempe in tempore præterito in quo illud non commiſit, quod eſt ſe accuſare de peccato, quod non fecit non explicando in dicta confeſſione, nec quidem implicitè peccatum à ſe nunc commiſſum, quod eſt certè in dicta confeſſione non confiteri omnia ſua peccata mortalia, & conſequenter facere confeſſionem nullam, & ſacrilegam.

160 Secunda etiam ratio Patris Tancredi, nihil conuincit contra doctrinam Patris Tamburini: nam reſpondetur negando ſequelam, & ad eius probationem, conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia prima quoad ſecundam partem: nam cum pœnitens teneatur confiteri omnia ſua peccata ſecundum numerum, & ſpecies eorum, vt docet Concilium Tridentinum dicta ſeſſione 14. cap. 5. hinc eſt, quod ſi pœnites ad-

uertit, Confeſſarium per errorem minorem numerum peccatorum apprehendere, vel vnũ peccatum mortale pro alio v. g. adulterium pro ſimplici fornicatione, vel è contra tenetur tunc Confeſſarium è tali errore amouere clarius explicando ſua peccata; ne iudicium Confeſſarij notabiliter varietur in re graui, at vero in noſtro caſu licet pœnitens non omnino explicet ſuum peccatum, imo vellet, quod Confeſſarius intelligat de alio; verè tamen habet intentionem illud confitendi, atque adeo de illo loquitur in illa confeſſione generali, nec aliquid contrarium dicit, neque obſtat, quod dicat ſe velle generalem confeſſionem facere, nam per hoc non demonſtrat ſe velle confiteri ſola peccata antiqua, ſed velle etiã comprehendere alia peccata recenter commiſſa, vſque ad illam horam, & punctum in quo facit talem confeſſionem: nam confeſſio generalis omnia peccata complectitur vſque ad dictam horam, & punctum, nec denique obſtat quod Confeſſarius intelligat illlud eſſe peccatum antiquum: nam pœnitens id non dixit: atque adeo intentio abſoluendi non regulatur ab exiſtimatione priuata Confeſſarij, ſed intendit abſoluere à peccatis, quæ pœnitens illi manifeſtat, & reducit ad iudicium in tribunali ſacramentalis pœnitentiæ, quæcumque illa ſint, præterea non obſtat, quod pœnitens videatur implicitè indicare, quod ſit peccatum, vel peccata antiqua: quia ipſe verè habet animum loquendi de peccatis nouis, & de illis vult loqui, licet deſideret non intelligi quo ad hoc à Confeſſario: non eſt ergo idem loqui obſcurè, ne intelligatur de illo de quo loquitur, ac expreſsè negare;) vt malè iudicat Tancredus) nam in primo caſu verba vere ſignificant id, quod vult confiteri, atque adeo defert peccatum verum: in ſecundo autem caſu verba non poſſent ſignificare verum peccatum, ſed falſum, ex quo manifeſtè conſtat falſitas ſecundæ conſequentiæ quo ad ſecundam eius partem. 161

Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ, reſpondetur conceſsa maiori, negando minorem; ad cuius probationem dico, quod ex nullo illorum capitum ſequitur, quod varietur notabiliter iudicium Confeſsarij in re graui: nam pœnitens poteſt ſignificare Confeſſario peccatum non eſse reſeruatum, vel eſse, & ſi pœnitens eſt religioſus, & peccatum, vel peccata nondum in alia confeſſione confeſsa ſunt contra caſtitatem, vt Confeſsarius cognoſcat ſpeciem talium peccatorum tenetur dicere ſe quando, tale, vel talia peccata commiſit, eſse aſtrictum voto caſtitatis, abſque eo quod teneatur in confeſſione explicare tempus in quo tale, vel talia peccata commiſit; quantum ad occaſionem proximam peccandi, vel illa eſt ineuitabilis, vel eſt euitabilis? Si ineuitabilis non tenetur illam in confeſſione manifeſtare, ſi vero eſt euitabilis, ſufficit, quod habeat firmum propoſitum illam euitandi, de conſuetudine autem peccandi dico, quod pœni-

ni-

nitens non tenetur manifestare consuetudinem peccandi præteritam, posset tamen ad suam cõsolationem petere à Confessario, vt hanc, vel illam iniungat pœnitentiam, quam hic, & nunc pœnitens iudicet esse proportionatam culpę recenter confessæ.

162 Ad secundum respondetur. distinguẽdo maiorem: magis distat secundum statum præsentem concedo maiorem: magis distat secundum statum quem habuit, quando fuit commissum nego maiorem, & concessa minori neganda est consequentia, pro cuius declaratione aduertere licet ex hoc ego, quod peccatum mortale nõ est materia cõfessionis sacramentalis, prout est habituale, seu prout habet malitiã habitualẽ perseuerantẽ, quia pœnitens non se accusat de peccato habituali, nec de perseuerantia maculæ, sed præcisè de actu præterito, & de peccato actuali, quod fuit. Cum igitur solum detur pro materia, actus peccati prout fuit, quando fuit commissum: & prout sic, non sit differentia inter illud, quod iam nunc est ablatum per confessionem præcedentem, & quod non est ablatum: consequens est totã illam differentiam esse extrinsecam, & per accidens in ordine ad accusationem, peccatum autem veniale, & mortale differũt penes id, quod habuerunt quãdo fuerunt commissa: quare differentia illa explicanda omnino est, quãdo deferuntur ad hoc iudicium sacramentalis pœnitentiæ.

163 Ad tertium respondetur negando antecedens quo ad secũdam partem; quia nonnulli ex allegatis Doctoribus pro contraria sentẽtia affirmant, non teneri pœnitentem in confessione dicere, se tale peccatum commisisse post vltimam cõfessionem, nisi forte ob causam explicandi qualitatem peccati: sicut enim sciens, aut dubitans, se tale peccatum confessum fuisse non tenetur dicere, se illud aliàs fuisse cõfessum, aut dubitare, an illud confessus fuerit; ita qui commisit aliquod peccatum, non tenetur dicere se illud cõmisisse post vltimam confessionem, nisi adsit peculiaris circumstantia necessario aperienda, in quo sensu vera est solutio ibi posita. Ad id autem quod contra arguitur; respondeo cũ Eminentissimo Cardinali Lugo, quod multa sunt quæ possunt Confessarium mouere prudenter ad minuendam, vel augendam pœnitentiã, quæ pœnitens non tenetur in confessione explicare v. g. quod intensum, vel remissum dolorẽ pœnitẽs habeat de peccatis, quod peccatum cum maiori intensione, & maiori affectu fuerit commissum, quantitas etiam maior furti iuxta sententiam probabiliorem, quod huiusmodi circumstantiæ aggrauantes non tenetur pœnitens in confessione explicare, vt dicemus resolut. 10. & 11.

164 Ad quartum respondetur distinguẽdo maiorem indicat peccata, quæ confitetur esse antiqua explicitè hoc affirmando nego maiorem, indicat implicitè, & obscurè concedo maiorem, & concessa minori neganda est cõsequentia, & ratio disparitatis est ea, quã diximus num 160. scilicet quia ille, qui loquitur obscurè ne intelligatur de illo de quo loquitur, verba verè significant id quod vult confiteri, atque adeo defert peccatum verum ad tribunal Sacramenti pœnitentiæ; ille vero, qui expresse affirmat pec-

catum recenter commissum esse antiquum, & tempore præterito commissum, ledit notabiliter iudicium Confessarij, quia verba, quæ profert non significant verum peccatum, sed falsum vt supradicto nu. 160. latè diximus.

RESOLVTIO VIII.

Vtrum licitè, & validè absoluatur ille, qui commisit peccatũ, & ob verecundiam, vel ad conseruandam bonam opinionem, quam de illo habet Cõfessarius, confitetur de peccatis venialibus commissis, & se accusat de vltimo peccato, quod commisit v. g. fornicationis, vel adulterij, nil aliud in confessione explicando.

165 HAnc difficultatẽ in proprijs terminis apud nullum Doctorem, quem legi inuenire potui: ea tamen deducitur ex difficultate resolutionis præcedentis. Doctores igitur, qui in dicta præcedenti resolutione dixerunt, oportere pœnitentem in confessione generali explicare illa peccata commissa post vltimã cõfessionẽ, & quæ nũquam prius ab ipso fuerunt confessa, vt Confessarius ea excipiat tamquam materiam necessariam; aliàs cõfessio erit nulla, & sacrilega, idẽ potiori iure dicere tenentur de confessione hac particulari, quãdo quis se accusat de peccatis venialibus, & simul de vltimo peccato, quod commisit nempe fornicationis, vel adulterij, aut furti in materia graui; nam omnia argumenta, quæ militant contra illam confessionem generalem, militant etiam contra hanc confessionem particularẽ dicto modo factam; nempe quod defraudetur notabiliter iudicium Confessarij; nam satis prudenter, ex dicto modo confitendi pœnitẽtis, potest Confessarius iudicare tale peccatum esse antiquum, & non recens commissum, & sic de alijs argumentis factis resolutione præcedenti in fauorem primę sententiæ, seruatis seruandis.

166 Tota igitur controuersia est cum Auctoribus secundę sententiæ relatis in præcedenti resolutione, qui affirmant in confessione generali non esse necesse explicare tempus peccati recens commissi, inter quos nouissimè eam defendit sapientissimus de Dicastillo tract. 8. de pœnit. dis. 9. dub. 2. §. 6. an scilicet idem dicendum sit de confessione particulari, facta modo superius explicato.

167 Affirmatiuè respondendum mihi videtur (saluo de hoc meliori iudicio) quod sic probo, quãdo pœnitens in confessione sacramentalis pœnitentiæ integrè, & fideliter explicat qualitatem peccati, non tenetur explicare tempus quo commisit tale peccatum; atqui pœnitens, qui in confessione particulari se accusat de vltimo peccato ab ipso cõmisso v. g. adulterij, fideliter explicat qualitatem sui peccati: ergo quamuis nõ explicet tempus quo illud commisit confessio erit licita, & valida. maior conceditur à Doctoribus citatis resolut. præcedenti pro secunda sententia; minor vero ex se est manifesta. Consequentiam vero probo, quia ideo concedunt præfati Doctores, confessionem generalem factam à pœnitente cum legitimo Cõfessario, in qua inter alia peccata præterita miscit peccatum præsens, quia in tali casu non variatur notabiliter, sed parum iudicium Confessarij; atqui in nostro casu parum, & non no-

ta-

tabiliter variatur iudicium Confeſsarij; ergo ſicut confeſſio illa generalis eſt licita, & valida, ita & confeſſio iſta particularis modo dicto facta.

168 Nec valet ſi reſpondeas concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam, ex eo quod non currit eadem ratio de confeſſione generali, ac de particulari, cum confeſſio generalis ex eo quod generalis eſt, includat tempus præteritum, & tẽpus preſens, cõfeſſio autem particularis includat ſolum tempus vitę preſentis, & non preteritę, ideoque quando pœnitens in confeſsione generali ſimul cum alijs peccatis antea commiſſis, ſe accuſat de aliquo peccato recenter commiſso, non variat notabiliter iudicium Confeſsarij etiã ſi poſitiue non explicet tempus, quo commiſit tale peccatum, quia vere habet intentionem illud confitendi, de illoque loquitur in tali cõfeſſione, nec aliquid contrarium dicit, nam verba, quę profert verè ſignificant id quod vult confiteri, vereque defert peccatum verum in tribunali Sacramenti pœnitentię, cum autem confeſſio particularis ſolum comprehendat tempus preſens, & non preteritum, non poteſt pœnitens in illa ſe accuſare niſi de peccato præſenti, & per verba, quę ſignificent tempus præſens, & non præteritum; atqui quando pœnitens in confeſſione particulari, ſe accuſat de vltimo peccato à ſe commiſso v. g. adulterij non explicat ſuum peccatum præſens, neque vt tale illud defert ad tribunal Sacramenti pœnitentiæ: ergo confeſſio illa non eſt licita, nec valida, ſed potius nulla, & ſacrilega.

169 Hæc autem reſponſio non valet; nam vt diximus reſolutione præcedenti, peccatum mortale nõ eſt materia neceſsaria Sacramenti pœnitentiæ prout eſt habituale, ſeu prout habet maculam habitualem perſeuerantem: cum pœnitens non ſe accuſet, imo nec poſſit ſe accuſare de peccato habituali, nec de perſeuerantia maculæ, ſed præciſe de actu præterito, & de peccato actuali, quod fuit, aliàs ſi peccatũ fuiſſet paulò poſt per contritionem deletum, deberet etiam explicari illa circumſtantia: ergo ſolum datur pro materia, actus peccati prout fuit, & quando fuit commiſſum: ergo cum prout ſic, nõ ſit differẽtia inter illud, quod iam nunc eſt ablatum per confeſſionem præcedentem, & quod non eſt ablatum, manifeſtum eſt totam illam differentiam eſſe extrinſecam, & per accidens in ordine ad accuſationem, ſiue confeſſio ſit generalis, ſiue particularis.

170 Secundo probo hanc noſtram reſolutionem; quia ille, qui in confeſſione particulari ſe accuſat de peccatis venialibus, & vltimo ſe accuſat de aliquo peccato mortali in hac forma; me accuſo de peccato, v. g. adulterij à me commiſſo, & non confeſſo propter obliuionem facit bonam, & legitimam confeſſionem, ergo ſimiliter faciet bonam, & validã confeſſionem ille, qui in confeſſione particulari, ſe accuſat de vltimo peccato v. g. adulterij ab ipſo commiſſo, antecedens patet: quia mentiri in confeſſione, quando mendacium non impedit, quin omnia peccata mortalia ſecundum omnes circumſtantias mutantes ſpeciem aperiantur; non reddit irritam confeſſionem; atqui pœnitens qui ſe accuſat de peccato v. g. adulterij à ſe commiſſo, & non confeſſo

prop-

propter obliuionem, mentitur quidem; ſed tale mendacium nõ impedit, quin confiteatur ſuum peccatum ſecundum numerum, & ſpeciem illius: ergo non reddit confeſſionem nullam. Cõſequẽtiam vero probo, quia ille, qui in confeſſione particulari ſe accuſat de vltimo peccato à ſe commiſſo v. g. adulterij, verum dicit, & ſimul ſufficienter explicat ſpeciem ſui peccati, & ſi præciſiue ſe habeat circa tempus quo tale peccatum commiſit: ergo facit validam confeſſionem.

171 Sed dices ille, qui ſe accuſat in cõfeſſione particulari de peccato v. g. adulterij nunc commiſſo, prædicto modo ſcilicet, me accuſo de peccato adulterij à me commiſſo, et non confeſſo propter obliuionem, poſitiue affirmat tale peccatũ fuiſſe ab ipſo commiſſum tempore præterito; at qui vt nos diximus reſolutione præcedenti pœnitens, qui in cõfeſſione generali affirmat peccatum à ſe nũc commiſſum, fuiſſe commiſſum tempore præterito, facit ſacrilegam confeſſionẽ: ergo ſimiliter faciet confeſſionẽ nullam, & ſacrilegam pœnitens, qui in confeſſione particulari ſimul cum peccatis venialibus ſe accuſat de peccato commmiſſo, & non confeſſo propter obliuionem, quod fuit recens commiſſum, inter vnam, & alteram cõfeſſionem, minor, & conſequentia conſtat, & maior probatur: quia ex tali modo confitendi Cõfeſſarius prudenter iudicat tale peccatum fuiſſe commiſſum tẽpore præterito, cum pœnitẽs poſitiue affirmet non fuiſſe illud confeſſum propter obliuionem: ergo poſitiue affirmat illud peccatum fuiſſe ab ipſo commiſſum ante præteritam confeſſionem, quod eſt idem, ac affirmare fuiſſe commiſſum tempore præterito.

172 Reſpondetur negando maiorem; & ad probationem conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia: nam aliud eſt, quod Confeſſarius prudẽter poſſit iudicare tale peccatum fuiſſe à pœnitente commiſſum tẽpore præterito, aliud vero, quod pœnitens hoc poſitiue affirmet; vnum enim ſine alio optime inueniri poteſt, nam quando pœnitens in confeſſione generali ſimul cum alijs peccatis iterum confeſſis, ſe accuſat de aliquo peccato recenter commiſſo, & non confeſſo abſque eo quod explicet tempus quo illud commiſit, Confeſſarius prudenter iudicare poteſt tale peccatum fuiſſe tempore antecedenti commiſſum, & à pœnitente iam iterum confeſſum in alia confeſſione, & nihilominus pœnitens hoc nõ affirmat, neque ex eo, quod aſſerat eſſe tale peccatum non confeſsum propter obliuionem affirmat poſitiuè eſſe commiſsum tempore præterito, vt intendit argumentum; quia aliud eſt ſe accuſare de peccato commiſso, & non confeſso propter obliuionem, aliud vero ſe accuſare de peccato cõmiſso, & non confeſso in antecedenti cõfeſſione propter obliuionem, in primo enim caſu mentitur quidem pœnitens, ſed tale mendacium non reddit nullam, nec ſacrilegam cõfeſſionem, cum nõ variet notabiliter iudicium Cõfeſsarij, nec pertineat ad ſubſtãtiam confeſſionis, ſed ſit circumſtantia mere extrinſeca, licet pœnitens venialiter peccet propter mendacium in re leui, in ſecundo autem caſu quia poſitiuè affirmat peccatum illud fuiſſe commiſsum tempore, quo illud non commiſit, erit confeſſio nulla

la in probabiliori opinione, licet in opinione probabili dici poſſit valida, iuxta dicta reſolutione præcedenti de confeſſione generali.

173 Sed adhuc inſtas hæc opinio anſam peccandi præbet pœnitẽtibus, cum poſſint dicto modo confitendi certo modo celare Confeſsario ſuum peccatum, non explicãdo tempus quo illud fuit commiſsum, quarè faciliores erũt ad peccandum, quod inconueniens vitabitur, ſi aſseramus prædictum modum confitendi illicitum eſse: ergo hæc opinio non eſt ſecura in praxi, imo eſt maxime periculoſa. Reſpondeo primo; hoc idem argumentum poſſe fieri de illo, qui confitetur aliquod peccatum in confeſſione generali ſimul cum alijs iam iterum confeſſis, & non explicat fuiſse commiſsum poſt vltimam confeſſionem, præſertim in ſententia probabili ſaltem per auctoritatem extrinſecã Patris Vincentij Tancredi, Patris Decaſtillo, & aliorum aſserentium poſse pœnitentem interrogatum à Cõfeſsario affirmare peccatum ab ipſo commiſsum poſt vltimam confeſſionem, fuiſse commiſsum tempore præterito abſque eo quod faciat inualidam confeſſionem, vt dixi reſolutione præcedenti. Secundo reſpondeo negando antecedens: nam iſte modus confitendi aufert à pœnitentibus occaſionem, ne ob verecũdiam ſtatim à peccatis reſurgant, ſed in grauiora labentur, & continuo peiores fiant, ideoque hęc opinio non ſolum non eſt periculoſa, imo eſt maximè tuta in praxi, & vt talis iudicata à nonnullis viris doctiſſimis, tam Societatis Ieſu, quam aliarum Religionum à me conſultis.

RESOLVTIO IX.

Vtrum pœnitens, qui mortale peccatum adeò erubeſcit cõfiteri proprio Sacerdoti, vt ſit in periculo diminutè confitẽdi poſſit venialia, ac illud mortale confiteri ſimplici Sacerdoti non approbato, ita vt directè abſoluatur à venialibus, & indirectè à mortali, cũ onere deinde confitendi, cum opportunitas aderit proprio Sacerdoti, alteri cui non ita erubeſcit ſua aperire peccata?

174 AFfirmatiuam ſentẽtiam docet D. Ioſeph de Ianuario de caſibus reſeruatis reſol. 35. nu. 1. vbi (vt refert Angelus Maria Verricelli tract. de Apoſtolicis miſſionibus tract. 9. dæ pœnitẽt. quæſt. 162. dub. 1. num. 1.) ait: quod ſi monialis cõfiteatur Cõfeſsario nõ approbato pro mortalibus, habens licentiam loquẽdi cum illo, eiquè manifeſtet ſimul venialia, & mortalia, poſset (niſi eſset contra vſum Eccleſiæ) ab eo abſolui, cum onere iterum confitendi mortalia Sacerdoti iuriſdictionem habenti, & quãuis propter ea verba (niſi eſset contra vſum Eccleſiæ) videatur negare, quod de facto obſtante contrario vſu, poſſit abſolui: tamen deinde per totam reſolutionem præſertim num. 8. verſ. ne dicas 2. & num. 9. probat, contrarium vſum Eccleſiæ non efficere, quin de facto abſolui validè, & licitè valeat, deinde num. 15. aſserit ſufficientem cauſam eſſe, vt ita abſoluatur à Sacerdote non approbato magnam erubeſcentiam confitendi ea peccata proprio Confeſsario, imo ait etiã nulla exiſtente cauſa validè, & licitè abſolui poſse directè à venia-

li-

libus, & indirectè à mortalibus cum onere repetendi confeſſionem coram approbato Confeſſario.

175 Prima pars huius ſententiæ, ſcilicet, quod magna erubeſcentia pœnitentis confitendi cum proprio Confeſſario, ſit ſufficiens cauſa ad hoc vt cõfeſſio de mortalibus facta ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti non approbato ſit licita, & valida; probatur à dicto patre D. Ioſeph Ianuario, quia probabile eſt poſſe aliquem cum aliqua cauſa cõfiteri peccata venialia, & mortalia ſimplici Sacerdoti, & ab eo recipere abſolutionem à mortalibus; atqui magna erubeſcentia pœnitentis confitendi cum proprio Sacerdote, ſeu Confeſſario, eſt ſufficiens cauſa ad licitè, & validè faciendam ſupradictã confeſſionem: ergo & cætera; maiorem propoſitionem defendunt, vt probabilem Coninchius diſp. 8. dub. 14. num. 107. Suarez tõ. 4. in 3. part. diſp. 31. num. 9. Reginaldus lib. 8. num. 82. Mazuchellus de caſibus reſeruatis diſſput. 1. quæſt. 3. difficult. 14. nu. 43. & 44. Diana part. 9. tract. 9. Reſol. 24. quos citat Ianuarius vbi ſupra, quibus Angelus Maria Verricellus vbi ſupra num. 2. addit Migiſt. Candidum tom. 2. diſquiſit. moral. diſquiſit. 24. art. 66. dub. 3. Petrum Hurtadum de fide diſp. 84. num. 182. Franciſcum Lugo de Sacramentis lib. 4. cap. 6. nu. 35. Filliucium trac. 4. num. 212. Cardinalem Lugo de Euchariſtia diſput. 14. ſect. 5. num. 87. minor vero probatur: nam magna erubeſcentia cum periculo dimidiandi confeſſionẽ, eſt legitima cauſa petendi à proprio Parocho licentiam alteri confitendi, quam ſi ille iniuſtè deneget, haberi licentiam petitam pro obtenta docent Nauarrus in cap. placuit num. 150. de pœnitentia diſt. 6. & Henriquez lib. 6. cap. 13. num. 9. ergo magna erubeſcentia ex parte pœnitentis cum periculo dimidiandi confeſſionem ſufficit ad hoc, vt licitè, & validè poſſit peccatum aliquod mortale ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti, non approbato confiteri, ab eoque abſolui directè à venialibus, & indirectè à mortalibus, cum onere repetendi confeſſionem coram approbato Confeſſario.

176 Secũdo probatur eadem prima pars, nam iuxta communem Doctorum ſententiam, etiam ſi quis ſcienter confiteatur reſeruata, & non reſeruata peccata: poteſt ab inferiori abſolui directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis, cum onere deinde adeundi Superiorem pro reſeruatorum abſolutione etiam ſine vlla cauſa: ergo ſimiliter poteſt ſuppoſita ex parte pœnitentis magna erubeſcentia confitendi cum proprio Confeſſario, quæ eſt ſufficiens cauſa, cõfiteri mortalia peccata ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti non approbato, & ab eo abſolui directè à venialibus, & indirectè à mortalibus, cum onere tamen iterũ confitendi mortalia proprio, & approbato Confeſſario. Conſequẽtia eſt manifeſta à paritate rationis, & antecedẽs docẽt Comitolus lib. 1. quæſt. 29. Fagundez præcept. 2. lib. 8. cap. 3. num. 13. Syluester verb. confeſſio 1. num. 20. Toletus lib. 3. cap. 8. num. 3. Nauar. in cap. conſideret de pœnitent. num. 10. Medina Codice de pœnitent. quæſt. 13. Suarez tom. 4. in 3. partem diſp. 41. ſect. 2. num. 1. 4. & 6. Coninch. diſp. 7. dub. 9. num. 103. Vaſquez de pœnitent. quæſt. 91. art. 3. dub. 2.

9. num. 6. Floronus de casibus reseruatis part. 1. cap. 6. num. 3. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 11. quos sequitur D. Ioseph Ianuario de casibus reseruatis resol. 7. & fauere videtur D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4.

177 Secunda pars dictæ sententiæ scilicet nullam requiri causam ad confitendum mortalia simul cũ venialibus simplici Sacerdoti nõ approbato, cum onere postea iterum confitendi mortalia Sacerdoti approbato ostenditur: quia nullum extat præceptum non absoluendi directè à venialibus, indirectè à mortalibus, cum onere vt pœnitens se præsentet legitimo Confessario: ergo nulla requiritur causa, neque maximæ erubescentiæ ad hoc, vt pœnitens possit dicto modo simplici Sacerdote confiteri.

178 Partem negatiuam nempe nõ posse ex quacumque erubescẽtia pœnitens simplici Sacerdoti non approbato venialia, & mortalia confiteri, vt directè à venialibus, & indirectè à mortalibus absoluatur cum onere repetendi confessionem mortalium Sacerdoti approbato, acriter defendit Angelus Maria Verricellus vbi supradicto tract. 9. de pœnitentia quæst. 162. dub. 1. à num. 4.

179 Probatur primo hæc sentẽtia; quia potestas absoluendi à venialibus requirit propriam, & veram iurisdictionem, cum quæcumque absolutio sit actus veri, & proprij Iudicij, vt definit Cõcilium Trident. sess. 14. de Sacramento pœnitẽtiæ cap. 6. & 7. siue hæc iurisdictio cõpetat simplici Sacerdoti de iure diuino, vt aliqui volunt, siue illam habeat Sacerdos ab Ecclesia, vt alij cõmunius affirmant, qui dicunt iurisdictionem hanc concedi ab Ecclesia simplici Sacerdoti vi consuetudinis; quia stante vsu fidelium Summus Pontifex tacita iurisdictione concessa vult, vt Sacerdos simplex à venialibus absoluat, & à mortalibus aliàs rite confessis: atqui in quacumque opinione non habet Sacerdos simplex iurisdictionem absoluẽdi directe à venialibus, quando pœnitens accedit scienter cum mortalibus, quorum recordatur, & habet copiam proprij Confessarij, cui potest, & tenetur confiteri: ergo non potest pœnitens cum quacumque erubescentia confiteri venialia, & mortalia simplici Sacerdoti non approbato, cum obligatione repetendi confessionem mortaliũ Sacerdoti approbato, minor probatur in opinione asserentiũ esse de iure diuino potestatem absoluendi à venialibus: prædictum scienter accedentem cum mortalibus, posset, & teneri proprio confiteri Sacerdote: nam sicut vsus fidelium declarat iure diuino Sacerdoti simplici concessam esse facultatem, seu iurisdictionem absoluendi à venialibus: quia hoc ius diuinum non potest colligi ex Scripturis; vel aliunde; nisi ex vsu fidelium, & perpetua traditione Ecclesiæ, ex quo vsu fidelium, & dicta perpetua traditione Concilium Tridentinum sæpe colligit ea, quæ de necessitate Sacramenti requiruntur ad Sacramentorum validam administrationem, quo ad materiam, formam, ministrum, & cætera: ergo pariter perpetuus vsus fidelium (qui sacrilegam putant confessionem venialium factam cum scientia mortalium simplici Sacerdoti

ſtante copia proprij Confeſſarij) declarat iure diuino, non eſſe conceſſam iuriſdictionem, niſi accedente pœnitente ſine ſcientia mortalium, aut non habita copia Confeſſarij.

180 Nec valet dicere cum Ianuario ſupra dicta reſolut. 35. num. 9. non obſtare vſum fidelium, quia contra ius diuinum, nulla datur conſuetudo, nec vſus. hoc inquam non valet: nam reſpondet Verricellus, non eſſe vſum contra ius diuinum, ſed vſum perpetuum fidelium declarare ius diuinum, ſeu declarare caſum, in quo iure diuino conceditur ſimplici Sacerdoti iuriſdictio abſoluendi à venialibus, nam non aliunde niſi ex fidelium vſu poteſt cognoſci diuina iſta inſtitutio, quo ad venialia, eum ex Scripturis illa cognoſci nequeat.

181 In opinione autem aſſerente Iuriſdictionem abſoluendi à venialibus concedi ſimplici Sacerdoti ab Eccleſia, probatur minor ex Suarez de pœnitent. diſput. 31. ſect. 3. num. 11. his verbis, dixi ſupra iuriſdictionem hanc Sacerdotum omnium ad abſoluendum à venialibus originem habuiſſe ex conceſſione Eccleſiæ: & conſuetudine retineri: hinc ergo colligimus extendendum non eſſe vltra id, quod conſuetudine receptum eſt: conſuetudine autem ſolum videtur introductum, vt tunc fideles habeant hanc licentiam, quando non habent conſcientiam peccati mortalis: ideoque quando illam habent, iam non licet eis confiteri ſimplici Sacerdoti extra articulum mortis, ac proinde ſi ita confiteantur, nullum fiet ſacramentum, ergo non confert Eccleſia iuriſdictionem abſoluendi à venialibus, quando pœnitens ſcienter accedit cum mortalibus. Probatur conſequentia: nam eadem conſuetudo, quæ contulit eam iuriſdictionem tacite conſentiente Pontifice, & totum id ex perpetuo vſu omnium fidelium nobis innoteſcit; vſus enim fidelium, qui in re graui, & difficili communiter ſeruatur inducit conſuetudinem habentem vim legis, & obligantem ſub peccato mortali, vt docent Suarez de legibus lib. 7. cap. 15. num. 13. Caſtropalaus tom. 1. tract. 6. diſp. 3. punt. 2. §. 3. num. 13. ergo vſus omnium fidelium (qui ſacrilegium putant confeſſionem factam ſimplici Sacerdoti cum ſcientia peccati mortalis) ſufficienter oſtendit, eſſe conſuetudinem obligantem ſub mortali, & eam conſuetudinem approbare Sūmum Pontificem, qui tunc merito denegat iuriſdictionem ad
182 abſoluenda venialia.

Pro reſolutione huius difficultatis notandum eſt, quod licet de integritate materiali confeſſionis habeamus præceptum diuinum, vt declarauit Concilium Tridentinum ſeſſione 14. cap. 5. canone 7. his verbis: ſi quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum non eſſe de iure diuino, omnia, & ſingula peccata mortalia confiteri, etiam occulta: & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mitant, anathema ſit, nihilominus integritas materialis confeſſionis non eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, vt communiter docent Doctores, teſte Fagundez in præcept. 4. Eccleſiæ præcep. 2. lib. 3. cap. 3.

à num.

à num. 1. nam multoties quis ratione ſui, multoties ratione Confeſſarij, & multoties ratione proximi, non tenetur confiteri omnia ſua peccata, & tamen facit Sacramentum validum : quia poteſt vrgere præceptū etiam Diuinum, & naturale fortius, & abſolutius præcepto integritatis confeſſionis, vel ignorantia talis præcepti, vel impoſſibilitas ad quā nemo tenetur. Vnde ſi quis timet graue damnum, vel temporale, vel ſpirituale, ſi omnia ſua peccata confiteatur habet legitimam cauſam retinendi peccatum illud in eadem confeſſione, dummodo alium Confeſſariū non habeat, & habeat intentionem confitēdi illud, ſublata cauſa excuſante, ita *D.* Thomas in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 4. adſecundum. Cuius ratio eſt; quia præceptum diuinum non obligat cum tanto detrimento.

183 Notandum eſt ſecundo, in caſu neceſſitatis videlicet quando adeſt præceptum annuæ Confeſſionis, vel aliquis vult ſacrum celebrare, vel accedere ad ſanctam communionem, quod non poteſt vitare abſque magno ſcādalo, probabiliſſimam eſſe opinionem aſſerentium poſſe, imo, & debere pœnitentem habentē caſus reſeruatos, cōfiteri Confeſſario inferiori omnia peccata reſeruata, cum non reſeruatis, à quo directè abſoluatur à non reſeruatis, indirecteque à reſeruatis, ita Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 8. de pœnit. dub. 13. num. 12. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo dc Euchariſtia diſp. 14. ſect. 5. num. 87. & 99. doctus Antoninus Diana part. 3. tract. 4. reſol. 104. D. Carolus Malletus in aureo Theologiæ moralis tom. 1. de Sacramentis, malleatione 16. bractea 27. reſponſ. 3. citans Suarez diſp. 31. ſect. 3. nu. 8. Henriquez lib. 6. cap. 15. num. 7. Coninch. diſp. 8. dub. 13. nu. 106. hoc ipſum docet Candidus tom. 1. diſquiſit. 3. art. 4. reſol. 2. nec contra hoc facit Concilium Trident. ſeſſione 14. cap. 7. dicēs, Sacerdotem inferiorem extra mortis articulum nihil poſſe in caſibus reſeruatis, nam hoc eſt intelligendum nihil poſſe directè, poſſe tamen indirectè, ſicut caſu quo pœnitens immemor reſeruatorum confitetur nō reſeruata, abſoluitur indirectè à reſeruatis in omnium ſententia.

184 Tertio notandum eſt; quod ſi pœnitens in prędicto caſu neceſſitatis, non habeat alia mortalia non reſeruata, ex quibus teneatur confiteri, ſed tantum venialia, poteſt ſimul cum venialibus mortalia reſeruata inferiori Sacerdoti confiteri, vt ab ipſo à venialibus abſoluatur directè, & indirectè à mortalibus reſeruatis, dixi poſſe; nam pœnitens habēs tātum venialia ſimul cum reſeruatis, non tenetur ex præcepto venialia per ſe confiteri Sacerdoti inferiori, vt ab eis directè abſoluatur, & indirectè à reſeruatis, tenebitur tamen per accidens, quando pœnitens, non putaret ſe eſſe ſufficienter contritum, imo poſſet confiteri venialia, & mortalia reſeruata ſimplici Sacerdoti non approbato, vt hac via ab ipſo abſoluatur directè à venialibus in quibus habent iuriſdictionem, & indirectè à mortalibus reſeruatis, vt probabiliter docent Suarez, & Coninch locis citatis, & cum eis Cardinalis Lugo ſupra num. 98. ſicut habens mortale non reſeruatum, cuius non recordatur, poſſet confiteri venialia ſimplici Sacerdōti, & obtinere indirectè remiſſionem mortalium, quibus notatis.

185 Dico primo: ſola magna erubeſcentia pœnitentis confitendi ſua peccata mortalia proprio Sacerdoti, ſeu Confeſſario, non eſt ſufficiens cauſa validè, & licitè confitendi peccata mortalia ſimul cũ venialibus ſimplici Sacerdoti non approbato; quam Concluſionem ſic probo: quia Eccleſia ſolum dat iurisdictionẽ ſimplici Sacerdoti abſoluendi pœnitentem à venialibus, etiam ſi accedat cum ſcientia mortaliũ, quando pœnitens non poteſt, aut non tenetur confiteri proprio Sacerdoti, adeo vt confitẽdo poſſit dimidiare confeſſionẽ; atqui magna erubeſcentia non excuſat à confeſſione, nec ratione magnæ erubeſcentiæ poteſt dimidiari confeſſio? ergo ratione magnæ erubeſcentiæ non dat Eccleſia iuriſdictionem ſimplici Sacerdoti non approbato, abſoluendi à venialibus pœnitentem, qui ad talem confeſſionem accedit cum ſciẽtia mortalis peccati: ergo ſi accedat pœnitens ad cõfeſſionem ſacramentalem faciendam ſimplici Sacerdoti ex ſolo motiuo maximæ verecundiæ cõfitendi ſua peccata mortalia proprio Sacerdoti, ſeu Confeſſario, confeſſio erit nulla, & inualida, vtpotè facta cum non habente poteſtatem abſoluendi illum à venialibus directè, & indirectè à mortalibus in tali caſu.

186 Secundo probo eamdem concluſionem: quia iſte pudor, ſeu magna erubeſcentia pœnitentis confitendi ſuum peccatum mortale propriò Sacerdoti, ſeu Confeſſario, eſt intrinſeca ipſi confeſſioni ſacramentali: ergo eodẽ præcepto, quo ad confeſſionem, etiam ad huiuſmodi pudorẽ, ſeu magnã erubeſcentiam cogimur. Conſequentia eſt formalis, & antecedens colligitur clare ex Eccleſ. cap. 4. verſ. 31. *non confundaris confiteri peccata tua*; vnde præclarè Tertullianus de pœnitentia inquit: *pleroſque hoc opus in publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre pudoris magis memores, quam ſalutis.*

187 Probatur tertio, nam ſi ob aliquam rationem liceret pœnitenti cõfiteri ſuum peccatum mortale ſimul cũ venialibus ſimplici Sacerdoti ob magnam verecundiam, quam habet illud confitendi proprio Confeſſario, maximè eſſet propter periculũ, quod habet pœnitens in tali caſu dimidiandi confeſſionem; atqui, hæc ratio non conuincit: ergo ſola magna erubeſcentia nõ eſt ſufficiens cauſa confitendi peccatum mortale ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti nõ approbato, Maior neceſſariò debet admitti à D. Ioſeph Ianuario, vt ex eius fundamentis clarè conſtat, minorem verò probo; quia quãuis pœnitens ſit in prędicto periculo dimidiandi confeſſionem, ob verecundiam, quã habet confitendi ſuum commiſſum peccatum proprio Sacerdoti, ſeu Confeſsario, hoc tamen periculum ipſe ſibi facit; cum in manu eius ſit dictum ſuperare pudorem conſideratione pudoris illius, qui erit in die iudicij, vt ait Diuus Pater noſter Auguſ. lib. 2. de viſitatione infirmorum cap. 5. vbi inquit: *Melius eſt coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die iudicij coram tot millibus hominum, graui repulſa denotatum tabeſcere*, ergo, &c.

188 Dico ſecundo, ſi pœnitens præter verecundiam quam habet confitendi ſuum peccatum mortale proprio Confeſsario, timeat probabiliter aliquod damnum, ſeu malum extrinſecum, ſiue temporale, ſiue ſpirituale, &

adeſt

adeſt obligatio ad implendi præceptum annualis confeſſionis, vel vult communicare, aut celebrare, quod vitare non poteſt abſque magno ſcandalo, ſi non adeſt præter proprium Confeſſarium, alius Confeſſarius approbatus, & dubitat de contritione poteſt, imo & tenetur confiteri venialia, ſimul & mortale, aut mortalia ſimplici Sacerdoti non approbato cum onere repetendi confeſſionem, quoad mortalia poſtea Confeſſori approbato ita Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 23. ſect. 2. & de Sacramẽtis diſp. 66. ſect. 4. caſu 3. in fine, Reginaldus dub. 29. num. 108. Mercerus 3. part. quæſt. 80. art. 4. dubio 2. verſ. reſpondeo ſecundo. Auerſa de Euchariſtia quæſt. 8. ſect. 6. Caſtropalaus tom. 4. tract. 21. diſp. vnica punt. 21. num. 6. Frãciſcus Amicus in curſu Theologiæ moralis tom. 7. diſp. 26. ſect. 2. num. 14. & alijs.

189 Probatur primo: concluſio: quia concurrente poſſeſſione iuris ex parte Confeſſoris, & graui damno, ac periculo ex parte ſubditi nempe pœnitentis, præualet damnum probabile pœnitentis, poſſeſſioni iuris ex parte Confeſſarij: ergo ſi pœnitẽs præter verecundiam, ſeu pudorem, quem habet confitẽdi ſuum peccatum mortale à ſe commiſſum proprio Sacerdoti, ſeu Confeſſario, timeat probabiliter aliquod damnum extrinſecum, ſiue ſpirituale, ſiue temporale, & inſtat obligatio confitẽdi, aut vult celebrare, vel ſe communicare, quod omitti non poteſt abſque magno ſcandalo, poterit ſi non adeſt alius Confeſſarius approbatus, & ipſe pœnitens dubitat ſe habere contritionem confiteri peccatum illud mortale à ſe cõmiſſum (ſi aliud mortale non habet) ſimul cum venialibus, ſimplici Sacerdoti nõ approbato, cum onere tamen repetendi confeſſionem quo ad mortale peccatum. Conſequentia manifeſtè ſequitur ex antecedenti, & antecedens probatur: nam dãnum pœnitentis; vel eſt perpetuum, vel irreparabile; ac graue; atqui præiudicium ex parte Cõfeſſoris, aut confeſſionis ſacramentalis, leue eſt, & reparabile, cum pœnitens maneat cum onere, & obligatione repetendi cõfeſſionem quo ad mortalia cum ceſſat inconueniens, ſeu graue damnum, coram proprio, & legitimo Confeſſario; ergo, damnum graue pœnitentis præualet poſſeſſioni iuris, ſeu Confeſſarij.

190 Secundo probatur concluſio: quia ſubditus non tenetur obedire Prælato quando res præcepta eſt illicita, aut quando ſe exponit graui periculo corporali, aut ſpirituali: ergo ſtante dicto periculo, pœnitens non tenetur confiteri ſua peccata mortalia proprio Confeſſario; ergo ſi adeſt neceſſitas confitendi, celebrandi, aut communicãdi, quod non poteſt vitari abſque magno ſcandalo, poteſt pœnitens alteri Confeſſario approbato confiteri, & hoc deficiente, ſi dubitat de cõtritione; ſimplici Sacerdote nõ approbato, cum obligatione repetendi confeſſionem quo ad mortalia Confeſſario approbato, antecedens communiter cõceditur a Doctoribus, Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. cap. 31. num. 10. & cap. 40. num. 76. verſ. aduerte tamen, Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 3. num. 24. Sayrus in claui regia lib. 1. cap. 13. num. 41. Aragon. ſecunda ſecundæ qu. 69. art. 2. Medina prima ſecundæ quæſt. 14. art. 6. dub. 4. Henri-

riquez lib. 14. cap. 3. num. 3. in Glosa Rodriquez in summa tom. 2. cap. 9. num. 3. Vasquez prima secundæ disp. 66. cap. 6. num. 51. Diana part. 4. tract. 3. de conscientia dubia resol. 9. Thomas del Bene de parlamentis dubitatione 2. sect. 1. num. 5. Sancto Faustus de tribus votis lib. 6. quæst. 64. & 68. Nauar. in cap. inter verba num. 599. & denique probatur ratione: quia quando agitur de iurisdictione, plerumque confunditur petitorium cum possessorio, vt docet Baldus cõs. 161. num. 1. vol. 3. atqui quando subditus agit de grauissimo, & irreparabili damno, & è contra superior exigit sibi obediri, tunc veluti concurrunt petitorium, & possessorium: ergo subditus in tali casu nõ tenetur obedire Superiori, probatur consequentia: nam concurrentibus petitorio, & possessorio, præualet petitorium, & absorbet possessorium, vt docent Ancaran. cons. 146. col. 2. vers. & si dicatur. Cauetta cons. 248. num. 8. Menochius de recuperanda possessione, remed. 15. num. 367. & ratio est; quia causa possessorij in iure dicitur modici præiudicij leg. vnica C. si momentan. possess. leg. momentanea C. qui legitim. person. non habent. Iason post Bartholum in leg. admonendi ff. de iure iuran. Soccinus in leg. rem quæ nobis quæst. 7. ff. de acquirenda possess. Cauetta cõs. 558. num. 12. Alexand. cons. 103. nu. 3. vers. tamen premissis non obstant vol. 7. ergo cum subditus agat de euitando graui damno eoque irreparabili, tunc veluti petitorium intentat, è contra Prælatus cum agat veluti possessorio, vt retineat suam possessionem; non est cum tanto præiudicio subditi manutenendus prælatus in sua possessione.

191 Dixi primo in hac secunda cõclusione si pœnitens timeat probabiliter, aliquod damnum extrinsecum, nam si pœnitens non timeat prædictum damnum probabiliter, sed tantum leuiter suspicetur, aut dubitet, non poterit etiam supposita magna erubescentia sua peccata mortalia confiteri alteri, quam proprio Confessario, & multo minus simplici Sacerdoti, quia ab absoluẽdum à mortalibus, siue directè, siue indirectè requiritur iurisdictio in Confessario, vel ordinaria, aut delegata, aut obtenta ratione alicuius priuilegij, sed extra casum probabilis præiudicij ex parte ipsius pœnitẽtis solus proprius Confessarius habet potestatem absoluendi pœnitentem à mortalibus commissis: ergo, & cætera.

192 Dixi secundo in eadem conclusione, quod si in tali casu magnæ necessitatis, non adest Confessarius approbatus, & instat necessitas confitendi, aut celebrãdi, vel communicandi, quod nõ potest vitare absque magno scãdalo, & pœnitens dubitat de cõtritione, quod potest confiteri venialia, simul & mortale, aut mortalia simplici Sacerdoti non approbato, vt ab illis directè, & indirectè ab iftis absoluatur, cum onere repetendi confessionem quo ad mortalia postea legitimo Confessario: nam quando non dubitat de contritione, & non habet copiam Confessarij approbati, vel non habet aliud peccatum mortale præter illud ex cuius confessione damnum timet non tenetur venialia, simul, & mortalia confiteri simplici Sacerdoti, vt absolutus indirectè à mortalibus communicet, aut sacrum celebret, hoc dico cõtra

Pa-

Paſqualigum, in ſacra morali doctrina diſp. 113. ſect. 4. & Petrũ Hurtadum de Mendozza 2. 2. diſp. 84. num. 182. Contrarium affirmantes, quod ſic oſtendo; quia ſi aliqua eſſet ratio ob quã pœnitens in tali caſu tenetur cõfiteri venialia ſimplici Sacerdoti non approbato, maximè eſſet, quia habens mortale, ſiue ex diuino, ſiue Eccleſiaſtico præcepto, debet ante Euchariſtiam ſe probare per Sacramentum confeſſionis; atqui hoc non conuincit pœnitentem teneri ad confitenda venialia in dicto caſu (ſi non dubitet de contritione peccati mortalis, quod habet) ſimplici Sacerdoti, vt abſoluatur, indirectè à mortali: ergo poteſt accedere ad communionem non præmiſſa confeſſione venialium, vt a mortali illo ex cuius confeſſione damnũ timet indirectè abſoluatur à ſimplici Sacerdote non approbato, probatur minor, quia inſtituta ante Euchariſtia, ſiue à Chriſto Domino, ſiue ab Eccleſia probatio, eſt per ſacramentale iudicium; ideſt vt habens peccatum mortale per ſacramentale iudicium; ſenſibili modo, reconcilietur Deo, nec ſufficiat per ſolam contritionẽ, nec per abſolutionem indirectã, cum abſolutio indirecta non ſit iudicium ſacramẽtale de eo peccato mortali; atqui iudicium ſacramẽtale peccati mortalis duo requirit: primo quod peccatum explicetur Sacerdoti tamquam vero, & proprio Iudici: ſecundo quod explicetur Sacerdoti habenti iuriſdictionem circa illud peccatum, aliàs illud peccatum non remitteretur per ſacramentale iudicium, cum nullum crimen poſſit per iudicium dimitti, niſi Iudex habeat iuriſdictionem in cognitione eius criminis, & illi crimen manifeſtetur: ergo cum ſimplex Sacerdos non approbatus nullam habeat iuriſdictionẽ in peccata mortalia, (extra mortis articulum) imo neque in venialia, quando pœnitens accedit cum ſcientia peccati mortalis, vt concluſione prima diximus conſequens eſt, vt pœnitens in dicto caſu excuſetur à præcepto huius probationis, quando poteſt excuſari à manifeſtatione peccati, vt concedunt Paſqualigus, & Hurtadus de Mendozza, cum aſſerant in tali caſu teneri pœnitẽtem confiteri venialia, & poſſe tacere mortale.

193 Nec valet ſi reſpondeas cum Paſqualigo, quod præceptum iniungit probationem; per confeſſionem non hoc, vel illo modo, ſed indeterminatè: ergo cũ poſſit fieri probatio, indirectè quo ad illud peccatum, per confeſſionem venialium, præceptum adhuc obligat, hoc inquam non valet; nam reſpondetur negando antecedens: quia præceptum iniũgit probationem confeſſionis, qua ſenſibili modo, & per ſenſibile iudicium ſacramentale, Eccleſia iudicet illud eſſe probatũ: cum ergo ſola abſolutio directa peccati mortalis afferat probationem ſenſibilem Eccleſiæ, ideo ſola probatio per abſolutionem directam eſt præcepta, non autẽ probatio per abſolutionem indirectam.

194 Sed vlterius dices cum eodem Paſqualigo, quando præceptum pluribus modis quo ad ſubſtantiam impleri poteſt, tunc ſi non poteſt præceptum impleri vno modo, debet impleri alio modo, quo poteſt; nam præceptum per ſe primo reſpicit ſubſtantiam rei præceptæ, ſecundario talem modum implendi præceptum, quare ſi modus præceptus non po-

teſt

teſt obſeruari, debet alio modo impleri præceptum, quo tunc poteſt; vt docent Caietanus 2.2. quæſt. 147, art. 7. Couarruuias lib. 4. variar. cap. 20. num. 13. S. Antoninus part. 2. titulo 7. cap. 2. §. 7. Valentia tom. 3. diſp. 4. quæſt. 1. punt. 5. verſ. qui autẽ; atqui ſubſtantia præcepti eſt, vt per abſolutionem ſacramentalẽ. ante Euchariſtiam remittatur peccatum mortale: ergo cum hæc abſolutio ſacramentalis poſſit eſſe directa, & indirecta; ſi impoſſibilis eſt directa, ſcilicet cõfitẽdo peccatum mortale proprio Confeſſario, vel alio Confeſſario approbato debet accipi indirecta, confitendo venialia, vel ſolum, aut ſimul cum mortali Sacerdoti ſimplici, qui pœnitentẽ abſoluat directè à venialibus, & indirectè à mortali.

195 Reſpondetur negando minorem, nam ſubſtantia præcepti eſt iudicium ſacramentale de remiſſione peccati mortalis: cum autem hoc iudicium ſacramentale non habeatur niſi manifeſtato peccato legitimo Iudici, ideo non tenetur pœnitens in tali caſu confiteri ſuum peccatum mortale ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti non approbato.

196 Sed adhuc inſtas: quia quamuis nullum adſit præceptum de confeſſione venialium, tamen per accidens poteſt adeſſe, & nũc adeſt vt ita indirectè per abſolutionem ſacramentalem venialiũ, quæ directè abſolui poſsũt à ſimplici Sacerdote, indirectè remittatur mortale per talem abſolutionem ſacramentalem: reſpondetur, non teneri per accidens in hoc caſu cum ſupponamus pœnitentem non dubitare de contritione peccati mortalis, & non teneatur confiteri venialia, vt argumentum ſupponit, teneretur tamen per accidens venialia confiteri, ſi de contritione peccati mortalis pœnitens dubitaret vt ſupra diximus.

197 Ad primum fundamentũ primæ ſententiæ reſpondetur diſtinguendo maiorem, probabile eſt poſſe aliquẽ cum aliqua cauſa confiteri peccata venialia, & mortalia ſimplici Sacerdoti, ſi illa cauſa ſolum eſt intrinſeca, intrinſicè pertinens, ad onus confeſſionis prout maxima erubeſcentia grauiſſimi ſceleris, aut amiſſio bonæ opinionis apud proprium Confeſſariũ nego maiorem; ſi illa cauſa eſt extrinſeca nempe timor probabilis alicuius mali extrinſeci modo in ſecunda concluſione explicato concedo maiorem, Auctores autem citati ibidem à Ianuario, vt bene notat Verricellus dicto tract. 9. de pœnitentia quæſt. 162. dub. 1. nu. 8. loquuntur quando pœnitens accedit bona fide, quę bona fides tribus modis accidere poteſt, in quibus tribus caſibus pœnitens poteſt abſolui indirectè à mortalibus, & directè à venialibus, primus caſus eſt, quando oblitus eſt peccati mortalis, aut innincibiliter ignorat eſſe mortale, putãs eſſe veniale. Secundus caſus eſt, quando abeſt Cõfeſſarius approbatus, præſertim ſi oporteat cõfiteri, ad vitandam infamiam, aut inſtante præcepto communicandi. Tertius caſus eſt, quando non tenetur ex iuxta cauſa illud peccatum cofiteri Confeſſario approbato, ſed poteſt dimidiare confeſſionem, illudque tacere; cęterum extra hos tres caſus, ſi adſit ſcientia peccati mortalis, nullus Doctor præter Ianuarium, docuit validam eſſe cõfeſſionem venialium factam ſimplici Sacerdoti, imo Magiſter

Can-

Candidus ibidem citatus à Vericello, quamuis dicto dubio tertio probabiliter iudicet, bonam eſſe confeſſionem factam bona fide ſimplici Sacerdoti de venialibus, & mortalibus peccatis, nihilominus concluſione quarta probabilius iudicat ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Epiſcopo, nullo pacto, neque directe, neque indirectè, ſeu per accidens, poſſe pœnitentem confitentem peccata venialia, & mortalia, etiam ſi bona fide confiteatur, valide abſoluere à peccatis mortalibus, quare neganda eſt minor; nam, vt prima cõcluſione diximus ſola magna erubeſcentia non eſt ſufficiens cauſa ad confitẽdum mortale peccatum ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti. ad cuius probationem reſpondetur negando antecedens; nam magna erubeſcentia non eſt ſufficiens cauſa ad petendam licentiam ſuperiori ad confitendum peccatum reſeruatum inferiori Cõfeſſario, taliter quod denegata tali licentia habeatur pro optenta; nam licet tũc Superior mortaliter peccet, & illicitè deneget licentiam; cum exponat ſubditum graui periculo ſacrilegij: tamen tenetur ſubditus, quo ad Superiorem ſæcularem illi confiteri.

198 Dixi quo ad ſuperiorem ſæcularem; nam ſuperior regularis tenetur concedere petitam licẽtiam, quando caſus occurrerit, in quo eam debere concedi, ipſe in primis Cõfeſſarius iudicauerit ſanctitas ſua quoque ſua declarauit, vt ſi huiuſmodi regularium Confeſſarijs caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus ſuperior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarij illa vice pœnitentes regulares etiam nõ obtenta à Superiore facultate abſoluere, ita Clemens 8. in ſuo decreto de caſuum reſeruatione, quod decretum, ſiue declarationem, paſſim referunt Doctores omnes, & multi ſcribunt, ſed vidiſſe in authentica forma; quare immerito Fagundez in decalogum lib. 1. cap. 45. num. 11. grauiſſimorum teſtium fidẽ in dubium reuocat.

199 Solum autem eſt difficultas inter Doctores in explicanda illa particula, illa vice. Aliqui exponunt, id eſt pro vna vice tantum; adeo vt ſi quis bis in caſum reſeruatum incidat, ſi ſecunda vice petat licentiam, ea tunc denegata, non poterit Confeſſarius abſoluere, ita Naldus, in ſumma verb. caſus reſeruatus num. 2. Tamburinus de iure abbatum tom. 2. diſp. 13. quæſt. 8. num. 4. Lezana tom. 3. ſummæ regul. verb. caſus reſeruatus num. 7. & 23. mouentur autem iſti Doctores ad ſic explicandam dictam particulam illa vice, triplici ex capite. primo, quia alioquin otioſa, & fruſtratoria eſſet reſeruatio, ſi toties quoties peteretur licentia, ea eſſet, concedenda. Secundo quia alias diſſolueretur diſciplina regularis obſeruãtiæ. tertio, quia alioquin reſeruatio, non eſſet pœna peccantis, ſed onus Confeſſarij, vt peteret licentiam.

200 His tamen non obſtantibus iudico probabilius, ſenſum illorum verborum illa vice hunc eſſe, denegata iniuſte facultate, illa vice, Confeſſarius abſoluere poterit; adeo, vt non acquirat ex ea facultate denegata iuriſdictionem habitualiter, & permanenter; ſed oporteuit toties petere licentiam, quoties caſus occurrerit, vt licentia iuſtè petatur, & iniuſte denegetur, ita Sua-

rez tom. 4 de religione tract. 8. lib. 2. cap. 19. num. 6. Castropalaus tom. 4. tract. 23. punto 15. sect. 5. num. 8. Bordouus tom. 1. resol. 39. num. 50. Alphonsus de Leone de officio, & potestate Confessarij recollect. 6. nu. 178. Angelus Maria Verricellus de Apostolicis missionibus tract. 9. quæst. 162. dub. 2. num. 15. & ratio huius est; tum quia toties denegata facultate, potest Confessarius absoluere, quoties illa iniustè negatur; atqui ea iniustè negari potest pluribus vicibus: ergo pluribus vicibus ab inferiori poterit absolui. tunc etiam quia Pius Quintus, & Clemens Octauus præcipiũt superioribus regularibus, vt sint faciles, in eiusmodi licentijs concedendis; atqui non essent faciles, si pro vna tantum vice eam facultatem concederent, & secunda vice denegarent: ergo. tum denique quia Clemens Octauus ait: debere cõmitti absolutionem, quando Confessarius in primis, ita expedire saluti pœnitentis iudicauerit; atqui ista propositio est indefinita, quæ æquiualet vniuersali, perinde enim est, ac si dixisset debere committi semper quando in primis Confessarius ita iudicauerit, ergo, & cætera.

201 Ad id quod in contrarium adducitur respondeo, non esse frustratoriam reseruationem, quæ ex hoc disciplinam regularem dissolui, neque esse onus Confessarij non peccantis; nam quãdo aderit specialis ratio eam licentiam denegandi, ob magnam frequentiam; aut ob aliam rationabilem causam, tunc iustè denegatur licentia, eaque iuste denegata, non poterit Confessarius inferior absoluere.

202 Sunt enim aliqui casus in quibus superior non solum potest, sed etiam tenetur denegare facultatem, ac debet superior regularis cogere subditum, vt sibi ipsi confiteatur; neque tunc Cõfessarius valide poterit absoluere petita, & non obtenta licentia à superiori regulari, primus casus est cum scandalum probabiliter timeri potest, aut monasterij dãnum, cui superior remedium adhibere valeat, saluo sacramẽtalis confessionis sigillo. Secundus casus est cum probabiliter timetur reciduum pœnitentis, vel alterius. tertius denique casus est, quando timetur damum tertiæ personæ, tunc enim quãdo alijs remedijs non possunt prædicta damna vitari, tenetur superior regularis facultatem denegare, eaque denegata, inualidè Confessarius absoluet, quæ doctrina procedit etiam hodie post Clementis Octaui decretum, cum ipse Summus Pontifex expresè asserat: non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, quæ determinatio facta fuit à dicto Pontifice maximo iuxta dispositionem Concilij Tridentini sessione 14. cap. 7. in quo determinatur: debere pœnitentes pro peccatis reseruatis ad superiores accedere. præterea, quia alioquin frustratoria esset casuum reseruatio, vt docent Eminentissimus Cardinalis Lugo de pœnitent. disp. 20. sect. 9. num. 148. Pellizzarius tõ. 2. Manual. regul. tract. 6. cap. 1. num. 51. Ludouicus Acruce in Bull. Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 3. num. 9. Fagundez in decalog. tom. primo lib. 1. cap. 45. à nu. 12. Bordonus tom. 1. resol. 39. num. 47. Floronus de casibus reseruatis cap. 6. §. 3. Coninchius de pœnitent. disput. 8. dub. 14.

Ca-

Caſtropalaus tom. 4. tract. 23. punt. 15. ſect. 5. num. 5.

203 Ad ſecundum argumentum pro eadem prima parte eiuſdem ſententiæ, reſpondeo cum Suarez de pœnitent. diſp. 31. ſect. 3. nu. 11. Concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Cuius ratio eſt, quia adeſt conſuetudo, vt habẽs peccata reſeruata, & nõ reſeruata, omnia confiteatur inferiori, à quo directè abſoluatur à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis, quia cum reſeruatio non ſit facta, niſi ad hoc tantum, vt ſuperiori caſus deferatur abſoluendus, conſentit Eccleſia, ſtante præſertim vſu fidelium, vt Sacerdos inferior iuriſdictionem ad abſoluenda non reſeruata retineat, cum onere vt pœnitens deinde accedat pro abſolutione reſeruatorum ad ſuperiorem: at vero non adeſt conſuetudo, vt ſciens ſe habere mortalia, venialia ſimul cum mortalibus ſimplici Sacerdoti non approbato confiteatur, extra caſum neceſſitatis modo dicto concluſione ſecũda, imo vſus fidelium, qui putant id eſſe ſacrilegium, ſatis declarat, Eccleſiam tũc non tribuere ſimplici Sacerdoti non approbato iuriſdictionẽ ſuper venialia. Vnde ſuppoſita denegatione iuriſdictionis, adeſt naturale præceptum non confitendi nullam habente iuriſdictionem; quia talis eſſet ſacrilega confeſſio.

204 Ex quo patet ſolutio ad fũdamentum pro ſecunda parte eiuſdem ſententiæ: nam vſus fideliũ, qui eam cõfeſſionem ſacrilegam putant, ſatis declarat Eccleſiam non tribuere iuriſdictionem ſuper venialia ſimplici Sacerdoti quando pœnitens accedit ad cõfeſſionem ſacramentalem cum ſcientia peccati mortalis, & adeſt proprius Cõfeſſarius, nam ſi abeſſet proprius Confeſſarius probabile eſt Eccleſiam concedere iuriſdictionem ſimplici Sacerdoti ad abſoluendum à venialibus accedentem cum ſcientia peccati mortalis: quia pia mater Eccleſia benignè conſentit, ita confiteri eum dum abſque ſua culpa non quærit Sacerdotem approbatum ad mortalia: neque in iſto caſu fortè repugnat vſus fideliũ, præſertim ſi oporteat communicare, vel ad vitandam infamiam, vel ad obſeruantiam præcepti, vt dixi concluſione ſecunda.

205 Argumenta autem ſecundæ sẽtentiæ ſolum probant noſtram primam concluſionem, & ita nõ eſt neceſſarium ad ea in particulari reſpondere; nam licet Sacerdos ſimplex non habeat iuriſdictionem abſoluendi à venialibus, quando pœnitens accedit ad ſacramentalem confeſſionem cum ſcientia mortalis peccati, & non habet cauſam legitimam non cõfitendi cum proprio Sacerdote, aut alio Confeſſario approbato, tamen ſi illam habet, vt ſi timet quod proprius Confeſſarius fractor eſſet ſigilli confeſſionis, aut damnum aliquod graue tunc pariter perinde eſt, ac ſi abeſſet proprius Sacerdos, vnde tunc tacitè conſentit Eccleſia confiteri illũ ſimplici Sacerdote, eique tribuit iuriſdictionem ſupra venialia, quia non eſt culpa pœnitentis, quod non quærat Confeſſarium approbatum.

RESOLVTIO X.

Vtrum copula habita cũ infideli, vel hæretica, habeat ſpeciem malitiæ ſacrilegij contra reuerentiam noſtræ Religionis, & ſic, ſit circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione.

206 ANte resolutionem huius difficultatis supponendū est, vt certum, circumstantias mutātes speciem peccatorum esse necessario in confessione exprimendas iuxta dispositionem Concilij Tridentini sessione 14. cap. 5 per hęc verba: cōstat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non posse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua peccata declarassent. Cuius ratio est; quia peccatum in confessione manifestandum est perfectè, & determinatè, quod non fieret; si tacerentur circumstantię mutātes speciem; difficultas igitur pręsens est, An copula habita cum muliere infideli, aut hęretica, habeat speciem malitiæ sacrilegij contra reuerentiam nostræ religionis.

207 Prima sententia affirmat non esse circumstantiam mutantem speciem, sed tantum aggrauantē, & consequenter necessario in confessione aperiendam, & sic eam copulam non differre specie à simplici fornicatione, ita Azor. 3. part. lib. 3. cap. 29. quæst. 3. Filiuccius tom. 2. tract. 30. num. 52. Alcozer. in summa cap. 20. Syluius 2. 2. quæst. 154. art. 2. §. quæritur secundo. Fagundez in decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. nu. 14. Thomas Tamburinus in decalog. lib. 7. cap. 1. §. 1. num. 6. & eam non reprobat Diana part. 3. tract. 4. de Sacramentis resol. 178. imo eam probabilem appellat Diana ipse part. 7. tract. 7. resol. 72. & part. 9. tract. 9. resol. 3. vbi pro hac sentent. citat Thomā Tamb. opusc. 1. lib. 2. cap. 7. §. 4. num. 20. & nouissimè eam defendunt Angelus Maria Verricellus de Apostolicis missionibus tract. 15. miscellan. quæst. 220. & Amadeus Guimenius opusculo aduersus quorumdam expostulationes cōtra nonnullas Iesuitarum opiniones morales tract. de pœnitētia propositione 4. vbi num. 1. asserit, hanc opinionem non improbare Mag. Candidum tom. 2. disquis. 24. art. 23. dub. 35. immerito tamen, cum Magister Cādidus loco citato absolutè eam improbet, vt ex ipsius verbis clare constat. Sic enim ait. dico sexagesimo, habet circumstantiā luxuriæ mutantem speciem, ac necessario fatēdam accessus fidelis cum infideli, quia nedum talis accessus est contra virtutem castitatis, sed etiam est contra religionis christianę decus, ac proinde sacrilegam esse talem copulam, & pertinebit ad sacrilegiū, idem dicendum de copula fidelis cum hæretica, ob dedecus christianæ religionis, ita ille. videat igitur Amadeus Guimenius quo titulo salua fidelitate, asserit Mag. Candidum hanc opinionem non reprobare, nisi forte hoc dixit, quia eum non vidit, nec legit, sed eum citatum ab aliquo inuenit.

208 Probatur primo hæc sententia à Tamburino, in dicto opusculo primo lib. 2. cap. 7. §. 4. num. 21. quia principalis ratio cur dicendum foret hoc peccatum ad speciem sacrilegij pertinere, maximè esset, quia Ecclesia dum prohibet matrimonium fidelis cum infideli prohibet etiam quamcūque copulam, seu coniunctionē, cum sit idem motiuum, idest vt pro reuerentia nostræ religionis vitetur illa coniunctio, quæ est damnosa, tum ipsi fideli, tū proli educandæ; atqui hæc ratio non multum vrget: ergo peccans cū infideli, quantum est ex hoc capite non peccat nisi simplici fornicatione saltē in opinione pro-

ba-

babili: probatur minor, quia in matrimonio eſt longe maior cõiunctio, quam in copula furtiua: ergo non ex eo quod Eccleſia prohibeat matrimonium fidelis cum infideli, colligitur clare prohibitam; eſſe copulam fornicariam ex eodẽ adæquato motiuo.

209 Secundo probatur hæc ſentẽtia ab Angelo Maria Verricelli loco citato, quia motiuum virtutis pietatis ex quo mouetur Eccleſia ad prohibendum matrimonium inter cognatos, adæquate reperitur in copula illicita; imo principaliter propter copulam illicitam facta fuit ab Eccleſia talis prohibitio, vt eſſet inter cognatos tuta conuerſatio, & ideo Eccleſia prohibet matrimonium: ergo multo magis ex eo motiuo prohibuit copulam illicitam, patet conſequentia, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, antecedens vero probatur, quia Leuitici cap. 18. prohibita eſt, quæcumque copula, vt ex ipſo textu ſatis cõſtat; ſic enim ait ſacer textus; *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius*, atqui in Eccleſia renouauit hoc præceptum legale, quod ſpirauerat, quod primus omnium fecit Caliſtus primus epiſtola 2. vt habetur tom. 1. cõcilior. part. 1. vbi ſic ait. *Coniunctiones autem conſanguineorum fieri prohibentur, quando has, & diuinæ, & ſæculi prohibent leges*: ergo prohibet motiuo pietatis erga cognatos quamcũque copulã, ſicut & diuinæ leges prohibebãt leuitici ca. 18. atqui aliter diſcurrendum eſt in impedimento diſparitatis cultus: ergo non ex eo quo quod Eccleſia ex motiuo virtutis religionis catholicę prohibeat matrimonium fidelis cum infideli, intelligitur prohibere ex eodẽ motiuo adæquato, quãcumque copulam inter hominẽ fidelem, & mulierem infidelem, vel è contra, minor ſubſumpta probatur, quia adequata ratio ob quam copula coniugalis eſt prohibita ab Apoſtolo 1. Corint. 6. ac ab eodem Caliſto 1. epiſt. 2. non procedit in copula illicita cum infideli, nam in matrimonio eſt maior coniunctio, & ſic maior indecentia, & irreuerentia religionis, quam ſit in copula furtiua: præterea in matrimonio verſatur maius periculum fidei, quia adeſt periculum peruerſionis tam quo ad coniuges, quam quo ad prolem; atqui in copula illicita, tam grande periculum, non adeſt reſpectu eorum, qui illicitè copulantur; quamuis adſit idem fere periculũ reſpectu prolis, atque adeo non adeſt eadem adequata ratio in prohibitione copulæ coniugalis cum infideli, vel hæretica; ac in copula illicita: ergo non exiſtente eadem omnino adæquata ratione, prohibitio peculiaris Eccleſiæ copulæ matrimonialis cum infideli, & hæretica non extenditur ad copulam illicitam; ſiquidẽ lex prohibitiua, & odioſa non extenditur vltra verba ad alium caſum, niſi in alio caſu adſit omnino adęquata ratio legis, vt docet Suarez de legibus lib. 6. cap. 3. num. 16. & 17.

210 Secunda & probabilior ſentẽtia affirmat copulam illicitam habitam à fideli cũ muliere infideli, aut hæretica habere ſpeciem ſacrilegij contra catholicam noſtram religionem, quæ circumſtantia neceſſario eſt in confeſſione explicanda, ita tenent Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 5. num. 12. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 6. dub. 11. num. 336. et num.

343. Leſſius lib. 4. cap. 3. dub. 6. num. 45. Magiſter Candidus tõ. 2. diſquiſ. 24. art. 23. dub. 35. Hẽriquez lib. 5. cap. 6. num. 3. in comment. litter. M. Lopez part. 1. cap. 36. Bartholomęus à Sancto fauſto de confeſs. lib. 4. quęſt. 97. Auerſa de Sacrament. pœnitent. quæſt. 9. ſect. 9. Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 1. de Sacramentis tract. 10. diſp. 8. §. 3. quæſt. 7. Antoninus Diana part. 3. tract. 4. reſol. 138. & part. 7. tract. 7. reſolut. 72. & part. 9. tract. 9. reſol. 3. & alij.

211 Probatur noſtra ſententia vnico, ſed validiſſimo fundamento, quia quotieſcumque lex eccleſiaſtica ex motiuo alicuius virtutis prohibet matrimonium, tunc ſi reperiatur adæquatè idem motiuum in copula illicita, ex eodem motiuo illius virtutis prohibet etiam copulam illicitam; atqui lex Eccleſiaſtica ex motiuo virtutis Religionis prohibet matrimonium fidelis cum infideli, aut hæretica: ergo cum idem motiuum virtutis religionis reperiatur in copula illicita fidelis cum infideli, aut hæretica ex eodem motiuo cenſetur inter illos prohibita copula illicita, & conſequenter pertinebit tale peccatũ ad ſpeciem ſacrilegij, et continebit circumſtantiam neceſſario in confeſſione explicandam. maior neceſſario debet concedi à Doctoribus oppoſitæ ſententiæ: nam non alia ratione prohibito matrimonio ab Eccleſia inter cognatos ex motiuo virtutis pietatis erga cognatos, etiam cenſetur prohibita inter ipſos copula illicita, quæ proinde eſt inceſtuoſa contra virtutem pietatis, niſi quia non ſolum in copula matrimoniali, ſed etiam in copula furtiua inter cognatos reperitur adæquatum motiuum virtutis pietatis, minor vero ex ſe eſt manifeſta conſequentia autem, in qua eſt tota difficultas probatur: nam motiuum adæquatum ex quo oritur hæc Eccleſiaſtica prohibitio matrimonij fidelis cũ infideli, aut hæretica, ob diſparitatem cultus eſt irreuerentia irrogata per talem copulam coniugalem catholicæ religioni, & periculum peruerſionis, quod adeſt, tam quo ad coniuges, quã quo ad prolem; atqui hoc totum motiuum reperitur in copula illicita fidelis cum infideli, aut hęretica: ergo quo motiuo virtutis religionis catholicæ prohibetur ab Eccleſia copula matrimonialis fidelis eum infideli, aut hęretica, intelligitur etiam prohibita copula illicita. probo minorem; quia ſicut per copulam cõiugalem fidelis fit vna caro cum infideli, aut hæretica, & idao grauis irreuerentia irrogatur noſtræ religioni, ita etiam per copulam illicitam fidelis efficitur vna caro cum muliere infideli, aut hæretica, cum eadem ratio quo ad hoc ſit de copula licita, ac de illicita, teſte Apoſtolo ad Corint. cap. 6. vbi ait: An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? erunt erunt (inquit) duo in carne vna: ergo tam per copulam coniugalem fidelis cum infideli, aut hæretica, quam per copulam illicitam grauis irrogatur iniuria virtuti religionis. deinde ex copula illicita fidelis cum infideli oritur periculam peruerſionis, tam quo ad coniuges, quam quo ad prolem, vt bene docet Abulenſis in cap. 19. Matthæi quæſt. 70. Ratio eſt, quia ſic poſſet vir magis allicere mulierem ad errorem ſuũ (& idem dic è contra) communicando in Venereis; quia nihil eſt quod magis corda peruertat,

&

& alliciat, quam Venus, ſic dicitur de Salomone 3. Reg. cap. 11. quod mulieres peruerterunt cor eius à Deo, vt coleret Idola, & immolabat thura dijs earum: ergo in copula illicita fidelis cum muliere infideli, aut hæretica reperitur idem motiuum adæquatum virtutis religionis ex quo mota Eccleſia prohibuit matrimonium inter fidelem, & infidelem, & conſequenter tale peccatum pertinet ad ſpeciem ſacrilegij cum obligatione explicandi in confeſſione dictam circumſtantiam.

212 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur conceſſa maiori negando minorem; & ad eius probationem, conceſſo antecedenti neganda eſt conſequētia, nam ex eo quod in matrimonio ſit longe maior coniunctio, quam in copula furtiua fidelis cū infideli ſolum inſertur, quod irreuerentia facta virtuti Religionis ſit minor, & periculum euerſionis à fide tam quo ad coniuges, quam quo ad prolem minor ſit, minor autem iſta irreuerentia non extrahit copulam illicitam fidelis cū infideli à ratione ſacrilegij, ſed ſolum eſt circumſtantia diminuens intra eandem ſpeciem ſacrilegij.

213 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur concedēdo totum illum diſcurſum, & negando minorē ſubsūptam. Et ad eius probationem reſpondeo negando maiorem quo ad primam eius partem; nam ex eo quod in matrimonio ſit maior coniunctio, & conſequenter maior indecentia, & irreuerentia religionis, maiuſque periculum auerſionis à fide ſaltem quo ad coniuges (nam quoad prolem adeſt idem fere periculum) quam ſit in copula furtiua, hoc non impedit, quod in copula illicita ſit idem adæquatum motiuum prohibitionis ortum ex motiuo virtutis religionis, vt ſupra probauimus num. 211. & cōſequenter quod ſit peccatum diſtinctum in ſpecie a ſimplici fornicatione, & pertineat ad ſpeciem ſacrilegij propter irreuerentiam grauem irrogatam virtuti religionis, & periculum auerſionis à fide, tam quo ad cōinges, quam quo ad prolem, licet cum circumſtantia diminuente intra eamdem ſpeciem ſacrilegij, quod non tollit vt ſit in confeſſione explicanda ſpecies peccati.

RESOLVTIO XI.

Vtrum defloratio Virginis ſponte conſentientis vltra malitiā ſimplicis fornicationis aliam ſtupri contineat in confeſſione explicandam.

214 ANtequam propoſitam difficultatē reſoluamus examinare oportet, quid ſit ſtuprū, vt ex eius quidditate, ſeu eſſentia colligere poſſimus quando afferat ſecum circumſtantiam mutantem ſpeciem neceſſario in confeſſione explicandam. Stuprū enim tribus modis ſumi poteſt: primo generaliter pro omni concubitu lege prohibito, vnde non modo pro coitu cum vidua honeſta, ſed etiam pro adulterio, inceſtu, & præpoſtera etiā libidine accipi ſolet. ita colligitur ex leg. inter libertas §. lex Iulia, & leg. ſtuprum ff. ad leg. Iuliam de adult. & leg. inter ſtuprum ff. de verborum ſignificatione. Secundo ſtuprum ſumitur ſtrictè pro concubitu cum Virgine, quo eius virginalis integritas violatur. Tertio ſumitur ſtrictius

ctius pro eodem cõcubitu ſi per vim fiat, quo pacto addit malitiam mortalem contra iuſtitiam, & eſt graue crimen, quod etiam punitur morte per leges, ſiue ea cuius illata eſt ſit Virgo, ſiue corrupta, ſed grauius in virgine ob defloration em.

215 Nonnulli Doctores ita ſtuprũ propriè dictum definiunt; eſt concubitus viri cũ fœmina, quo eius integritas violatur. Dicitur concubitus viri cum fœmina, quia concubitus præpoſteræ libidinis excluditur, ſiue ſit inter mares, ſiue inter fœminas inter ſe, ſto etiam polluantur, & inſtrumento penetretur vas virginale, dicitur cum Virgine, quia ſi concubitus ſit cum corrupta, etiam ſi per vim fiat, non eſt ſtuprum proprie dictum, dicitur denique quo integritas eius violatur, quia non ſufficit eſſe corruptam ſola corruptione, vel alia libidine, & alijs membris exercita, ſed debet omnino virginale clauſtrum violari: alij autem Doctores ſtuprum ita definiunt eſt concubitus viri cum fœmina Virgine eadem repugnante, quo integritas eius violatur, quibus ita ſuppoſitis.

216 Auctores qui ſtuprum definiunt eſſe concubitum viri cum fœmina Virgine, quo eius integritas violatur, maximè ſi per vim fiat, conſequenter aſſerũt, quod qui deflorat virginem conſentientem adhuc committit peccatum ſtupri, & conſequenter tenetur hanc circumſtantiam in confeſſione explicare, ita Filliucius tom. 2. tract. 30. cap. 3. nu. 66. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 5. Caietanus 2. 2. quæſt. 154. art. 6. Sylueſter verb. luxuria quæſt. 1. Angelus verb. ſtuprum num. 1. Tabiena eodem verb. Graffis part. 1. lib. 3. cap. 79. numer. 1. Armilla verb. luxuria num. 4. & verb. ſtuprum num. 1. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. num. 6. Pater Don Carolus Mallettus in Auro Theologię moralis tom. 2. de præceptis decalogi malleatione 37. bractea 2. & 3. Antonius Scobar de Mendoza in theolog. morali tract. primo examine 8. cap. 2. num. 72. licet hanc opinionem limitet de Virgine conſentiente exiſtente ſub cura parentum. Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 2. quæſt. 9. art. 2. dub. 3. concluſ. 6. Petrus Fray ibidem diſp. 8. concluſ. 1. Bonacina de matrimonio quæſ. 4. punct. 17. num. 2. Villalobos in ſumm. tom. 1. tract. 9. dub. 36. num. 15. & alij.

217 Probatur primo. hęc ſententia, qui conſenſus Virginis non tollit rationem formalẽ ſtuprij: ergo qui deflorauit Virginem conſentiẽtem tenetur hanc circumſtantiam in confeſſione explicare, & hoc ſiue Virgo ſit ſub cura parentum, ſiue non. Conſequentia eſt formalis, & antecedens probatur: tum quia ratio formalis ſtupri cõſiſtit in defloratione clauſtri virginalis, ſtuprum enim ſic definitur, eſt cõcubitus viri cum fœmina virgini, quo eius integritas violatur; atqui conſenſus Virginis non impedit violationẽ ſuę integritatis virginalis: ergo non tollit rationem formalem ſtuprij, tum etiam, quia Virgo non habet dominium ſuæ integritatis virginalis, niſi in caſu à natura intento: ergo eius conſenſus non aufert rationem formalem ſtuprij. antecedens pobatur: nam integritas virginalis eſt bonum naturæ ad corporis naturam pertinens: ergo ſicut femina non habet dominium aliorum ſuorum membrorum, niſi propter bonum ali-

quod

quod ab ipſa natura intentum, ita nec ſuæ integritatis virginalis: ergo qui corrumpit virginẽ conſentientem committit ſtuprum, & conſequenter tenetur hanc circumſtantiam in confeſſione explicare.

218 Secundo probatur; quia totieſcumque aliquod peccatũ mortale opponitur dupplici ſpeciali virtuti continet in ſe ſpecialem deformitatem, neceſſariò in cõfeſſione aperiendam; atqui defloratio virginis cõsẽtiẽtis in ſua defloratione opponitur duplici ſpeciali virtuti: ergo continet in ſe ſpecialem deformitatem neceſſario in confeſſione explicandã. probatur minor: nã dicta defloratio virginis cõsẽtiẽtis opponitur virtuti caſtitatis, & virtuti virginitatis, quæ eſt ſpecialis virtus diſtincta à virtute caſtitatis: ergo opponitur dupplici ſpeciali virtuti.

219 Tertio probatur: quia defloratio virginis, etiam ſi ipſa in ſui defloratione conſentiat voluntariè continet in ſe malitiam grauem contra obedientiam patri debitam, aut contra charitatem propter malum graue parentum, quod filia potuit, & debuit impedire: ergo ſaltem dum virgo eſt ſub cura parentũ eius defloratio quamtumuis voluntaria ſit ex parte ipſius virginis, eſt circumſtantia neceſſario in confeſſione aperienda: antecedens quoad primam partem nempè, quod grauis culpa ſit contra obedientiam patri debitam probatur; nam filius peccat grauiter contrahendo matrimonium inuitis parentibus, ex communi ſententia, quam affert Thomas Sanchez lib. 4. de matrimonio diſp. 23. at, qui in caſu noſtro magis inuiti videntur eſſe parentes, quando filia defloratur extra matrimonium, etiam filia ipſa in defloratione libere conſentiente: ergo prædicta defloratio continet malitiã grauem contra obedientiam parentibus debitam. quoad ſecundam vero partem, ſcilicet quod ſit contra charitatem, & pietatem parentibus debitam, probatur antecedens, nam defloratio iſta Virginis extra matrimonium, abſque dubio affert parentibus grauiſſimam, & iuſtitiſſimam mẽſtitiæ cauſam, ignominiamque, & neceſſitatem augendæ dotis, & alia maxima detrimenta, quæ filia impedire poterat; & tenebatur: ergo dicta voluntaria defloratio Virginis continet ſpecialem malitiam contra charitatem, & pietatem parentibus debitam, & conſequenter eſt circumſtantia, neceſſario in confeſſione explicanda.

220 Probabilius tamen dicendum eſt defloratione Virginis volũtariè conſentientis in ſua defloratione non pertinere ad ſpeciem ſtupri, ſed ſolum ad ſpeciem ſimplicis fornicationis, & ita non continere circumſtantiam, aut ſpecialem malitiam neceſſario in confeſſione explicandam, ita Sanchez lib. 7. de matrimon. diſputat. 14. numer. 7. Vaſquez de reſtitut. cap. 3. §. 1. dub. 1. Leſſius de iuſtit. & iure lib. 2. cap. 10. dub. 1. Bannez 2. 2. quæſt. 62. art. 2. dub. 7. in confirmatione primæ concluſionis Eminẽtiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſput. 16. ſect. 4. §. 7. numer. 218. Petrus de Nauarra li. 2. de reſtit. ca. 3. par. 4. de lædẽte in bonis corporis dub. 1. in noua editione nu. 419. Molfeſ. Trullench, & Megala, quos citat, & ſequitur Diana parte prima tractat. 7. de circumſtantijs aggrauantibus reſolut. 11. Lean-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

der à Sanctiſſimo Sacramento tom. 1. tract. 5. de pœnitent. diſput. 8. quæſt. 17. §. 2. Tamburinus in opuſcul. de expedita cõfeſs. lib. 2. cap. 7. §. 8. num. 55. & in præcep. Decalogi lib. 7. cap. 5. §. 1. num. 1.

221 Probatur quia cõſenſus volũtarius Virginis aufert in violatione clauſtri Virginalis rationem formalem ſtupri; atqui Virgo eſt domina ſuæ integritatis virginalis: ergo ille, qui defloranit Virginem conſentientem, non tenetur dictam circumſtantiam in confeſſione explicare. Conſequentia manifeſtè ſequitur ex præmiſſis, & maior conſtat ex definitione ſtuprij, quam tradũt Doctores citati pro noſtra reſolutione, eſt enim concubitus viri cum fœmina virgine ipſa repugnãte quo integritas eius virginalis violatur, ergo ſi illa conſentit voluntariè in ſua defloratione talis conſenſus Virginis aufert rationem formalem ſtuprij prout conſtituit ſpeciem diſtinctam, à ſimplici fornicatione, minor vero probatur, quia mulier eſt domina vſus illius membri, ſicut, & aliorum, & quia talis vſus non eſt ſine corruptione non peccat illa contra iuſtitiam ſi amittat virginitatem volens, vt docet Bannez loco ſuperius citato: ergo virgo vere eſt domina ſuę integritatis virginalis: ergo etiã qui illam defloratipſa volente non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolum contra caſtitatem, & conſequenter non tenetur in confeſsione circumſtantiarum virginitatis explicare.

222 Ad primum argumentum cõtrariæ ſententiæ reſpondetur negando antecedens, & ad primam eius probationem reſpondeo negando maiorem; nam ſtuprum, vt eſt ſpecies diſtincta à ſimplici fornicatione non conſiſtit formaliter in ſola violatione clauſtri virginalis, medio cõcubitu viri cum femina virgine, ſed addit violentiam, vt quando interuenit violentia, aut raptus, vel quando per dolum, aut fraudem, aut alio iniuſtitiæ genere virgo defloratur: itaut ſtuprum addat ſupra raptum circumſtãtiam virginitatis. Raptus enim poteſt eſſe reſpectu illius, etiam quæ nõ ſit virgo; addit ergo ſtuprũ ſupra raptum ſpecialem malitiã defloratiõnis, vt docet Sanchez loco citato. Ad ſecundam probationem eiuſdem antecedentis Reſpondetur negando antecedens, vt conſtat in probatione noſtræ reſolutionis. Deinde quia etiam ſi mulier virgo non eſſet domina ſuæ integritatis virginalis, vt intendit argumentum conſentiendo in fractione clauſtri virginalis non peccaret contra caſtitatem, aut temperantiam, ſed contra obligationem conſeruandi vitam, & membra integra, quæ eſt diuerſa virtus. præterea: quia neque contra hanc virtutem peccaret mortaliter: nam peritiſſimi medici negant fieri ruptionem alicuius membranę, ſed meram dilatationem partium orificij, quæ prius complicatæ erant, vt optimè notat ex Sanchez, Cardinalis Lugo, vbi ſupra num. 222. vlterius quia licet eſſet ruptio alicuius membranæ eſſet materia, adeo leuis, vt non poſſet habere malitiam grauem contra obligationem conſeruandi corporis integritatem, ſicut neque eſt peccatum graue aliquam exiguam carnis particularem ſibi abſcindere. Ex quo patet ad probationem antecedentis.

Ad

223 Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo maiorem; ſi vtraque virtus obliget ſub prȩcepto concedo maiorem, ſi vna obliget ſub præcepto, & altera cadat ſub conſilio nego maiorem, & ſimiliter diſtinguo minorem, defloratio Virginis conſentientis opponitur dupplici ſpeciali virtuti; ita vt vtraq; virtus obliget ſub præcepto nego minorem, ita vt vna obliget ſub præcepto, & altera ſit ſub conſilio concedo minorem, & nego conſequentiam, & ad probationem minoris reſpondeo cum Eminentiſſimo Cardinali Lugo, vbi ſupra num. 221. quod licet concedamus virginitatem eſſe ſpecialem virtutem diſtinctam à virtute caſtitatis, tamen non eſt virtus obligans ſub præcepto, ſed pertinens ad conſilium, vt docet Apoſtolus epiſtol. prima ad Chorinthios cap. 7. de Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Cui virtuti nõ minus opponitur copula cum coniuge, quam cum alieno.

224 Ad tertium reſpondetur negando antecedens, & ad probationem pro prima eius parte Reſpondeo falſum eſſe per ſe loquẽdo obedire patri præcipienti, aut prohibenti aliquas nuptias, niſi in raro caſu propter maxima incommoda, quæ patri ex aliquo filij, aut filiæ matrimonio prouenirent, deinde quia licet verũ eſſet antecedens probationis, falſa eſt conſequentia: nam Sãchez, & alij, qui negant Virginem peccare contra parentes, quando permittit ſe deflorari, adhuc dicunt peccare filium, ſi non ſolũ inuitis, ſed etiam in conſultis parentibus matrimonium contrahat: & reddũt rationem; quia in ijs, quæ pertinent ad ſtatum eligendum adeo periculoſum, debet filius audire conſilium patris per ſe loquendo, licet non obligetur ad illud acceptandum, ad probationẽ ſecundæ partis eiuſdem antecedentis dico, quod illa mœſtitia, & ignominia parentum, & malitia iniuriæ inde ſecuta non prouenit ex circumſtantia virginitatis, neque vt Cõfeſſarius hanc malitiam intelligat, eſt neceſſarium in confeſſione explicare circumſtãtiam virginitatis, quia fere eadem mœſtitia, & ignominia prouenire poteſt ex turpitudine filiæ prius defloratæ, maxime ſi eius defloratio occulta manſerat.

RESOLVTIO XII.

Vtrum fornicatio occulta, aut pollutio voluntaria in Eccleſia, aut alio loco ſacro, participet malitiam ſacrilegij in confeſſione explicandam.

225 PRima ſententia ſubſtinet pollutionem voluntariam, aut fornicationem occultam habitam in Eccleſia, aut in alio loco ſacro non pertinere ad ſpeciẽ ſacrilegij, atque adeo non eſſe neceſſarium in cõfeſſione explicare circumſtantiam loci ſacri; ita Vaſquez prima ſecũdæ quæſt. 72. art. 7. diſp. 98. cap. 3. num. 6. Baſilius Pontius de matrimonio diſp. 10. cap. 10. num. 15. Caſſpẽſis in curſu Theologiæ moralis tom. 1. tract. de peccatis diſp. 2. ſect. 3. num. 20. Quiedus in part. 2. D. Thomæ tract. 6. controuerſ. 5. punt. 3. §. 9. num. 64. Trullench. tom. 2. in decalog. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 11. & eam probabilem iudicant Caramuel in regulam Diui Benedicti diſput. 66. concluſione 14. num. 1017. Pagina mihi 368. Baſſæus

in flor. Theologiæ moral. in ſecunda editione verb. ſacrilegium 11. num. 3. Leander de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 8. quæſt. 9. Tamburinus in decalog. lib. 7. cap. 2. §. 1. num. 8. Diana part. 1. tract. 7. reſol. 26. & part. 9. tract. 9. reſol. 5. plures alios citat pro hac opinione Amadeus, Guimenius in ſuo opuſculo aduerſus quorũdam expoſtulationes cõtra nonnullas Ieſuitarum opiniones tract. de pœnitentia propoſit. 11. p. 250. & 151.

226 Probatur primo hæc ſententia: quia fornicatio, aut pollutio voluntaria habita in loco ſacro, in tantum eſt ſacrilegium in quantum per copulam illam, aut pollutionem, ſeu ſeminis effuſionem polluitur Eccleſia; atqui per copulam, aut pollutionem occultam non polluitur Eccleſia, vt docent Ioãnes de la Cruz in direct. part. 2. de ſacrific. miſſæ quæſt. 3. numer. 3. Ludouicus Lopez in inſtruct. conſcient. par. 1. cap. 82. §. at vero de redditione debiti in loco ſacro, Zenardus 1. part. directorij de Sacrament. matrimonij cap. 41. & alij communiter: ergo fornicatio, aut pollutio voluntaria in loco ſacro non continet circumſtantiam ſacrilegij neceſſario in confeſſione explicandam, conſequẽtia manifeſtè ſequitur ex præmiſſis, maior conſtat ex cap. Eccleſijs de conſecrat d. 1. & ex cap. ſi Eccleſia de conſecrat. Eccleſiæ in 6. & ex cap. ſignificaſti de adulterijs, minor vero probatur: nam quando copula, aut pollutio volũtaria in Eccleſia fuit occulta, & poſtea publicatur, & fit notoria tunc propter illam publicationem, & notorietatem in foro externo Eccleſia incipit eſſe pollutam, indigetque reconciliatione: ergo per copulam, aut fornicationem precedentem occultam Eccleſia nõ fuit polluta, aut violata: igitur nec fuit in foro interno ſacrilega, & conſequenter non continet circumſtantiam neceſſario in confeſſione aperiendam.

227 Secundo probatur: quia Eccleſia non poteſt percipere actus internos, illoſque interdicere; atqui actus exteriores ſecreti, & occulti prout tales participant eamdem rationem: ergo ſicut non eſt ſacrilegium conſẽſus determinatus voluntatis in loco ſacro, aut Eccleſia fornicationis, aut pollutionis voluntariæ, ita ſimiliter non erit ſacrilega pollutio, aut fornicatio occulta in Eccleſia, aut loco ſacro. Conſequentia eſt formalis ex paritate rationis, & maior eſt communis inter Doctores: quia nemo poteſt percipere, quod non poteſt punire, atqui Eccleſia non poteſt cognoſcere actus internos; ergo nec poterit illos percipere, hinc enim ortum habuit illud axioma commune, & veriſſimũ; de occultis Eccleſiam nulla ratione iudicare. Minor vero in qua eſt difficultas probatur: nam ſicut Eccleſia non poteſt cognoſcere, nec punire actus mere internos, ita nec poteſt cognoſcere, aut punire actus exteriores occultos: formaliter vt tales ergo ſicut actus interni peccaminoſi in materia luxuriæ non participant circumſtantiam ſacrilegij in confeſſione aperiendam, ſi fiant in Eccleſia, aut loco ſacro, ita ſimiliter nec actus exteriores ſecreti, & occulti prout tales cõtinebũt prædictam ſacrilegij circumſtantiam in confeſſione neceſſario explicandam.

228 Tertio probatur: quia ſi quælibet effuſio ſeminis quantumuis ſecreta habita in Eccleſia, aut lo-

co

co ſacro eſſet ſacrilega ſequeretur, quod copula ſecreta coniugalis in Eccleſia habita eſſet peccatum mortale ad ſpeciem ſacrilegij pertinens; atqui hoc eſt falſum: ergo, & quod omnis effuſio ſeminis ſecreta in Eccleſia, aut loco ſacro habita ſit ſacrilega, probatur ſequela: quia ſi ſemel admittatur Eccleſiam in cap. eccleſijs de cõſecrat. & cap. ſi Eccleſia de conſecrat. Eccleſiæ in 6. & capit. ſignificaſti de adulterijs, per illa verba Eccleſiam pollui, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſcumque ſemine, loqui de effuſione cuiuſcumque ſeminis etiam ſecreta: ergo ſequitur clarè, & manifeſte Eccleſiam pollui per copulam matrimonialem ſecretam, illamque eſſe peccaminoſam mortaliter, & ſacrilegam, falſitas autem ſequelæ probatur, nam ad hoc vt copula coniugalis ſecreta habita in Eccleſia, aut in loco ſacro, ſit ſacrilega debet eſſe mortaliter peccaminoſa cum non compatiatur, quod ſit licita, & quod ſacrilega ſit; atqui talis copula coniugalis ſecreta, & occulta in loco ſacro habita, nõ eſt peccaminoſa mortaliter vt docent Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3. per hæc verba, nulla ergo ſeminis effuſio in loco ſacro, quando ita occulta eſt, vt in publicum venire non poſſit, erit ex violatione ſacri peccatũ mortale, patet quia niſi violatione legitime conſtiterit, non eſt à celebratione abſtinendum, ob idque iniuria non eſt adeo atrox cenſenda, & Ludouicus Lopez 1. part. inſtruct. cap. 82. §. at vero vbi ita loquitur, at vero de redditione debiti in loco ſacro 230
multum cõtrouertitur inter Doctores, an peccatum mortale ſit, & poſtea prope finem proſequitur, ſi tamen ſit ſecretus talis cõcubitus, quia tunc ſecundum Sotum, & Theologos non indiget reconciliatione Eccleſia, forte inquit Sotus, non eſt peccatum mortale, cui ego aſſentio; ergo nec dicta copula coniugalis ſecreta erit ſacrilega.

Secunda, & vera ſententia docet fornicationem, aut voluntariam pollutionem habitam in Eccleſia, aut alio loco ſacro pertinere ad ſpeciẽ ſacrilegij, atque adeo eſſe neceſſariũ in ſacramẽtali confeſſione explicare loci circumſtantiam, ita affirmant Suarez tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 7. num. 4. Sanchez lib. 9. de matrimonio diſp. 15. num. 11. Paſſerinus tract. de pollutione Eccleſiarum diſp. 7. cap. 1. num. 5. Raffael de la Torre in 2. 2. D. Tho. quæſt. 99. art. 2. diſp. 7. Mag. Cãdidus tom. 2. diſquiſit. 24. artic. 23. dub. 38. Mag. Marcus Serra tom. 2. in prim. 2. D. Thomæ, quæſt. 72. art. 6. dub. 2. §. hinc colligitur tertio; Diana part. 1. tract. 7. reſol. 27. & part. 9. tract. 9. reſol. 5. Naldus verb. ſacrilegium num. 12. Leander à Sanctiſſimo Sacramento tom. 1. de Sacrament. tract. 5. de pœnitẽt. diſp. 8. qu. 9. D. Carolus Malletti in aureo Theologiæ moralis tom. 1. de Sacrament. malleatione 62. bractea 21. Angelus Maria Verricelli de Apoſtolicis miſſionibus tract. 15. miſcel. qu. 280. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 10. num. 262. quæ prohibitio habetur in cap. Eccleſijs de conſecrat. d. 1. & cap. ſi Eccleſia de conſecratione Eccleſiæ in 6. & cap. ſignificaſti de adulterijs.

Hanc opinionem ita probat Eminentiſſimus Lugo, quia ſi fornicatio, aut voluntaria pollutio habita occultè in Eccleſia, aut in loco ſacro poſtea fieret

pu-

publica Eccleſia pollueretur: ergo à principio fuit ſacrilegium contra Eccleſiæ prohibitionem, probatur conſequentia: nam prædicti actus non incipiunt eſſe contra Eccleſiæ prohibitionem quando publicãtur: ergo à principio fuerunt contra prohibitionem Eccleſiæ, & conſequenter ſacrilegij rationem à principio participarunt, probo antecedẽs: quia ſi pollutio volũtaria occultè habita in Eccleſia, & poſtea publicata inciperet poſt publicationem eſſe contra Eccleſiæ prohibitionem, ſequeretur quod poſt talem publicationem inciperet eſſe ſacrilegam, ſicut per talem publicationẽ Eccleſia eſt polluta: ergo ille, qui habuit in Eccleſia pollutionem ſecretam, quæ poſtea fuit publicata teneretur illam poſt publicationẽ iterũ confiteri, explicando in confeſſione circumſtantiam loci ſacri: nam in prima confeſſione quando pollutio erat occulta ſupponimus illam fuiſſe confeſſus abſque tali circumſtantia, & conſequẽter talis homo teneretur bis confiteri ſacramentaliter idem peccatum mortale, quod nemo dicit: ergo melius dicendum eſt talem pollutionem à principio fuiſſe contra Eccleſiæ prohibitionem, & habere circumſtantiam ſacrilegij in confeſſione neceſſario explicandam.

231 Secundo probatur ex doctrina tradita à Mag. Serra vbi ſupra ex capite ſignificaſti de adulterijs, vbi præcipitur, vt reconcilietur Eccleſia, in qua mulier ſecretum adulterium cum quodam præsbytero cõmiſerat illudque poſtea publicauit; atqui non fuit Eccleſia violata, & polluta per talem publicationem: ergo per ſecretum adulterium in Eccleſia commiſſum, probatur minor, nã publicatio illius adulterij ſolũ fuit manifeſtatio violationis, & pollutionis Eccleſiæ: ergo ſupponitur antea Eccleſia polluta, & violata per ſecretam pollutionem licet non egeat reconciliatione ante publicationem dictæ violationis, probatur conſequẽtia: nam licet non teneamur vitare eum, qui ſecreto percuſſit clericum; quouſque percuſſio ſit notoria; hoc tamen non eſt, quia propter publicationem inciderit percuſſor in excommunicationem; ſed quia non tenemur vitare niſi notoriũ clerici percuſſorem: ergo ſimiliter dicendum eſt Eccleſiam fuiſſe violatam per ſecretam pollutionem, ſeu ſeminis effuſionem, licet non egeat reconciliatione quouſque violatio illa publicetur.

232 Probatur tertio; quia etiam ſi concedamus Eccleſiam non violari per ſecretam ſeminis effuſionem, ex hoc non ſequitur prædictam effuſionem ſecretam ſeminis in Eccleſia nõ eſſe ſacrilegam: ergo ſempet eſt in confeſſione neceſſario explicanda circumſtantia loci ſacri. probo antecedens: quia Eccleſia prohibet ſeminis effuſionem in loco ſacro ſub motiuo, & ratione, ſeu intuitu virtutis religionis: ergo etiam ſi per pollutionem, ſeu ſeminis ſecretam effuſionem non violaretur Eccleſia, adhuc propter grauem irreuerentiam factã loco ſacro talis pollutio, ſeu ſecreta ſeminis effuſio in Eccleſia erit ſacrilega: nam ad rationem ſacrilegij in hoc caſu ſufficit, quod talis actio peccaminoſa quantumuis ſecreta ſit, fiat contra ſanctitatem ad quam Eccleſia conſecratur; atqui Eccleſia conſecratur, vt ſit immunis ab omni violentia, & immunditia Venerea per ſeminis effuſionem:

er-

ergo omnis feminis effusio in Ecclesia, aut loco sacro, erit sacrilega.

233 Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur primo concedendo maiorem,& negando minorem, aliud enim est violatio Ecclesiæ, aliud vero publicatio violationis eiusdem Ecclesiæ per effusionem enim seminis occultam verè violatur Ecclesia, licet per talem effusionem seminis occultam talis violatio non publicetur, nec Ecclesia in foro externo egeat reconciliatione donec effusio seminis, aut sanguinis publicetur, vt ex cap. significasti de adulterijs supra probauimus,quod manifestè colligitur ex sacris canonibus, qui indistinctè dicunt, ex cuiuscumque seminis effusione;homicidio, aut sepultura infidelium Ecclesiam violari, quæ propositio cũ sit indefinita æquiualet vniuersali; idem enim est dicere ex quacumque seminis effusione Ecclesiam violari, ac dicere omnis seminis effusio violat Ecclesiam; atqui vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus: cum præcipuè in omnibus eadem militet ratio; dummodo actio peccaminosa sit; ergo seminis occulta effusio violat Ecclesiam, quãuis ante publicationem Ecclesia non indigeat reconciliatione, nec cõtrarium docent Auctores in argumento citati pro illa minori, vt in solutione ad tertium argumentum dicemus.

234 Secundo respondetur negando causalẽ maioris; quia ex duplici capite potest oriri, quod seminis effusio in Ecclesia, aut loco sacro sit sacrilega, & consequenter contineat circumstantiam necessario in confessione explicandam. Vel ex eo quod per talem seminis effusionem violetur Ecclesia, vel ob grauẽ irreuerentiam irrogatam per talem actionem peccaminosam, Ecclesiæ, aut loco sacro; quare licet concedamus Ecclesiam per occultam seminis effusionem nõ violari, & ex hoc capite non sit sacrilega, tamen non sequitur, quod non sit sacrilega ex alio capite iam assignato, nẽpe ob grauem iniuriam irrogatam Ecclesiæ contra virtutem Religionis; quatenus talis seminis effusio est contra sanctitatem ad quã Ecclesia consecratur, scilicet vt sit immunis ab omni violentia, etiã immunditia venerea; vt supra diximus, quod optime notauit Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3. per hæc verba, quando violatio Ecclesiæ est occulta; nec opus est, missas, & sacrificia suspendere, neque Ecclesiam recõciliare, & est communis opinio: nulla ergo seminis effusio in loco sacro, quando ita occulta est, vt in publicum venire nõ possit, erit ex violatione loci sacri peccatum mortale: ita Sotus in quibus verbis non loquitur de peccato mortali contra castitatis virtutem aliàs illa vniuersalis esset omnino falsa, sed contra Ecclesiæ violationem, & ita inquit, quod nulla seminis secreta effusio in loco sacro erit sacrilega ex violatione loci sacri: ergo supponit sacrilegam esse ex alio capite; nempe ob irreuerentiam grauem irrogatam Ecclesiæ, aut loco sacro, quatenus talis seminis effusio est contra sanctitatem ad quam Ecclesia cõsecratur, vt sit immunis ab omni violentia, & immunditia venerea per seminis effusionem, quare immeritò in fauorem oppositę sententiæ citat Sotum, Amadeus, Guimenius in suo opusculo aduersus quorũdam expostulationes cõtra

tra nonnullas Ieſuitarum opiniones propoſitione 11. num. 2.

235 Ad ſecundum Reſpõdetur cõcedendo maiorem, & diſtinguẽdo minorem actiones exteriores ſecretæ, prout tales participant eamdem rationem, ſi prohibitio Eccleſię fiat in pœnam delinquẽtis tranſeat minor, ſi fiat ex motiuo alicuius virtutis nego minorem; & ſimiliter nego in eodẽ ſenſu conſequentiam, quia prohibitio effuſionis ſeminis in Eccleſia, per quam Eccleſia violatur, non eſt primario à ſacris Canonibus inſtituta, propter pœnã delinquentis, ſed propter indecentiam, ne in eo loco celebrẽtur officia diuina, vbi eiuſmodi impię, aut turpes actiones patratæ ſunt, vt egregiè docet Paſſerinus tract. de pollut. Eccleſiarum diſp. 3. cap. 8. num. 3. deinde quia etiam ſi Eccleſia per talem pollutionem, ſeu ſeminis effuſionem ſecretam non violaretur, adhuc talis effuſio ſeminis eſſet ſacrilega, quia Eccleſia eam prohibet ſub motiuo, & ratione, ſeu intuitu Religionis, vt ſupra dixímus.

236 Ad tertium Reſpondetur diſtinguendo ſequelam concubitus matrimonialis in Eccleſia eſſet peccatum mortale pertinens ad ſpeciem ſacrilegij, etiam ſi talis concubitus eſſet ſecretus; ſi fieret cum circumſtantijs tollentes contemptum irreuerentiæ loci ſacri, nego ſequelam, ſi non cõcurrant prædictæ circumſtantiæ concedo ſequelam, circumſtantiæ autem quæ debent concurrere ad hoc, vt copula matrimonialis ſecretè habita in Eccleſia, aut alio loco ſacro, ſit licita ſunt quando diuturna eſt eorum, ſcilicet coniugum, in Eccleſia, & neceſſaria habitatio, vel quando abſque contemptu loci ſacri faciunt, cauſa vitandi pollutionem in ſe, vel in Compari, at vero ſi non concurrant dictæ circumſtantiæ copula coniugalis eſt illicita, & ſacrilega, etiam ſi ſit ſecreta. ita cum multis allegatis docet Ioãnes à Cruce in directorio, p. 2. de ſacrificio miſſæ quæſt. 3. verſu At vero violetur Eccleſia, vbi ſic ait: ſi cõiuges ſine cauſa ibi coeunt, vtpotè ſi poſſunt exire ad coitum extra Eccleſiam, aut ſi per breue tempus cogantur eſſe in Eccleſia, & facile poſſunt abſtineri à coitu ibi, peccãt mortaliter petendo, & reddendo debitum contra reuerentiam loci, & violatur Eccleſia ſi coitus publicetur. idem docent Sotus, & Lupecius citati in argumento. Ex qua doctrina efficaciſſima, argumẽtũ ſumũt ad oſtẽdẽdũ pollutionẽ voluntariam ſecretè habitam in Eccleſia, aut loco ſacro eſſe ſacrilegam, quia copula coniugalis, quę ex ſe, & ex natura rei eſt illicita ſi habeatur in Eccleſia aut loco ſacro etiam ſi ſit occulta ſi non adſint cauſæ aſſignatę tollẽtes loci ſacri irreuerentiam, eſt mortaliter peccaminoſa, & ſacrilega: ergo copula licita in Eccleſia, aut loco ſacro occultè habita neceſſario erit ſacrilega, vel ratione violationis, aut irreuerentię factæ Eccleſię, aut loco ſacro. Vnde non percipio qua ratione Amadeus, Guimenius in fauorẽ opinionis contrarię afferat Ioannem à Cruce, & Ludouicum Lopez in ſuo opuſculo dicta propoſitione 11. citata, ex quibus infero cum magiſtris Candido, & Serra locis ſuperius citatis oppoſitam ſentẽtiam (ſalua pace aliorũ Doctorum) nullo modo eſſe tutam in praxi.

RE-

RESOLVT. XIII.

Vtrum tactus impudici facti in Eccleſia, aut loco ſacro habeant ſpecialem malitiam ſacrilegij mortalis neceſſario in confeſſione explicandam.

237 IN hac difficultate tres inuenio ſententias, duæ ex Diametro oppoſitę,& tertia,quæ inter illas mediam viam eligit. prima ſententia affirmat omnes tactus impudicos mortaliter peccaminoſos in Eccleſia, aut loco ſacro habitos habere ſpecialem malitiam ſacrilegij neceſſario in confeſsione explicandam. ita defendunt Ortiz in ſumma notabili 5. in fine circa 6. prȩceptum, Salas in 1. 2. tom. 2. tract. 23. diſp. 6. ſect. 22. nu. 150. §. & hoc certius, Pitigianus in 4. tom. 2. diſtinct. 17. queſt. vnica art. 5. in circumſtantia vbi in fine Azorius. tom. 1. lib. 4. cap. 6. queſt. 10. Suarez de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 7. num. 11. Raffael de la Torre 2. 2. tom. 2. quæſt. 99. art. 3. diſput. 7. quos citat Diana part. 1. tract. 7. reſol. 25. & part. 2. tract. 3. miſcel. reſol. 23. vbi dictam reſolutionem 25. primę partis ad literam copiauit quibuſdam verbis additis in tit. reſol.

238 Probetur hæc ſentia ex doctrina Ludouici Lopez tom. 1. inſtruct. concurr. cap. 43. §. ſed quid dicendum, nam tactus impudici præſertim in partibus inhoneſtis de per ſe ordinãtur ad copulam, quæ ex lege Eccleſiæ, & prohibita: ergo prædicti actus, ſeu tactus inhoneſti in Eccleſia, aut loco ſacro pertinent ad ſpeciem ſacrilegij, ſicut & ipſa copula, probatur conſequentia: quia licet iſti tactus impudici quando cõcomitanter ſe habent ad copulã in Eccleſia cum aliqua muliere non fit neceſſarium illos in confeſſione explicare, ſed ſufficiat confiteri copulã, quia non conſtituũt peccatum diſtinctum ab ipſa copula, tamẽ cũ habẽtur per ſe ſoli dicti tactus, inhoneſti cõſtituũt peccatum mortale; atqui quando habẽtur in Eccleſia, aut in loco ſacro nõ ſolũ opponũtur virtute caſtitatis, ſed etiam ſpecialiter virtuti religionis: ergo pertinent ad ſpeciem ſacrilegij, & cõſequẽter circũſtãtia loci neceſſario erit in confeſſione explicãda, probatur minor: quia ex lege naturali tenemur locũ ſacrũ decenter, & reuerẽter tractare; atqui per prædictos tactus inhoneſtos fit irreuerẽtia grauis loco ſacro: ergo prædicti tactus inhoneſti nõ ſolũ apponuntur virtuti caſtitatis, ſed ſpecialiter etiã virtuti religionis: igitur circũſtãtia loci ſacri eſt neceſſario in cõfeſſione explicanda ob grauẽ irreuerentiam factam loco ſacro.

239 2. sẽtẽtia ſuſtinet tactus inhoneſtos i Eccleſia ſine effuſione ſeminis nõ eſſe ex hoc capite peccatũ mort. expectãs ad ſpeciẽ ſacrilegij; vnde nec ſpecialiter in eorũ confeſſione facer locus explicãdus neceſſe eſt, etiã ſi tali tactus inhoneſti habeãtur cũ pollutionis periculo, ita Tamburin. in prȩcep. Decal. lib. 7. ca. 2. §. 1. nu. 10. Cuius fũdamẽtũ eſt, quia hoc ſacrilegiũ cõmittitur, ex eo quod violatur Eccleſia (quæ quidem violatio per ſacros Canones inducta fuit) atqui per ſolos tactus quomodocumque pudicos, quãuis cũ pollutionis periculo (modo pollutio non ſequatur) non violetur Eccleſia: ergo prædicti tactus impudici non conſtituũt peccatũ ſacrilegij, cũ obligatione explicandi in confeſſione circũſtantiam loci ſacri.

240 Vt autem explicet dictus Pater Tamburinus in quo ſenſu loquatur addit num. 11. ſe notãter dixiſſe ex hoc cap. quia non eſt negandum (inquit) quod ſi quis hæc, vel ſimilia exerceat in loco ſacro cum magna Eccleſiæ irreuerentia, vt ſi merè trium publicè ante altare impudicè tangeret, ſi in ſacro templo laſciuas comedias repræſentet, & cætera, non eſſe inquam negandum tales actiones pertinere ad ſpeciem ſacrilegij; cuius rationem reddit; quia eſſet grauis irreuerentia diuini cultus, atque adeo ipſius ſummi Dei notabilis iniuria, ergo, & cætera.

241 Tertia ſentẽtia media via procedit, aſſerit igitur tactus inhoneſtos habitos in Eccleſia, aut loco ſacro abſque pollutionis periculo non conſtituere peccatum mortale pertinens ad ſpeciẽ ſacrilegij, cum obligatione explicandi in confeſſione circumſtantiam loci ſacri, ſecus autem ſi fiant cum periculo pollutionis, quia tunc pertinent ad ſpeciem ſacrilegij, cum onere explicandi in confeſſione circumſtantiam loci ſacri, ita tenent Sanchez tom. 3. de matrim. lib. 9. diſp. 15. num. 21. Caiet. tom. 1. opuſculor. tract. 17. opuſcul. 31. reſponſ. 12. dub. 2, Nauarr. in cap. conſideret in principio num. 20. de pœnitent. diſt. 5. Fagundez in præcept. Eccleſiæ præcep. 2. lib. 4. cap. 4. numer. 31. & in præcep. decalogi lib. 3. cap. 3. num. 13. Diana parrt. 1. tract. 7. reſolut. 25. & part. 2. tractat. 3. miſcellan. reſolut. 23. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſput. 16. ſect. 10. num. 464. Leander à Sanctiſſimo Sacramento tomo primo de Sacrament. diſput. 8. tract. 5. quæſt. 13. Zenardus 1. part. direct. de matrim. cap. 41. Magiſter Candidus tom. 2. diſquiſ. 24. art. 23. dub. 41. Pater Antonius Scobar de Mendoza in lib. Theolog. Moralis tract. 1. examen 8. num. 80. §. dixi tactus impudicos. D. Ioannes Caramuel in regul. Sancti Benedicti diſp. 66. concluſ. 14. num. 1016. Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 15. punct. 1. D. Carolus Malletti in auro Theolog. Moralis tom. 1. de Sacrament. malleat. 62. blactea 54. & alij apud ipſos.

242 Primam partem huius ſententię ſic probat Sanchez: quia tũc loci circumſtantia ſacrilegium conſtituit, & in confeſſione detegenda eſt, quando actus in eo admiſſus directè aduerſatur ſanctitati, aut immunitati loci, ideſt illis ad quæ locus ſanctificatus eſt, atqui tactibus impudicis, quantumuis inhoneſtis ſine pollutionis periculo non violatur Eccleſia, nec eſt violationis periculum, cum ceſſet pollutio eiuſdemque periculum; ergo nõ erunt ſacrilegij, nec loci circũſtantia erit in confeſſione neceſſario explicanda, qua ratione eiſdem fere verbis vtitur D. Carolus Malletti ſupra citatus dicta blactea 54.

243 Secundam vero partem eiuſdem ſententiæ probat Eminentiſſimus Cardinalis Lugo: quia actus admiſſus in Eccleſia accipiunt malitiam grauem ſacrilegij ex prohibitione Eccleſiæ, quæ cum non ſit de tactibus, ſed de copula, aut pollutione per quas Eccleſia violatur, non eſt vnde habeant illam ſpeciem ſacrilegij grauis; atqui quãdo ij actus fiunt cum periculo pollutionis, aut tactus ſunt tales, vt ex ſe videãtur cũ pollutione connexi

tunc

tunc prohibitio pollutionis cõ-
prehendit ea, quæ ex ſe tale peri-
culum mortale afferunt: ergo
tactus impudici in Eccleſia cum
periculo pollutionis ſunt ſacrile-
gia, cum onere in confeſſione ex-
plicandi loci circumſtantiam.

244 Pro reſolutione huius difficul-
tatis ſupponendum eſt ſacrilegiũ
eſſe rei ſacræ violationem, ſeu ir-
reuerentiam contra rem ſacram,
vt docet D. Thomas 2. 2. quæſt.
99. art. 1. 2. & 3. & cum eo com-
muniter Doctores, nam vt inquit
D. Thomas dicto art. ſecundo in
corpore vbicumque inuenitur
ſpecialis ratio deformitatis ibi
neceſſe eſt, quod ſit ſpeciale pec-
catum: quia ſpecies cuiuslibet
rei præcipue attenditur ſecundũ
rationem formalem ipſius, non
autem ſecundum materiam, vel
ſubiectum, in ſacrilegio autem
inuenitur ſpecialis ratio defor-
mitatis, qua ſcilicet violatur res
ſacra per aliquam irreuerẽtiam:
& ideo eſt ſpeciale peccatum, &
opponitur Religioni, & art. 3. in
corpore ait dicendum, quod ſi-
cut dictum eſt, peccatum ſacrile-
gij in hoc conſiſtit, quod aliquis
irreuerenter ſe habet ad rem ſa-
cram; debetur autem reueren-
tia rei ſacræ ratione ſanctitatis,
& ideo ſecundum rationem di-
uerſam ſanctitatis rerũ ſacrarũ,
quibus irreuerentia exhibetur,
neceſſe eſt, quod ſacrilegij ſpe-
cies diſtinguantur, quare tota
difficultas huius reſolutionis ſtat
an tactus inhoneſti, & impudici
in Eccleſia, aut loco ſacro, con-
tineant in ſe irreuerentiam gra-
uem oppoſitam ſanctitati Eccle-
ſiæ, aut loci ſacri, vel ſolam ir-
reuerentiam leuem, & conſe-
quenter inſufficientem ad con-
ſtituendam rationem ſpecialem
ſacrilegij contra virtutem reli-
gionis.

245 Dico primo aſpectus turpes in
Eccleſia, verba inhoneſta, & libi-
dinoſa oſcula, & tactus turpes,
(dum non ſint in partibus inho-
neſtis, aut cum magno periculo
effuſionis ſeminis in ipſo loco ſa-
cro) non habent circumſtantiam
ſacrilegij neceſſario in confeſſio-
ne explicandam, ita Canus in re-
electione de pœnitentia, quem
citat, & ſequitur Lopez 1. part.
inſtruct. conſcientiæ cap. 33. §.
ſecundo dicimus, Sanchez tom.
3. de matrim. lib. 9. diſp. 15. num.
20. & alij apud ipſos. Ratio eſt,
quia circumſtantia ſacrilegij in
loco ſacro, vel oritur ex prohi-
bitione Eccleſiæ, quæ tales actus
prohibet fieri in loco ſacro, aut
ratione irreuerẽtię irrogatę per
tales actiones Eccleſiæ, aut loco
ſacro; atqui Eccleſia ſolum pro-
hibet, effuſionem ſanguinis, aut
ſeminis humani ratione cuius
polluitur Eccleſia: ergo verba
turpia, oſcula, aſpectus turpes,
vel turpes tactus præcipue ſi nõ
fiant in partibus inhoneſtis, aut
cum ſeminis effuſionis periculo,
non habent ex hoc capite circũ-
ſtantiam ſacrilegij neceſſario in
confeſſione explicandam, dein-
de; quia licet prędictę actiones
factę in Eccleſia, aut loco ſacro
dicant aliquam irreuerentiam,
hęc autem irreuerentia non eſt
adeo grauis, vt conſtituat pec-
catum ſacrilegij, quamuis con-
trarium ſentiant Syluester verb.
confeſſio 1. quæſt. 11. Leſſius lib.
2. cap. 45. dub. 3. qui generali-
ter affirmãt omnia peccata mor-
talia facta in Eccleſia eſſe morti-
fera ſacrilegia: at id non iure cõ-
ſtat, nec ratione efficaci probari
poteſt; quia licet reſpectu Dei
malitia reddat actum magis de-
teſtabilem, magiſque iniurioſum
Deo, non tamen ſemper reſpectu
loci ſacri, vt licet ſecundum ſe

prior actus sit detractio, quam furtum non ita repugnat immunitati loci, & reuerentiæ illi debitæ detractio sicut furtum, etiã ex natura rei loquendo, quia actus furti magis directè repugnat loco, quatenus per illum actum videtur priuari locus re, quam specialiter continet; sic etiam copula, etiam licita magis repugnat puritati debitæ tali loco: quam verbum iocosum, vel falsum, denique copula illicita, aut voluntaria pollutio, magis opponitur puritati debitæ loco sacro, quam tactus inhonesti in partibus turpibus; etiam cum pollutionis periculo, & isti tactus magis opponuntur sanctitati debitæ loco sacro, quam oscula, aut tactus inhonesti in alijs partibus, præcipuè absque pollutionis periculo; ergo non possumus cum sufficienti fundamento dicere omnia peccata mortalia in Ecclesia facta esse etiam sacrilegia mortalia nisi accedat Ecclesiæ prohibitio: ergo habemus sufficiens fundamentum ad asserendum oscula, verba turpia, & tactus inhonestos dum non sint in partibus inhonestis, aut cum periculo proximo pollutionis in loco sacro, non esse sacrilegia, nec esse necessarium in confessione explicare loci circũstantiã.

246 Dico secundo valde probabilis est prima sententia affirmans, omnes tactus impudicos præsertim ex grauioribus, & in partibus inhonestis habitos in Ecclesia, aut loco sacro, esse graue peccatum sacrilegij, siue habeantur cum pollutionis periculo, siue sine illo, & debere necessario explicari loci circumstantia in cõfessione, probabilitas huius conclusionis suadetur; tum ab extrinseco, ob multos, & graues Doctores, qui eam defendunt; tum ab intrinseco propter fundamentum allatum pro prima sententia, & deinde; quia ratio formalis sacrilegij, vt ex D. Thoma num. 244. diximus non solũ cõsistit in eo quod aliquod mortale peccatum sit prohibitum, à sacris canonibus fieri in Ecclesia, aut loco sacro, sed etiam ex eo quod per aliquod peccatum mortale patratum in Ecclesia, aut loco, sacro, sacer locus grauiter irreuerenter tractetur, atqui valde probabile est, quod per actus impudicos præsertim in partibus inhonestis fit irreuerentia grauis Ecclesiæ, seu loco sacro, contra virtutem religionis: ergo valde probabile est prædictas actiones inhonestas esse sacrilegas, & consequenter circumstantiam sacri loci esse necessario in confessione aperiendam.

247 Defensores præcipui præfatæ conclusionis sunt Suarez, Sotus, & Ludouicus Lopez supra citati pro prima sententia; quare percipere non valeo, quo fundamento Amadeus Guimenius in suo opusculo aduersus quorũdam expostulationes contra nõnullas Iesuitarũ opiniones morales tract. de pœnit. proposit. 12. num. 2. asserat necessario debere pro tertia opinione supra relata militare Sotum, & Ludouicum Lopez. Cuius verba fideliter hic referam, quæ hæc sunt: pro hac sententia militare debẽt Sotus, Ludouicus Lopez propositione præcedenti citati; qui tũc circumstantiam loci esse necessario in confessione aperiendam putant, quãdo actus inhonestus in eo admissus impedit ibi posse diuina celebrari: quod tenent etiam Canus, & Nauarrus supra citati, prædicti autem actus non impediunt, quia nec illis violatur

tur Eccleſia, nec eſt violationis periculum, cũ abſque pollutionis periculo contingant, vt ponimus, ita Guimenius.

248 Sed vt clarius cognoſcatur error Amadei Guimenij videamus neceſſe eſt quid in hac materia dicat Ludouicus Lopez, quem citat Amadeus Guimenius part. 1. director. conſcient. quæſt. 82. §. at vero, vbi certè nihil in fauorem doctrinæ intẽtæ ab Amadeo Guimenio affirmat, vt ex dicto paragrapho cõſtat, vbi ſic ait: At vero in redditione debiti in loco ſacro multum controuertitur inter Doctores, an peccatum mortale ſit, at vltra prædicta ſupra, profecto Nauarrus, & alij viri docti, magno, & merito, loci ſacri reuerentiæ affecti zelo, nullam prorſus inueniunt cauſam rationabilem excuſantem à peccato coniuges ſe commiſcentes in Eccleſia, etiam ſi alij hos excuſent, quando diuturna eſt eorum in Eccleſia, & neceſſaria habitatio, vel quando abſque cõtemptu loci ſacrificiunt, cauſa vitandi pollutionem in ſe, vel in compari. Nauarro viſus eſt accedere Canus, inſuper & Medina ſua inſtruct. confeſſ. fol. 232. §. 12. de coniugatis. Vbi docet nõ eſſe licitum matrimonialem actum in loco ſacro, vel publico exercere. Sed inter tam varias ſententias, non parum mihi illa Soti placet, vbi in 4. ait quod debitum exigere, ſeu reddere in loco ſacro, vbi concubitus eſt publicus, vt ſi ambo coniuges in Eccleſia cubent mortale eſt peccatum, quia violatur Eccleſia. Si tamen ſit ſecretus talis concubitus, quia tunc ſecundũ Scotũ, & Theologos non indiget recõciliatione Eccleſia, forte inquit Sotus nõ eſt peccatum mortale, cui ego aſſentio, maxime ſi concurrant prędictæ cauſæ ſupra memoratæ contemptum irreuerentiæ tollentes, & per conſequens à culpa mortali excuſantes, deberent ergo tales coniuges vbi neceſſitas eos vrget in ſacro loco manere, extra corpus Eccleſiæ in turribus, vel adiacẽtibus locis cubare. Nec eos excuſat ibi in loco ſacro diuturna neceſſariaque commoratio. Nec huic ſententię Soti aduerſatur D. Thomas 2. 2. in materia de religione, quando ait, quod cõcubitus cum quauis vxore eſt ſacrilegium, quia licet ſit ſacrilegium, ſed dum talis concubitus eſt ſecretus excuſatur à mortali ratione non tantæ irreuerentię, et quia per talem actum nõ violatur locus ſacer, neque generatur ſcandalum, nec contemnitur Deus, quando fit pro neceſſitate, & preſertim pro eius cauẽda offenſa. Huccuſq; Ludouicus Lopez, vbi vt clarè conſtat docet quod peccatum mortale commiſſum in Eccleſia in tantũ eſt ſacrilegium, in quantum per illud violatur Eccleſia (vt falſo affirmat Amadeus Guimenius) cum in dicto paragrapho nõ loquatur generaliter, ſed circa ſubiectam materiam, de redditione ſcilicet debiti coniugalis in Eccleſia; imo in hac materia debiti coniugalis contrarium docet, ſiquidem affirmat, vt conſtat, quod reddere debitum cõiugale in Eccleſia, aut loco ſacro, ſi fiat publicè erit peccatum mortale, & ſacrilegium, & rationem tribuit; quia per talem actum violatur Eccleſia; ſi autẽ redditio debiti fiat occultè, & ſecretè ſi non concurrant cauſæ tollentes irreuerentiam ab ipſo aſſignatæ, erit etiam peccatum mortale, & ſacrilegiũ, talis redditio debiti ex alio capite, nempe

pe

pè propter grauem irreuerentiã factam per talem actum Eccleſiæ, aut loco ſacro: ergo ex doctrina Ludouici Lopez non inferturid quod affirmat Amadeus Guimenius, ſed potius cõtrarium.

249 Vidimus iam id quod docet Ludouicus Lopez de debito cõiugali in Eccleſia, aut loco ſacro, videamus quid dicat de actibus inhoneſtis in Eccleſia, vt omni ex capite cognoſcatur, quam falſo, & abſque fundamẽto eum referat Amadeus Guimenius pro doctrina tradita in tertia ſententia huius reſolutionis. Sic enim inquit in dicta prima parte inſtruct. conſcientiæ cap. 33. de circumſt. ſacrilegij, & loci ſacri, ſed quid dicendum de tactibus turpibus, reſpondemus planè, quod tactus ij præſertim in partibus inhoneſtis, quia de per ſe ordinantur ad copulam, quæ Eccleſiæ lege eſt prohibita, videntur ad eam ſpeciem ſacrilegij proximius accedere, quare de his loquendo, ſentio cum Sylueſtro, quod ſi interuenerint in Eccleſia eſt circumſtantia in confeſſione exprimenda. Videat ergo Amadeus, Guimenius pro qua ſentẽtia ſtat Ludouicus Lopez certè mihi indubitatum eſt, quod iſte Doctor, nec oculis vidit opera Ludouici Lopez, ſed forſitan malè citatum apud aliquem Auctorem inuenit.

250 Dico tertio probabilior eſt opinio aſſerentium tactus inhoneſtos habitos in Eccleſia, aut ſacro loco abſque pollutionis periculo, non continere circumſtantiam ſacrilegij neceſſariò in confeſſione explicandam, etiam ſi habeantur in partibus inhoneſtis, dummodo tales tactus turpes nõ fiant publicè in Eccleſia, 253 aut loco ſacro. hanc concluſionem, quoad primam eius partẽ defendunt Auctores citati pro tertia ſententia, quoad ſecundã vero eam tenentur defendere Auctores primæ, & ſecundæ ſẽtentiæ.

251 Hæc cõcluſio quoad primam eius partem communiter probatur ab Auctoribus tertiæ ſententiæ: quia peccatum mortale in tantum accipit malitiam ſacrilegij, in quantum prohibetur ab Eccleſia; at qui Eccleſia ſolum prohibet effuſionem ſeminis humani, aut ſanguinis, in loco ſacro; & nõ prohibet tactus inhoneſtos: ergo iſti ex ſe, & ratione loci ſacri non continent circumſtantiam ſacrilegij neceſſario in confeſſione explicandam, cum per illos non violetur Eccleſia, nec habeat violationis periculũ, cum fiant vt ſupponitur abſque periculo pollutionis.

252 Sed hæc ratio non adæquatè probat primam partem dictæ concluſionis, cum ratio formalis ſacrilegij, vt ſupra vidimus ex Diuo Thoma non ſolum conſiſtat in prohibitione facta ab Eccleſia per ſacros Canones, ſed etiam in irreuerẽtia graui irrogata Eccleſiæ, aut loco ſacro, contra virtutem Religionis: quare licet actus inhoneſti nõ ſint ſpeciale peccatum mortale ſacrilegij in loco ſacro, attenta Eccleſiæ prohibitione poterunt, tamen participare rationem formalem ſacrilegij ex alio capite, nempe propter irreuerentiam grauem commiſſam contra ſanctitatem, & irreuerentiam debitam Eccleſiæ, aut loco ſacro, etiamſi per tales actiones inhoneſtè graues, Eccleſia non violetur, nec habeat periculum violationis.

253 Quare melius prima pars cõcluſionis (nempè tactus impudi-

dicos, & inhoneſtos non habere rationem formalem ſacrilegij; ſi habeantur in Eccleſia, aut loco ſacro, probari poteſt: quia in tantum aliquis actus mortaliter peccaminoſus participat rationē formalem ſacrilegij, in quantum, vel talis actus eſt prohibitus à ſacris Canonibus, quia per illum polluitur, ſeu violatur Eccleſia, vel quia per talem actum grauis irreuerentia fit Eccleſiæ, aut loco ſacro contra virtutem Religionis; atqui tactus inhoneſti in loco ſacro, nec ſunt ab Eccleſia prohibiti, nec per illos Eccleſia violatur, nec grauiter per ilios irreuerenter tractatur Eccleſia: ergo prædicti tactus inhoneſti non participant rationem formalem ſacrilegij cum obligatione explicandi in confeſſione circumſtantiam loci ſacri. Maior eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. 99. art. 1. & 2. minor verò quoad primam, & ſecundam partem conſtat nam ſacri Canones tantum prohibēt effuſionem ſanguinis humani, aut ſeminis, & ſepultura corporis hominis infidelis, per quas actiones violatur Eccleſia. Quoad ſecundam verò partem probatur minor; quia illa dicitur irreuerentia leuis, contra ſanctitatem, & cultum debitum Eccleſiæ aut loco ſacro, quando licet per aliquem actum peccaminoſum locus ſacer irreuerenter tractetur, tamen talis actus, ab Eccleſia non eſt prohibitus, nec notabilis irreuerentia in ipſo actu apparet; atqui tactus inhoneſti in Eccleſia, dum ſecretè fiunt, & abſque pullutionis periculo, nec ſunt prohibiti ab Eccleſia, neq; notabilis irreuerentia in ipſis tactibus inhoneſtis apparet: ergo per tales actus non irrogatur iniuria grauis Eccleſiæ, aut loco ſacro. 254

Secunda verò pars dictæ concluſionis ſcilicet tactus impudicos in partibus inhoneſtis habitos in Eccleſia cum pollutionis periculo habere circumſtantiam ſacrilegij grauis, neceſſario in confeſſione exprimendam probat vt ſupra vidimus Eminentiſſimus Lugo ex eo quod prohibitio pollutionis in loco ſacro cōprehendere videtur tactus inhoneſtos cum pollutionis periculo habitos in eccleſia, aut quādo ſunt tales, vt ex ſe videantur cum pollutione connexi, quæ ratio non videtur efficax; nam contra illam militat fundamentum ſecundæ ſententiæ: ex eo quod ſacrilegium conſurgere videatur ex violatione Eccleſiæ, quæ non violatur per ſolos, tactus quomodocumque impudicos, quamuis cum pollutionis periculo habeantur in Eccleſia modo pollutio non ſequatur. Quare ad dictam ſecundam concluſionis partem probandam ad aliud principiū recurrere debemus, nempe ad irreuerentiam grauem irrogatam Eccleſiæ, aut loco ſacro contra virtutem Religionis per tales tactus inhoneſtos habitos in Eccleſia cum magno pollutionis periculo, quæ irreuerentia grauis ſufficit ad cōſtituendam rationem formalem ſacrilegij, vt ſupra dixi ex doctrina D. Thomæ: ergo, & cætera.

Vltima pars concluſionis, nēpè, quod tactus impudici in partibus inhoneſtis, ſi publicè in Eccleſia habeantur etiam ſine pollutionis periculo continent formaliter rationem ſacrilegij cum obligatione explicandi in confeſſione circumſtantiam loci ſacri, probatur: nam ad hoc vt aliquis actus exterior mortaliter peccaminoſus. Commiſſus in Ec- 255

Ecclesia, aut loco sacro participet rationem formalem sacrilegij grauis contra virtutem Religionis, satis est, vt locus sacer per talem actum grauiter irreuerenter tractetur, vt ex supradictis constat, atqui per prædictos tactus inhonestos publicè in Ecclesia habitos irreuerẽter tractatur Ecclesia, vt docent Bonacina in præcep. decalog. præp. 1. quæst. 6. num. 14. Tamburinus in præcep. decalog. lib. 7. cap. 2. num. 11. & alij passim: ergo prædicti tactus inhonesti participant rationem formalem sacrilegij, & consequenter necessario explicari debet in confessione circumstantia loci sacri.

256 Ad fundamentum primę sententiæ respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cuius probationẽ respondeo concedendo maiorẽ, & distingnendo minorem, quoad secundam partem, prædicti tactus in partibus inhonestis, si fiant secretè, & absque pollutionis periculo in Ecclesia opponũtur virtuti Religionis oppositione leui concedo minorem, oppositione graui, quæ sufficiat ad cõstituendam rationem formalem sacrilegij grauis nego minorem. Et similiter nego cõsequentiam, & ad probationem minoris, quatenus dictæ distinctioni opponitur; Respondeo concedendo nos teneri ex lege naturali decenter, & reuerenter tractare locum sacrum, sed non omnis irreuerentia facta loco sacro est grauis; nam qui venialiter peccat actione aliqua exteriori in Ecclesia committit irreuentiam contra sanctitatem decentiamque debitam Ecclesiæ, & propter leuitatem non committit sacrilegium, neque omnis irreuerentia irrogata Ecclesiæ, ratione cuiuslibet peccati mortalis commissi in Ecclesia est irreuerentia grauis contra loci sacri sanctitatem, aliàs omne peccatum mortale in Ecclesia commissum esset graue sacrilegium, quod est falsum, vt probauimus supra contra Lesium conclusione 1. nu. 245. cum autem per tales tactus inhonestos si fiant secretè, & absque pollutionis periculo non fiat irreuerentia grauis Ecclesiæ, aut loco sacro, ideò non continent circumstantiam sacrilegij grauem necessario in confessione explicandam.

257 Ad fundamentũ secundæ sententiæ respondetur distinguendo maiorem, hoc sacrilegium cõmittitur ex eo quod violatur Ecclesia tantum nego maiorem. ex eo quod violatur Ecclesia, aut ex eo quod Ecclesia grauiter irreuerenter tractetur per talem actum peccaminosum in Ecclesia commissum concedo maiorẽ, & concessa minori nego consequentiam: quia licet per tales tactus quouismodo inhonestos, & cum periculo pollutionis, dũmodo pollutio non sequatur nõ violetur Ecclesia, tamen si publicè fiant, vel secretè cum pollutionis periculo in ipso loco sacro fit grauis irreuerẽtia Ecclesiæ est que, grauis irreuerentia diuini cultus, atq; adeo ipsius summi Dei notabilis iniuria, atque adeo sufficiens ad constituendam rationem formalẽ sacrilegij grauis, vt supra diximus.

RESOLVT. XIV.

Vtrum ille, qui cum matre, aut Sorore carnalem copulã habuit satisfaciat se accusando de incestu occultando gradum, vel an teneatur illum explicare in confessione.

Præ-

præſens difficultas dupliciter exagitari poteſt. Primo inueſtigando, an omnes gradus conſanguinitatis ſint eiuſdem ſpeciei, an verò iſti gradus differant ſpeciẽ. v. g. peccata cum matre, cum filia, cum ſorore, cum nepti, cum conſobrina. Cum auctoribus, qui affirmant dictos gradus inter ſe ſpecie differre nulla poteſt eſſe in præſenti controuerſia; cũ omnes circumſtantiæ mutantes ſpeciem neceſſario debeant in confeſsione explicari, vt determinat Concilium Trident. ſeſsione 14. cap. 5. & conſequenter in horum opinione, ille qui habuit copulã cum matre, aut ſorore tenetur neceſſariò in confeſsione explicare gradum conſanguinitatis, & non ſufficit dicere in confeſsione commiſsi inceſtum occultãdo gradum. quare tota controuerſia eſt cum doctoribus affirmantibus, quod nec affinitas à cõſanguinitate, nec vnus gradus ex his differunt ſpecie ab alijs, qui doctores conſequenter affirmant circumſtantias aggrauantes intra eamdem ſpeciem in genere moris non eſſe neceſſario confitendas, an hac doctrina nõ obſtante, ille qui habuit copulã carnalem cum matre, aut ſorore, teneatur in confeſsione explicare gradum conſanguinitatis, & non ſufficiat ſi in confeſsione dicat commiſsiſſe inceſtum celando gradum conſanguinitatis.

259 Prima ſententia affirmat eum, qui copulam carnalem habuit cum matre, aut ſorore, vel conſobrina non teneri in confeſsione explicare gradum conſanguinitatis, ſed ſufficienter eſſe ſi in confeſsione dicat ſe commiſsiſſe inceſtum celando gradum conſanguinitatis. ita Bordonus in miſcellaneis deciſione 479. Soria in epilogo ſummarum part. 2. tr. 1. ſect. 1. diſp. 6. §. circa circumſtantiam. Remigius in practic. confeſſ. tract. 12. cap. 6. §. 9. nu. 8. Ioannes Henriquez in pract. quæſtion. ſect. 8. quæſt. 14. nu. 21. Martinus de San *Ioſeph.* in monit. confeſſ. tom. 1. lib. 1. tract. 10. de pœnitent. num. 20. Marcus Serius tom. 1. diſp. 4. diſp. vnica quæſt. 28. num. 33. Mazuchellus de caſibus reſeruatis diſp 21. Gaſpar Hurtado de Sacramẽtis diſp. 9. de pœnitentia difficul. 4. Diana part. 1. tract. 7. reſol. 31. & part. 4. tract. 4. reſol. 234. & part. 5. tract. 14. reſol. 56. & par. 9. tract. 9. reſol. 21. & part. 10. tr. 14. & 4. miſcellã. reſol. 16. & tr. 15. & 5. miſcellan. reſol. 13. §. & hanc ſententiam, & par. 11. tract. 7. miſcellan. reſol. 34. §. & tãdem nota. & tract. 8. miſcellan. reſol. 63. Tamburinus in method. expeditæ confeſſ. lib. 2. cap. 7. §. 7. & in decalog. lib. 7. cap. 4. §. 1.

260 Probatur hęc ſententia; quia omnes gradus conſanguinitatis ſunt eiuſdem ſpeciei infimę in genere moris; atqui circumſtantiæ quæ non mutant ſpeciem, etiam ſi notabiliter ſint aggrauantes intra eamdem ſpeciem non ſunt neceſsario confitendæ: ergo qui copulam carnalem habuit cum matre, aut ſorore non tenetur in confeſsione explicare gradum conſanguinitatis, ſed ſatis erit dicere copulam habui cum conſanguinea in gradu prohibitio nihil aliud in confeſsione explicando. Conſequentia manifeſtè ſequitur ex præmiſsis maior eſt Diui Thomę 2. 2. quæſt. 154. art. 9 quem ſequuntur Caietanus ibidem Gyptius tract. de caſibus reſeruatis cap. 8. num. 5. Megala in part.

lib. 5. cap. 12. num. 9. Hurtado de pœnitent. diſp. 9. difficul. 4. & alij plures, quos citat, & ſequitur Diana locis ſuperius citatis. Minor vero probatur primo ex Cõcilio Trident. ſeſſione 14. cap. 5. vbi poſtquam docet confeſſionẽ ſacramentalem ita fieri debere à pœnitentibus, vt Confeſſarius procedere poſſit in iudicio ſacramentalis pœnitentiæ cognita cauſa, & cum ſufficienti ſcientia peccatorum tam quo ad eorum ſpecies, quam quo ad numerum, quod exprimit per hæc verba: *conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognita cauſa, exercere nõ potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniurgendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua peccata declaraſſent*, poſtea ſubdit. *Colligitur præterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa, nec à pœnitentibus integrè exponantur, nec à Iudicibus innoteſcant, & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſeri poſſint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere*. Ergo ex Concilio Trident. manifeſtè conſtat ſolas circumſtantias ſpeciem peccatorum mutantes eſſe neceſſario in confeſſione aperiendas. Secundo probatur eadem minor ex Diuo Thoma in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 5. in corpore per hæc verba; *quidam dicunt, quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, neceſſe eſt confiteri, ſi memoriæ occurrunt; alij vero dicunt, quod nõ ſunt de neceſſitate confitendi, niſi circumſtantiæ quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius*, ergo, & cætera.

261 Auctores, qui ſentiunt circũſtantias notabiliter aggrauantes intra eamdem ſpeciem neceſſario deberi in confeſſione à pœnitentibus explicari; reſpondent ad hoc argumentum negando minorem, & ad primã eius probationem dicũt Concilium Tridentinum intelligendum eſſe in hoc ſenſu, nempe circumſtantias ſpeciem mutantes ſemper regulariter eſſe confitendas, ſed non mutantes non ſemper regulariter: niſi quando notabiliter aggrauarent, ita Medina in ſua inſtructione folio 24. pag. 1. & alij apud Lopez tom. 1. inſtruct. conſcientiæ cap. 29. pag. mihi 84. quod colligunt ex rationibus aſſignatis à Sanctis Patribus in dicto Trident. Concilio: nam poſtquam decreuerunt circumſtantias mutantes peccatorum ſpecies, eſſe à pœnitentibus in confeſſione explicandas, rationẽ aſſignantes Sancti Patres dicunt; quod ſine illis peccata ipſa, nec à pœnitẽtibus integrè exponantur, nec Iudicibus innoteſcant, & fieri nequeat vt de grauitate criminum rectè cenſeri poſſint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere, atqui non explicatis in confeſſione ſacramentali circumſtantijs notabiliter aggrauantibus intra eãdẽ peccatorũ ſpeciẽ, nec peccata integrè quo ad ſui grauitatẽ ab ipſis pœnitẽtibus explicãtur, ne Cõfeſſarius poteſt habere ſufficiẽtẽ ſciẽtiã ad iudicãdũ de peccatorũ grauitate, nec poteſt debitã pœnitẽtibus pœnitẽtiã pro illis imponere; ergo non poteſt ex Tridẽt. rectè colligi circũſtãtias notabiliter aggrauantes nõ eſſe neceſſario in confeſſione explicandas, ſed potius oppoſitũ colligere oportet, & eũ explicare in ſenſu ſupradicto, probatur conſequentia, quia Concilium ſolum ex-

expresè ordinat circumstantias mutantes peccatorum species esse à pœnitentibus necessario in sacramentali confessione explicandas, & circa alias circumstãtias aggrauantes intra eamdem speciem merè negatiue se habet: ergo ex verbis Concilij non colligitur circumstantias præcipuè notabiliter aggrauantes intra eamdem peccati speciem non esse in confessione explicandas.

262 Sed hęc responsio non eneruat vim argumenti facti, quod sic ostendo: nam ex ea sequeretur non solum circumstantias notabiliter aggrauantes, sed etiã eas, quæ notabiliter non aggrauant intra eamdem peccati speciem esse necessario in confessione explicandas; atqui hoc est falsum: ergo & quod notabiliter aggrauantes debeant explicari. Sequela maioris probatur: quia ideo circumstantias notabiliter aggrauantes intra eamdem peccati speciem deberent à pœnitẽtibus in confessione explicare, vt qualitas peccati Confessario innotesceret, & vt debitam pœnitentiam Confessarius pro peccato commisso possit pœnitenti applicare, atqui eadem ratio currit quantum ad hoc etiam de circumstantijs non notabiliter aggrauantibus peccatum intra eamdem speciem: ergo vel omnes circumstantiæ aggrauantes peccatum intra eamdem speciẽ sunt in confessione explicandæ, vel nullæ. falsitas autem consequentis probatur: quia absque explicatione circumstantiæ non mutantis peccati speciem, verè & propriè declaratur peccatũ: cum quidditas peccati sumatur ex ratione specifica ipsius: ergo declarando speciem declaratur quidditas, & essentia talis peccati reliqua autem sunt extra essẽ-

tiam illius, atque adeo reputantur quasi eius accidentia logicè loquendo: ergo falsum est asserere circumstantias aggrauantes esse necessario in confessione explicandas ad declarandam Confessario qualitatem peccati: ergo nec circumstantias notabiliter aggrauantes propter eamdem rationem. quare explicatio Cõcilij Tridẽt. supra data à Medina non est legitima, & licet videatur argumentum desumptum ex Auctoritate Concilij esse argumentum negatiuum cum Concilium nõ affirmet circumstantias aggrauantes intra eamdem peccati speciem non esse necessario in confessione exprimendas, sed solum dicat circumstantias mutantes peccatorum species esse in confessione explicandas: tamen vt bene notat Eminentissimus Cardinalis Lugo de pœnitent. disp. 16. sect. 3. num. 108. non est pure negatiuum: aliud enim est nil prorsus dicere: aliud vero est agendo de circumstantijs limitare semper positiuè sermonem ad eas circumstantias, quæ peccatorum species mutãt: nã per hoc datur intelligi alias, quæ speciem non mutant positiue excludere. Sicut dicendo nõ posse aliquem absque speciali priuilegio vitare omnia peccata venialia, eo ipso significatur cũ speciali priuilegio posse, & sic in alijs exemplis, quæ videri possum apud Lugum num. citato, ergo cum toties Concilium Trident. adderit illam limitationem circumstantias, quæ speciem peccati mutant, videtur obiter alias circumstantias excludere ab illa obligatione confitendi, quam ex verbis Christi colligebat.

263 Circa aliam rationem adductam ex Tridentino pro necessi-

tate confitendi circumstantias notabiliter aggrauãtes peccatum intra eamdem speciem, scilicet vt possit Cõfessarius æquitatem seruare in pœnitentijs imponendis pro peccatis, si aliquid probaret, etiam conuinceret necessitatem explicandi alias circumstantias aggrauãtes intra eandẽ peccatorum speciem, iuxta quarum etiam grauitatem debet pœnitẽtia mensurari à Cõfessario; quod non concedunt doctores contra quos disputamus cum dicant solas circũstantias notabiliter aggrauantes esse necessario à pœnitentibus in confessione explicandas, dubium tamen esse potest, an si Confessarius ad melius cognoscendam peccati grauitatem; & vt æquitatem in imponenda pœnitentia seruet interroget pœnitenti qualitatem circumstantiæ aggrauantis, si notabiliter aggrauet eamdem peccati speciem teneatur pœnitens illam in confessione declarare? affirmatiuè respõdit Eminentissimus Cardinalis Lugo vbi supra num. 120. circa medium; quia Confessarius (ait Lugo) habet ius ad interrogandum pœnitenti de circumstantijs aggrauãtibus, & pœnitens debet respondere, & fateri, quod interrogatur. Cuius rationem reddit: quia pœnitens aliqua debet ex se ipso confiteri, etiam non interrogatur; quæ magis necessaria sunt, aliqua vero debet confiteri interrogatus, quia nimis necessaria sunt, & non semper eorum notitia desideratur. Vnde reddi potest ratio cur Christus noluerit æquè obligare pœnitentem ad vtrasque circumstantias explicandas, sed diuerso modo; scilicet ad aliquas immediatè, & proximè, ad alias vero solũ mediatè, & remotè, scilicet dando ius cõfessario interrogandi quãdo expedierit. Ratio enim esse potest; primo quia circumstantiæ non mutantes speciem, non semper deseruiunt ad variandũ iudicium circa pœnitentiam imponendam, sicut deseruit cognitio malitiæ specificæ, raro autẽ variatur propter maiorem intẽsionem, aut durationem actus, quando autẽ duratio fuisset diuturna explicanda erit propter numerum peccatorum, quæ in illa diuturna duratione possent interuenire. hucusque Lugo.

264 Sed huic doctrinæ non adhæreo iudico enim Cõfessarium nõ habere ius interrogandi pœnitenti qualitatem circumstantiæ non mutantis peccati speciem, nec pœnitens teneri explicare Confessario grauitatem circumstantiæ nõ mutantis peccati speciem etiam interrogatus à Confessario; quare pœnitens, qui se accusat de peccato v. g. furti in materia graui, qui furatus fuit mille aureos non tenetur quantitatem furti in cõfessione explicare etiam interrogatus à Confessario, vt resolutione sequenti dicam, & consequenter neque qui commisit peccatum carnis cum consanguinea tenetur explicare in confessione gradum consanguinitatis sistendo in sententia, quæ affirmat omnes gradus consanguinitatis esse eiusdẽ speciei infimæ etiam si de hoc interrogetur à Confessario: cuius ratio est; quia explicatio circũstantiæ non mutantis speciem peccati quantumuis aggrauet peccatum intra eandem speciẽ, vel desideratur in confessione sacramentali ad declarandam essentiam, & quidditatem peccati, & hoc non; quia declarando speciem declaratur quidditas, & essentia peccati, & circumstantiæ

ag-

aggrauantes ſunt extra eſſentiã illius, & reputantur, quaſi eius accidentia logicè loquendo, quare qui ſe accuſat de peccato furtiin re graui explicat totã quidditatem, & eſſentiam ſui peccati, tam quoad genus, quam quoad differentiam vltimam, vt concedit ipſe Lugo dicta diſp. 16. nu. 115. vel deſeruit dicta explicatio circũſtãtiæ notabiliter aggrauãtis ad hoc vt Confeſſarius debitam æquitatem ſeruare poſſit in imponenda pœnitentia pro tali peccato, & nec hoc poteſt dici, nam licèt ſi ſpecies peccati ignoretur à Cõfeſſario nulla æquitas in pœnitentia imponenda poſſit à Confeſſario ſeruari, tamen explicata peccati ſpecie optimè ſeruari poteſt, etiam ſi circumſtantiæ aggrauantes peccatum non explicentur, præcipue cum pœnitens ipſe poſſit ad ſuam conſolationem petere à Confeſſario, vt hanc, vel illam pœnitentiam iniungat, quam hic, & nunc ipſe pœnitens iudicet eſſe proportionatam ſuæ culpæ. Secundum circumſtantiam magis, minuſue, aggrauantem peccatam intra eamdem ſpeciem.

265 Sed dices ille, qui in confeſſione generali ſimul cum alijs peccatis iam iterum ritè confeſſis cõfeſſus fuit aliquod peccatũ mortale recenter commiſſum non explicando tempus commiſſionis dicti peccati ad quod tempus explicandum in dicta confeſſione generali non tenetur; nihilominus ſi interrogetur à Confeſſario an prædictum peccatum mortale fuerit ab ipſo commiſſum tempore præterito, vel præſenti tenetur in tali caſu in confeſſione dicta generali explicare tempus in quo commiſit tale peccatum aliàs confeſſio erit ſacrilega, & nulla, vt nos diximus reſolut. 7. ergo licet pœnitens nõ teneatur in confeſſione particulari explicare circumſtantiam notabiliter aggrauantem per ſe, & abſolutè loquendo, tenebitur tamen illam explicare interrogatus à Confeſſario. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio autem diſparitatis eſt manifeſta: quia, ille qui in confeſſione generali cõfeſſus eſt peccatum particulare recens commiſſum cum alijs peccatis mortalibus iam antea rite confeſſis non explicando tempus quo tale peccatum mortale commiſit ideo facit bonam, & legitimam confeſſionem, quia parum; & non multum in tali caſu variatur iudicium Confeſſarij, vt in dicta reſolut. 7. dixímus, quando autem Confeſſarius pœnitẽti interrogat tempus quo tale peccatum commiſit ad maiorem ſui ſatisfactionem, ideo pœnitens aſſerere verum tenetur, quia ſi affirmet ſe tale peccatum tempore præterito, & nõ præſenti commiſiſſe mentitur in confeſſione in materia graui cũ affirmet ſe commiſiſſe peccatum mortale tempore quo illud non commiſit vt cum Cardinale Lugo nos diximus dicta reſolut. 7. præterea Confeſſarius habet ius interrogandi pœnitentem an peccatum mortale, quod ipſe pœnitens illi manifeſtauit in confeſſione generali ſit ab ipſo pœnitente iam antea ritè cõfeſſum, & clauibus Eccleſiæ ſubiectum, vel non, & pœnitens tenetur. Verum dicere, aliàs variaretur notabiliter iudicium Confeſſarij cum in confeſſione aſſumeret peccatum mortale nondum à pœnitente ſacramentaliter confeſſum, vt iam iterum confeſſũ, & per abſolutionem ſacramentalem iam remiſſum, quod non con-

contingit in casu quo pœnitens interrogatus à Confessario in cõfessione sacramentali de qualitate circumstantiæ peccatum aggrauantis eam non explicet; sed illi respondeat non teneri illam explicare, vt de se notum est.

266 Secundo probatur hæc sentẽtia: quia Christus Dominus solum præcipit fidelibus necessario confessionem omnium peccatorum mortalium; atqui ille qui explicat species, & numerum peccatorum verè, & propriè cõfitetur omnia sua peccata mortalia, Ergo non tenetur confiteri circumstantias aggrauantes etiam notabiliter intra eamdem peccatorum speciem, tunc sic: sed omnes gradus consanguinitatis sunt eiusdem speciei infimæ cum magis, & minus in ratione grauitatis non autem speciem peccatorum, sed solum aggrauent intra eamdem speciem: ergo ille qui habuit copulam carnalem cum matre, aut sorore non tenetur in confessione explicare gradum consanguinatis, sed sufficit si dicat habuisse copulam carnalem cum cõsanguinea in gradu prohibito.

267 Secunda sententia affirmat eũ qui cum matre, aut sorore copulam carnalem habuit teneri in confessione explicare gradum consanguinitatis. ita Nauarrus cap. 7. num. 4. & cap. 16. num. 3. Aegidius disp. 7. dub. 3. num. 21. Valentia tom. 3. disp. 9. quæst. 3. punt. 3. Nungnus in additione ad 3. part. quæst. 9. art. 2. dub. 1. Granadus tract. 9. disp. 9. nu. 19. Ludouicus quæst. 1. de circumstantijs art. 2. dub. 1. Luysius de pœnitent. quæst. 9. art. 2. dub. 3. Naldus verb. fornicatio num. 3. & verbo affinitas num. 4. Graffius lib. 1. decisionum cap. 20. nu. 6. Sotus distinct. 18. quæst. 2. art. 4. Fagundez in præcep. Ecclesiæ præcep. 2. lib. 4. cap. 2. n. 11. et cap. 4. num. 26. Ludouicus Lopez tom. 1. instruct. cap. 29. §. secundo. dico. Vincentius Candidus sacri palatij magister tom. 2. disquisit. moralium disquisit. 24. art. 23. dubitatio 5. Leandrus à Sãctissimo Sacramẽto part. 1. tract. 5. de pœnitent. disp. 8. quæst. 36. §. sed ego. et citatus Fagundez in præcep. Decalogi lib. 6. c. 6. nu. 25. D. Carolus Malletti in Auro Theologiæ moralis tom. 1. malleatione 9. Bractea 3. §. in duobus casibus. Et nouissime Dõ Ioannes Caramuel in Theologia fundamentali fundamento 57. à num. 1701. vsque ad num 1707.

268 Auctores huius sententiæ diuersimodè eam probant. Pater Leandrus à Sãctissimo Sacramẽto supra citatus qui iudicat gradum primum, et secundum cõsanguinitatis distingui in specie ab alijs consanguinitatis gradibus sic eam probat. omnes circumstantiæ peccatorum species mutantes debent necessariò à pœnitentibus in sacramentali confessione explicari; atqui primus, et secundus gradus consanguinitatis: distinguntur specie ab alijs gradibus consanguinitatis, ergo qui habuit copulam carnalem cum matre, aut sorore tenetur dictam circumstantiam in confessione explicare. Consequẽtia à parte sequitur ex præmissis, et maior constat ex Cõcilio Trident. sessione 14. c. 5. et canone. 7. Minor verò probatur; quia primus, et secundus consanguinitatis gradus habent specialem deformitatẽ propter irreuerentiam maternam debitã matri, et propter specialem deformitatem contra virtutem fidelitatis debitam sorori, quæ spe-

ſpecialis deformitas non reperitur in alijs conſanguinitatis gradibus: ergo copula carnalis habita cum matre, aut ſorore differt ſpecie ab illa, quę habetur cum conſanguinea in alijs conſanguinitatis gradibus.

269 Doctores autem qui cum D. Thoma ſentiunt omnes gradus conſanguinitatis eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, et nihilominus affirmant circumſtantias notabiliter aggrauantes peccatum intra eãdem ſpeciem eſſe neceſſariò in confeſsione explicandas, diuerſis motiuis conantur probare eum, qui cum matre, aut ſorore copulam carnalẽ habuit teneri in confeſſione explicare gradum conſaguinitatis. Pater Ludouicus Lopez, vbi ſupra ſic eam probat, circumſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eamdẽ peccati ſpeciem, ſi non ſint difficiles cognitu, & inueſtigatu; debent in confeſſione ſacramentali à pœnitentibus explicari; atqui circumſtantia inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſaguinitatis aggrauat notabiliter peccatũ intra eamdem ſpeciem, & non eſt difficilis cognitu, & inueſtigatu: ergo debet neceſſario in cõfeſſione explicari.

270 Dominus Carolus Mallettus dicto tom. 1. malleatione 9. bractea 3. ſic dictam ſententiam probat; quia quo proximior eſt gradus cõſaguinitatis, eo magis violatur iuſtitia reuerentialis parentibus debita; atqui quando quis copulam carnalem habuit cum matre, aut ſorore præter violationẽ iuſtitiæ generalis violat etiam iuſtitiam ſpecialem, nẽpè iuſtitiam reuerentialem parentibus debitam: ergo tenetur dictam circumſtantiam in confeſsione explicare.

271 Pater D. Ioãnes Caramuel loco ſuperius citato varijs rationibus probare conatur, circumſtantias notabiliter peccatum intra eamdem ſpeciem aggrauantes neceſſariò deberi in confeſsione explicari quarum prima eſt. ille qui cognouit vnam ſororem vterinam, & alteram ex vtroque parente, non committit duos inceſtus diſtinctos ſpecie; atqui iſte talis tenetur in confeſsione explicare hanc inceſtus differentiã, ergo etiam ille qui cum matre, aut ſorore copulam carnalem habuit, tenebitur explicare gradum conſanguinitatis, maiorem ſupponit, vt certam Caramuel, & minorẽ inquit doceri ab Eminentiſsimo Cardinali Lugo de pœnitentia diſp. 16. num. 143. immeritò tamen: nam in dicto num. 143. ſic ait, ſeptima oriri ſolet, quia in inceſtu explicari debet gradus conſaguinitatis, & affinitatis, licet non afferant ij gradus diuerſitatem ſpecificam: ergo ſolum debent explicare propter maiorem grauitatem intra eamdem ſpeciem. Ad quod argumentum ſic reſpondet in eodem num. reſpondetur ſi inceſtus nõ ſint ſpecie diuerſi ex graduum diuerſitate, non eſſe gradus in confeſsione explicandos de quo latius infra ſect. 6. & in dicta ſect. num 325. vbi expreſsè agit de caſu propoſito à Caramuel. ſic ait: ſeptimo dubitabis an in peccato cum ſorore explicari debeat eſſe ſororem ex vtroque parente. ad quam difficultatem, ſic reſpondet. Alij qui affirmant, quia tũc eſt dupplex impedimẽtum, cum ſit quaſi dupplex fraternitas, & ſinguli afferant impedimentum ſuum. Cæterum quidquid ſit in ordine ad impetrandam diſpenſationem in ordine ad confeſsionem, non credo eſſe obligationẽ explicandi: quia cum omnia illa

im-

impedimenta ſint eiuſdem rationis; licet eorũ multiplicatio aggrauet malitiam, non tamen transfert peccatum ad aliã ſpeciem. Vnde nec erit obligatio explicandi conſanguinitatem, aut affinitatẽ prouenientem ex dupplici capite: Si tamen omnes gradus eſſent gradus eiuſdem ſpeciei, ita Eminetiſſimus Lugo. quare non video qua ratione eũ in ſui fauorem citet Caramuel cũ Lugo contrarium doceat.

272 Secũdo hanc ſententiam probat Caramuel, qui pecccauit cũ propria filia, & poſtea cum filia eiuſdem filiæ, non commiſit peccata diſtincta in ſpecie; atqui talis debet in confeſsione explicare hanc differentiam: Ergo ſimiliter ille qui rem habuit cum matre; aut ſorore debet gradus conſanguinitatis explicare etiãſi dicti gradus ſpecie inter ſe non diſtinguantur. Conſequentia ſequitur ex præmiſsis, & minor probatur: quia ille in prima fornicatione violauit ius cõſanguinitatis: & in ſecunda conſanguinitatis, & affinitatis: ergo erit obligatus ad explicandum in confeſsione dictam differentiam.

273 Tertio probat, qui vno actu voluntatis vult occidere vnum hominem, & alio decem, non committit duo peccata diſtincta ſpecie; atqui nihilominus debet hoc in confeſsione explicare: ergo idem dicendum eſt de alijs circũſtantijs notabiliter aggrauantibus intra eamdem ſpeciem & conſequenter erunt neceſſario in cõfeſſione explicandi primus, & ſecundus gradus conſanguinitatis in peccato inceſtus, probatur minor: quia ſecundus actus attingit decem malitias, & ita virtualiter ſe habet, ac ſi eſſet decuplex actus: ergo tenetur explicare in confeſsione, ſe vno actu voluiſse occidere vnum hominem, & alio actu decem homines: probatur conſequentia: quia idem dicere debemus de actibus internis, & de intentione occidendi; ac de ipſamet executione occidendi; atqui ille, qui vnico impulſo vnum hominem occidit & alio ſimul decem occidit homines debet in confeſsione diſtinctè explicare numerum occiſorum, nec bene confitebitur dicens bis commiſis homicidium: ergo ſimiliter ille qui vnico actu voluit occidere vnum hominẽ, & alio decem, debet in confeſsione explicare ſuam intentionem, itaut non bene confiteatur dicẽs bis deſideraui effiicaciter homicidium committere. Alia Argumẽta format ipſe Caramuel, quæ ſoluta manebunt ex ſolutione dictorum argumentorum, vt poſtea videbimus.

274 Ex his ſententijs hæc ſecunda valdè probabilis eſt, ſed primam probabiliorem iudico, tum propter multos, & graues Doctores, qui eam tenent, tum etiã quia probabilius eſt gradus conſanguinitatis inter ſe ſpecie non diſtingui, ſed ſolum aggrauare peccatum magis minuſuè intra eãdem peccati ſpeciem, vt optimè inter alios Doctores ſuperius citatos pro prima ſententia probat Doctiſsimus Pater Thomas, Tamburinus in præcept. Decalogi lib. 7. cap. 4. num. 2. his verbis, quod deinde gradus ipſi nõ mutent ſpeciem, inde probatur, quia hi nihil aliud inferunt, niſi maiorem, vel minorem coniunctionem: magis autem, & minus nõ variant ſpeciem, etiam in hac re noſtra morali, niſi aliũde probetur eſſe contra particularem virtutem, vel particulariter cõtra diuerſum rationis dictamen, id quod hic quamuis multi proba-

babiliter inuenire ſatagant, nihilominus alij probabiliter item non inueniri poſſe contendunt; ita ille. Cũ autem probabilior ſit ſententia affirmans circumſtantias etiam notabiliter aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem non eſſe neceſſario in confeſſione explicandas cõſequẽs eũ, qui copulam carnalẽ habuit cũ matre, aut ſorore non teneri in confeſſione explicare gradũ cõſanguinitatis, quod magis conſtabit ex ſolutione argumentorum ſecundæ ſeneentiæ.

275 Ad fundamentum Patris Leãdri à Sanctiſſimo Sacramẽto reſpondetur concedendo maiorẽ, & negãdo minorẽ ad cuius probationem reſpondeo omittendo antecedens, & negando conſequentiam: nã illa ſpecialis deformitas, quæ reperitur in inceſtu cũ matre, aut ſorore nõ opponitur ſpeciali virtuti diſtinctę à virtute fidelitatis, aut reuerẽtiæ debitę parẽtibus, & cõsãguineis licet magis aggrauet peccatũ intra eãdẽ ſpeciẽ, vt ſupra dictũ eſt.

276 Ad fundamentũ Ludouici Lopez reſpondetur negando maiorem: nam vt benè noaat Paſqualigus tom. 2. de ſacra moraii doctrina diſp. 84. ſect. 3. n. 21. ex Cõcilio Trid. ſeſſ. 14. ſuperius citata cap. 5. & canone. 7. definiens Cõciliũ quæ ſint explicanda de neceſſitate in cõfeſſione ex inſtitutione diuina, declarat, quod ſingula peccata debent in confeſſione explicare in particulari, & inſuper circumſtantias mutantes ſpeciem ex quo infertur non eſſe obligationẽ explicandi alias circumſtantias non mutantes peccatorum ſpecies, etiam ſi ſint faciles cognitu, & inueſtigatu, quia præceptum non obligat, niſi ſecundũ menſuram declarationis auctoritatiuè, & cum in hac declaratione Concilij intendentis declarare obligationẽ præcepti diuini in ordine ad ea, quę erant explicanda in confeſſione non cõtineantur, niſi peccata in particulari, & circũſtantiæ, quę mutant ſpeciem, aliæ circumſtantiæ nõn mutantes ſpeciem non sũt de neceſſitate confitendæ quantumuis faciles ſint cognitu, & inueſtigatu. Deinde: quia Conciliũ loquens de circumſtantijs, quæ explicandæ ſunt in confeſſione, taxat, & limitat illas, quæ mutãt ſpeciẽ: ergo excludit, quæ non mutant, tum quia locutio taxatiua aſſignat terminũ in re taxata, & excludit quidquid non continetur ſub taxatione: tum etiam, quia in declaratione auctoritatiua legis quo ad extẽſionẽ legis incluſio aliquorũ, eſt excluſio cęterorum, quæ non explicantur.

277 Adfũdamentũ D. Caroli Malletti reſpõdetur cõcedendo maiorẽ, et minorem, et negãdo cõſequentiã: nam illa violatio iuſtitiæ ſpecialis, nẽpè iuſtitię reuerentialis, quæ parentibus debetur, non extrahit peccatum illud ad aliã peccati ſpeciẽ diſtinctam à peccato inceſtus, vt ipſe Mallettus fatetur, & ſic non requiritur neceſſario quod in cõfeſsione explicetur gradus cõsãguinitatis, ſed ſufficit quod pœnitens dicat ſe commiſiſſe peccatum inceſtus tacendo gradum, vt ex dictis num. præcedenti conſtat.

278 Ad primũ Argumentũ D. Ioannis Caramuel reſpõdetur concedẽdo maiorẽ, & negãdo minorẽ: nam vt n. 231. diximus ex Lugo cũ duplex illud impedimẽtũ ſint eiuſdẽ rationis, licèt eorũ multiplicatio aggrauet malitiã, & non transferat peccatũ ad aliã ſpeciẽ nõ eſt neceſſariũ in cõfeſsione explicare cõſanguinitatẽ pro venientẽ ex duplici illo capite.

279 Ad ſecundum argumentum eiuſdem Caramuel. reſpondetur

primo negando maiorem; nam valde probabilis opinio affirmat gradus consanguinitatis, & affinitatis in incestu esse circumstãtias specie diuersas; quam sequũtur Granadus tract. 9. de pœnitent. disp. 9. num. 19. Trullench. lib. 6. in decalogo cap. 1. dub. 6. nu. 5. Ochagauia tract. 2. quæst. 14. num. 10, & 11. Gaspar Hurtadus disp. 9. de pœnitent. difficult. 4. Lessius lib. 4. de iustitia cap. 3. dub. 11. num. 79. Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 13. Suarez de pœnitent. disput. 22. sect. 4. num. 7. Castropalaus par. 4. tract. 23. de pœnitent. punct. 9. num. 8. nam consanguinei ab eodem stipite descẽdunt: affines vero non ita, & ideo circumstãtia declaranda est in confessione: quare concessa minori neganda est consequentia: quia gradus cõsanguinitatis sunt eiusdẽ speciei infimæ, & ideo nõ sũt necessario in confessione explicandi.

280 Solutio tertij Argumenti facti à Caramuel pendet ex alia graui difficultate, scilicet an in eodem actu possint dari plures malitiæ numero distinctæ tantum, & in confessione aperiendæ? partem affirmatiuam tenent Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 4. Hurtadus disp. 9 difficult. 6. & alij apud Granadum tract. 9. de pœnitent. disp. 6. num. 31. & alij quos citat, & sequitur Diana 1. part. tract 7. resolut. 17. & 3. par. tract. 4. resolut. 164. & part. 9. tract. 9. resolut. 55. & part. 11. tract. 5. resol. 48. Ochagauia tract. 2. quæst. 14. num. 8. Trullench. in decalogum lib. 5. cap. 5. dub. 4. num. 7. & lib. 4. de sacramentis cap. 6. dub. 3. num. 3. & dub. 4. num. 7. Castropalaus tom. 1. tract. 2. disp. 3. punt. 3. num. 15. Franciscus Felix in tentatoria complutensi tract. 3. cap. 7. difficul. 4. num. 7. Magister Serra tom. 2. in primam secundæ D. Thomæ quæst. 73. art. 7. conclus. 3. quę sententia videtur esse expressa D. Thomæ prima secundę quæst. 73. art. 7. vbi sic, *aliquando circumstantia nõ aggrauat peccatum quasi trahens in aliud genus peccati, sed solum quia multiplicat rationem peccati: sicut si prodigus det quando non debet, & cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quam si solum det cui non debet, & ex hoc ipso peccatum fit grauius: sicut etiam ægritudo est grauior, quæ plures partes corporis inficit. Vnde & Tullius dicit in paradoxis, quod in patris vita violanda, multa peccantur. Violatur enim is, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in sede, ac domo, atque in Rempublicã collocauit. Tertio modo circumstãtia aggrauat peccatum ex eo quod auget deformitatem prouenientem ex alia circumstantia, sicut accipere alienum cõstituit peccatum furti; si autem addatur hæc circumstãtia, vt multum accipiat de alieno, erit peccatũ grauius, quamuis accipere multum, vel parum de se non dicat rationem boni, vel mali.* Stando igitur in hac valde probabili opinione, respondetur primo ad argumentum, concedendo antecedens, & negando consequentiam vniuersaliter loquẽdo quo ad primã partẽ, & absolutè quo ad secundam, & ratio disparitatis est, quam assignat D. Thomas loco superius citato; nã cũ aliquæ sint circũstãtiæ, quæ licet species peccatorũ non mutẽt, nihilominus aggrauãt peccata multiplicãdo rationẽ peccati, vt in exẽplis allatis à D. Thoma constat; aliæ vero sint circumstantiæ aggrauantes, quæ non multiplicãt rationem peccati, sed solum augent deformitatem prouenientẽ ex alia circũstantia, vt inquit D. Thomas hinc est, quod circũstãtiæ

tiæ aggrauantes primi ordinis debent neceſſario in confeſſione explicari, circumſtantiæ vero ſecundi ordinis non ita, cum autẽ ille actus voluntatis efficacis quo quis vult decem occidere includat circumſtantiam aggrauantẽ, quæ multiplicat rationem peccati, ideo tenetur explicare illam circumſtantiam obiectorum, ille vero, qui copulam habuit cum conſanguinea in quocumque gradu conſanguinitatis, ideo nõ tenetur gradum conſanguinitatis in confeſſione explicare; quia illa circumſtantia non aggrauat peccatum multiplicando rationem peccati, ſed ſolum auget deformitatem peccati proueniẽtem ex alia circumſtantia, vt optimè aduertit Doctus Magiſter Serra loco ſuperius citato.

281 In ſententia autem eorum, qui ſuſtinent non deberi neceſſario illam circumſtantiam fateri explicando, videlicet numerum perſonarum quas voluit occidere, ſed ſufficere pœnitenti ſi in confeſſione dicat ſe voluiſſe aliquos homines occidere, vt tenent Suarez tom 4. in 3. part. diſput. 22. ſect. 5. num. 34. Angelus Maria Verricellus in ſuis quęſtionibus moralibus tract. 8. quæſt. 17. Leandrus de pœnitẽt. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 19. & alij apud Dianam 3. part. tract. 4. reſol. 164. cuius rationẽ reddũt: quia in eodem actu voluntatis propter reſpectũ ad plures perſonas, ſeu ad plura numero obiecta, non poſſunt reperiri plures numero diſtincte malitie, ſed tantum augeri grauitatem eiuſdem malitiæ: ergo qui eodem actu voluntatis voluit efficaciter decem homines occidere non tenetur in confeſſione dictam circumſtantiam explicare, cum nullus ſit obligatus explicare circumſtantias non mutantes ſpeciem in confeſſione ſacramentali, antecedens probatur à Suarez, quia actus voluntatis dandi eleemoſynam decẽ hominibus, vnam non plures habet bonitates: ergo actus voluntatis denegandi eleemoſynam decem hominibus extremè indigentibus, vnam nõ plures habet malitias: cum malitia ſit priuatio debitæ rectitudinis, ſeu bonitatis, & vna ſit rectitudo, ſeu bonitas qua actus eſt priuatus: & conſequenter vna priuatio, & ſic vna malitia: ergo idem dici debet de actu voluntatis, quo quis vult efficaciter decẽ homines occidere.

282 Sed hoc argumentum parum vrget: nam præterquam quod poſſunt Doctores contrariæ ſententiæ reſpondere negando antecedens, quia iudicari poſſunt talem actum elargiendi eleemoſynam decem hominibus non vnam, ſed plures bonitates morales habere, nihilominus vt bene notat Arriaga tom. 8. tract. 4. de ſacrament. pœnitent. diſp. 32. ſect. 3. num. 12. reſponderi poſſe ab auctoribus oppoſitæ ſentẽtiæ conceſſo antecedenti negando vtramque conſequentiam; quia negatio illa eleemoſynæ extremè indigentibus iudicatur multa peccata; quia per illam negationem illi homines quaſi occidũtur moraliter, in eleęmoſyna autem ijs pauperibus data non reperiuntur effectus illi diſparati, à quibus dicatur ille actus elargiẽdi eleęmoſynam pluribus, varij actus virtuoſi, bene tamen in illo actu volũtatis denegandi decem hominibus egẽtibus grauiter eleemoſynam, reperiuntur effectus diſparati, à quibus dicatur varij actus vitioſi, quod idem dici debet conſequenter de actu voluntatis, quo

quis vult decem homines occidere.

Nec videtur efficax aliud ar-
283 gumentum, quod ad hoc probãdum format idẽ Suarez in hunc modum: quia actus quo aliquis diligit decem homines, non dicitur decem amores: ergo neque è cõtrario actus quo aliquis vult occidere decem homines, nõ dicetur decem homicidia includere etiam virtualiter, & consequenter non possunt dici, varij actus vitioſi, hoc inquam nõ videtur efficax, quia respõderi potest conceſſo antecedenti negãdo conſequentiam, & ratio diſparitatis aſſignari poteſt, quia in actu malo quo quis intendit occidere decem homines; ideo reperiuntur decem malitię moraliter loquendo, quia ille homo per talem actum intendit commitere decem homicidia, ideoque eſt circumſtantia aggrauans peccatum multiplicando rationem peccati, & ita includit decem malitias morales multiplicantes peccatũ homicidij, quod nõ reperitur in actu amoris quo quis diligit decem homines, cum in illo actu non reperiantur illi effectus diſparati, vt dictum eſt de actu eleęmoſynæ.

284 Alio modo idem antecedens probat Angelus Maria Verricellus vbi ſupra: quia reſpectus ad plura numero obiecta non multiplicat phiſicè actum; ſic vidẽs homines ſimul, vnicum nõ dupplicem producit actum viſionis: ergo neq; reſpectus ad plura numero obiecta diſſona rationi, multiplicat moraliter malitias in eodem actu: conſequentia patet; ideo actus phyſicè non multiplicatur, quia tendit ad omnia illa obiecta per modum vnius, ſub vna ratione boni delectabilis, tum quia, vt rectè probat, ac docet Arriaga diſp. 1. Metha-
phiſicæ numer. 91. quælibet res quæcumque illa ſit, indiuiduatur formaliter à ſe ipſa indepeu-
denter à terminis diſtinctis, extrinſecis, & à ſe habet eſſe potius hanc, quam illam, ſiue ambæ eumdem numero terminum reſpiciant, ſiue multos, vt duæ cognitiones de eodem Petro; ſiue diuerſa, ſiue multa ergo quamuis ſint obiecta, tamen vnum eſt indiuiduum peccatum, vna malitia: tum quia, vt rectè docet Suarez prima ſecundæ tract. 3. diſp. 4. ſect. 4. num. quinto voluntas vnico impetu, & inclinatione tendit in totũ illud obiectum per modum vnius: ergo eſt vna ſimplex bonitas, aut malitia: tum quia ſicut actus erga diuerſa ſpecie obiecta, eſt vnus ſimplex æquiualens tamen diuerſis ſpecie actibus; ita erga diuerſa numero obiecta eſt vnus ſimplex actus, æquiualens tamen pluribus numero actibus; ſed hęc æquiualentia ad plures numero actus addit grauitatem intra eamdem ſpeciem: ergo non eſt in confeſſione explicanda iuxta probabiliorem ſententiãm docentem non eſſe explicandas in confeſſione circumſtãtias aggrauantes intra eamdem ſpeciẽ, ita Angelus Maria Verricellus.

285 Sed neque hæc probatio conuincit: nam auctores contrariæ ſententiæ facile poſſunt reſpondere conceſſo antecedenti negando conſequentiam; nam aliud eſt loqui de multiplicatione phyſica actuum; aliud vero de multiplicatione morali ipſorum actuum, probatio autem conſequẽtiæ ſolum probat de vnitate phyſica actus, non autem de vnitate morali, vt conſtat ex dictis contra Suarez num. 282. & 283. cum alia ſit conſideranda ratio

in

in ordine ad multiplicationem moralem in actu bono, & honesto, ac in actu vitioso, nempe quo vult decem homines occidere nam in isto actu possunt dicere Auctores cõtrariæ sententię reperiri multiplex malitia non physica, nam in hoc pares sunt actus bonus, & malus, sed moralis ob rationem dictam dicto num. 282. & 283. Deinde quia licet valde probabilis sit opinio, quæ affirmat circumstantias aggrauantes peccatum intra eamdem speciem non esse necessario in confessione explicandas, nihilominus æque probabilis est opinio, quæ affirmat circumstãtias aggrauantes, quæ peccatum aggrauant multiplicando rationem peccati esse necessario explicandas in confessione, vt ex D. Thoma supra diximus, & ideo in hac sententia possunt sectatores eius dicere quod multiplicitas obiectorum in tali actu debet in confessione explicari; quia aggrauat peccatum non vtcumque sed multiplicando rationem peccati.

286 Quare alio modo, & fortasse melius potest illud antecedens (nempe quod idem numero actus siue bonus, siue malus non posset habere plures numero distinctas tantum bonitates, aut malitias;) probari: quia talis actus v. g. quo quis vult occidere decem homines, est actus pure sistens intus, & cum non causet exterius diuersos adæquatè numero effectus, non dicitur moraliter multiplex: ergo homo per talem actum non committet decẽ peccata etiam moraliter: ergo non tenetur in cõfessione explicare numerum obiectorum, sed sufficienter confitebitur suum peccatum, si in cõfessione dicat se habuisse intentionem occidendi plures.

287 Vnde sistendo in hac opinione respondeo secundo, & probabilius ad argumentum concedendo maiorem, & negando minorem, & ad eius probationẽ respõdetur, negando antecedẽs, nam vt supra diximus, in eodem numero actu voluntatis nõ possũt reperiri diuersæ malitię solo numero distinctæ, quæ opinio probabilior est, & consequẽter neganda est consequentia, probatio autem consequentiæ tãgit aliam grauem difficultatẽ, an scilicet ille qui de facto vnico ictu, & impetu decem occidit homines, decem peccata in confessione necessario fatenda committat, affirmatiuam partem sustinent communiter Doctores, & præcipue Nauarrus cap. 6. nu. 18. Fagundez in præcep. Ecclesiæ præcep. 2. lib. 3. cap. 5. num. 9. & alij plures quos citat, & sequitur Diana part. 1. tract. 7. resol. 29. & par. 3. tract. 4. resolut. 164. & part. 9. tract. 9. resol. 55. & parte 11. tract. 3. resolut. 3. & tract. 5. resol. 46. §. nota etiam, Castropalao part. 1. tract. 2. disp. 3. num. 8. Arriaga tom. 8. tract. 4. de pœnitent. disp. 32. sect. 2. & 3. qui auctores (excepto Arriaga) idem dicunt de actu interno voluntatis, ac de actu externo.

288 Alij autem cum Arriaga tenẽt, quod licet idem numero actus voluntatis nõ possit habere plures malitias numero solum distinctas, & ideo qui habuit volũtatem occidendi decem homines, non teneatur explicare numerũ obiectorum, nihilominus affirmant illum qui de facto vnico ictu, & impetu decem occidit homines, decẽ peccata mortaliter distincta commisisse necessario in confessione explican-

da,

da, & disparitatem assignat Lugo dicta sect. 3. citata num. 13. solutione 2. ad quamdam Suarez obiectionem quam iam nos tetigimus supra, scilicet quod actus ille, quo quis vult decem homines occidere, vt pote purè sistens intus non dicitur multiplex etiã moraliter; & ideo illa circumstãtia plurium obiectorum, non est necessario explicanda in confessione: ille autem, qui vnico ictu, & impetu decem occidit homines, ideo decem peccata mortalia moraliter commisisse, quia ille actus exterior produxit adęquatè exterius diuersos adæquatè numero effectus; nempe decẽ homicidia. qua ratione tenetur numerum occisorum in confessione explicare: cum pœnitens teneatur in confessione declarare species, & numerum peccatorum eiusdem speciei, quæ doctrina probabilissima est, & valde tuta in praxi.

289 Pater autem Leand. à Sanctissimo Sacramento loco superius citato quæst. 20. & Pater Tamburinus opusc. de confessione lib. 2. cap. 1. §. 8. & 9. sequentes Eminentissimum Cardinalem Lugo de pœnitentia disp. 16. sect. 3. num. 135. asserunt non esse necessarium in cõfessione explicare in tali casu numerum occisorum, tum (ait Leandrus) quia vt probabilissimè est habitum in illo actu, nequit dari multiplex, sed vna numero malitia; præcipuè quando pluralitas obiectorũ se habet per modum vnius, vt in præsenti: vt bene notat Suarez disp. 22. sect. 5. tum etiam; quia & si ex multiplicitate iuris læsi, nempe hominum occisorum ad vitam multiplicarentur numero malitiæ in illo actu: nõ ideo multiplicarentur peccata: ergo cum aliàs, vt supra est habitum, non sit necesse explicare distinctè totam malitiam indiuidualẽ peccati, sufficiet confiteri illud explicando solam malitiam specificam, ita Leand. hanc etiam sententiam nouissimè defendit Ioannes Pontius in Cursu Theologico disp. 45. quæst. 7. conclusione secunda num. 53. vt refert Diana dicta parte 11. tract. 3. resolut. 3. vbi etiam citat Martinũ à Sancto Iosepho in monita Cõfessariorum tom. 1. lib. 1. tract. 2. de pœnitent. num. 4. Constantinum de Castro in collect. Theologiæ moralis tract. 1. cap. 6. art. 3. sect. 3.

290 Mediauia in hac difficultate procedit Pater Frãciscus Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sectione 5. qui licet affirmet eum, qui vnico actu plures homines occidit teneri in confessione explicare numerum occisorum, nihilominus asserit hoc non prouenire ex eo quod sint ibi multa homicidia, sed quia illa multitudo est circumstantia notabiliter aggrauans vnum homicidij peccatum, hæc sententia Patris Suarez quatenus affirmat omnes circumstantias notabiliter aggrauantes peccatum esse necessario in confessione explicandas manifestè est contra D. Thomam prima secundæ quæst. 73. art. 7. cum D. Thomas, vt supra vidimus distinguat duplex genus circumstantiarum, quæ non extrahunt peccatum ad aliud peccati genus, sèd solum aggrauant illud intra propriam speciem; aliæ quæ aggrauant peccatum multiplicando rationem formalem peccati intra eamdem peccati speciem, aliæ vero quæ non multiplicant rationem formalẽ peccati, sed solum aggrauant peccatum, seu deformitatẽ eius prouenientem ex alia circumstan-

ſtantia, & ponit exemplum in peccato furti; nam accipere alienum conſtituit peccatum furti. Si autem addatur hæc circumſtantia, vt multum quis accipiat de alieno erit peccatum grauius quæ circumſtantia in ſententia D. Thomæ non eſt neceſſario in confeſſione explicanda: ergo ſi Suarez loquatur abſolutè de omnibus circumſtantijs notabiliter peccata aggrauantibus, manifeſtè contradicit doctrinam Diui Thomæ. Si autem loquatur de circumſtantijs aggrauãtibus, notabiliter quæ aggrauant peccatũ multiplicando rationem peccati, vt ſi prodigus det quando nõ debet, & cui non debet multiplicius peccat eodẽ genere peccati (quod eſt exemplum aſſignatum à D. Thoma) verum dicit, & ſic ille, qui vnico ictu, & impetu decem homines occidit non committat decẽ homicidia; nihilominus tenetur numerum occiſorum in confeſſione explicare; quia illa pluralitas occiſorũ eſt circumſtantia, quæ aggrauat illud vnum peccatum homicidij multiplicãdo rationem peccati, & hoc probabilius iudico in hac difficultate.

RESOLVTIO XV.

Vtrũm ille qui mille aureos furatus eſt, teneatur in confeſſione explicare quantitatem furti, vel an ſatisfaciat dicendo in confeſſione, furatus ſum quantitatem grauem, & quid ſi interrogetur à Confeſſario.

291 PRima ſentẽtia affirmat eum, qui mille aureos furatus eſt, teneri in confeſſione explicare dictam quantitatem. ita Henriquez lib. 5. cap. 7. num. 4. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 3. num. 17. Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcep. 2. lib. 4. cap. 4. num. 2. & in præcep. Decalog. cap. 7. num. 13. Valentia quæſt. 11. punct. 1. & alij plures quos citat Diana part. 1. tract. 7. reſ. 14. & nouiſſime Rodericus de Arriaga tom. 8. tract. 4. de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 32. ſect. 1. 2. & 3. D. Ioannes Caramuel in Theolog. fundamentali fundament. 56. num. 1706. §. ad ſecundum ex eiſdem D. Carolus Mallettus in aureo Theol. moralis tom. 1. malleatione 9. bractea 3. & 12.

292 Probatur primo hæc ſentẽtia ratione generali ad omnes circũſtantias notabiliter aggrauantes notabiliter peccatum intra eamdem ſpeciem: ſic omnis circumſtantia, quæ notabiliter peccatũ aggrauat intra eamdem peccati ſpeciem debet in confeſſione explicari; atqui mille aureorum quantitas in peccato furti aggrauat ipſum peccatum notabiliter intra eamdem ſpeciem: ergo ille qui furatus eſt mille aureos tenetur in confeſſione dictã quantitatem explicare. minor ab omnibus conceditur, & conſequentia eſt formalis, cum ſylogiſmus ſit in figura perfecta; maior in qua eſt difficultas probatur: omne id ſine quo Confeſſarius non poteſt cognoſcere certa ſcientia grauitatem peccati; vel ſi occultetur à pœnitente, eſt cauſa vt varietur notabiliter iudiciũ Confeſſarij, debetur à pœnitente neceſſario in confeſſione explicari; atqui omnis circumſtantia notabiliter aggrauans peccatũ intra eamdem ſpeciem ſi nõ explicetur in confeſſione à pœnitente, nec Confeſſarius poteſt habere ſcientiam adæquatam de peccati grauitate, & certè variatur conſequenter notabiliter

iu-

iudicium Cõfeſſarij in ordine ad iudicium ſacramentalis confeſſionis: ergo omnis circumſtantia notabiliter aggrauans peccatum intra eamdem peccati ſpeciem debet à pœnitente in confeſſione explicari. minor probatur: nam quando ille qui furatus eſt, mille aureos ſe accuſat commiſſiſſe peccatum furti in materia graui non explicando quantitatem rei furatæ, poteſt prudenter Cõfeſſarius iudicare ipſum furaſſe quatuor tarenos, aut aliã quãtitatem ſufficientem ad conſtituendum peccatum furti in re graui: ergo non explicata illa quantitate mille aureorum Confeſſarius non poteſt cognoſcere totam grauitatem peccati, nec cõdignam pœnitentiam pœnitenti applicare, & conſequenter variabitur in re graui in tali caſu iudicium Confeſſarij.

293 Secundo probatur hæc ſentẽtia à D. Carolo Mallet. loco ſuperius citato: quia omnis circũſtatia notabiliter aggrauans peccatum intra eamdem ſpeciem, quæ ſe tenet ex parte obiecti, & non ex parte actus ipſius peccati debet in confeſſione explicari; atqui circũſtantia magnæ quantitatis in peccato furti qualis eſt mille aureos furare, non eſt circũſtantia notabiliter aggrauans ex parte actus ipſius peccati, ſed ex parte obiecti: ergo debetur neceſsariò in confeſſione explicari.

294 Tertio probatur à Caramuel vbi ſupra quia qui furatus eſt mille aureos à decem tenetur in cõfeſſione explicare numerũ perſonarum, & materiam furatam à qualibet perſona: ergo & qui furatus eſt ille mille aureos ab vno tenetur in confeſſione explicare mille aureos ab vno furaſſe. patet conſequentia; quia non eſt maior ratio in vno caſu, quam in alio aliàs ſatisfaceret pœnitens dicẽdo bis furatus ſum rem grauem non diſtinguendo ſi vnus, & idem numero homo furatus fuit ab vno tantum mille aureos, & alios mille à decem quod non videtur probabile. Antecedens autem probatur, nam furtum ideo eſt graue peccatum, quia proximo grauiter nocet; atqui ille qui decem proximis grauiter nocet habet decẽ malitias graues neceſſario in confeſsione aperiendas: ergo ille qui furauit mille aureos à decem debet in confeſsione explicare numerum perſonarum, & quantitatem ab ipſis furatam.

295 Secunda ſententia in alio extremo ſuſtinet eum, qui furatus fuit mille aureos non teneri in confeſsione explicare quantitatem furti, ſed ſufficere ſi in confeſſione dicat ſe commiſsiſſe furtõ in re graui. ita defendunt Vaſquez tom. 4. in 3. part. quæſt. 91. art. 1. dub. 3. Granadus tract. 9. diſp. 9. num. 12. et 13. Eminentiſsimus Cardinalis Lugo diſp. 16. ſect. 3. num. 112. et 113. Luiſius de pœnitent. quæſt. 9. art. 2. diſp. 29. dub. 2. ad quartum. et dub. 3. vbi ait: abſque vllo fundamento probabilitatis dicit Ochagauia tract. 2. quæſt. 14. nu. 6. hanc ſententiam eſſe improbabilem. Thomas à Ieſu capit. 3. Archangel. diſt. 16. Caſtropalaus tom. 4. tract. 23. punct. 9. num. 7. Baunius tract. 4. quæſt. 15. dub. 3. Trullench. lib. 4. de Sacramẽtis cap. 6. dub. 4. num. 7. Gaſpar Hurtadus diſp. 9. de pœnitent. difficult. 4. quos citat, et ſequitur Leandrus à Sacramento par. 1. de Sacrament. Pœniten. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 2. et alij apud Dianam part. 1. tract. 7. reſol. 14. et part. 3. tract. 4. reſolut

164. & part. 11. tract. 3. miſcell. reſol. 3. & tract. 8. reſolut. 64. in quibus locis, ipſe Diana hanc opinionem probabilem exiſtimat; tenent etiam eam Ioannes Pontius in ſuo curſu Theologico diſput. 45. quæſt. 7. concluſ. 2. num. 53. Martinus de Sanct. Ioſeph. in monit. Confeſſ. tom. 1. lib. 1. tract. 11. de pœnitent. num. 4. Conſtantinus de Caſtro in collect. Theolog. moralis tract. 1. cap. 6. art. 3. ſect. 3. Mag. Marcus Serra in primam ſecundæ tom. 2. quæſt. 73. art. 7. concluſ. 2. §. ſecundam ſententiam, & 2. 2. quæſt. 76. artic. 3. §. ſi quæras vbi ſic ait, an qui plures homines ſimul malè diceret mortem eis optando, vnum vel plura peccata committeret? de hoc ſicut, & de voluntate occidendi plures homines ſimul varias eſſe doctorum ſententias de quo vide Dianam 1. part. tract. 7. de circumſt. reſol. 17. & 29. quidam dicunt plura peccata committere: nam quamuis non eſſet niſi vnus numero actus phyſicè in eo tamen eſſent plures numero malitiæ morales: Alij vero vnum tantum numero peccatũ, 296 tam phyſicè, quam moraliter committere aſſerunt: tum quia plura ſolum numero accidentia non poſſunt ſimul eſſe in eodem actu: tum etiam quia diuerſitas numerica obiectorum non eſt ſufficiens ad diuerſitatem numericã actus etiam in genere moris, vt patet in actu charitatis quo quis diligit plures homines. quamuis autem vnum ſolum numero ſit peccatum, hoc tamen grauius eſt, quam ſi vnus, ſolum homo malediceretur. Vnde qui dicunt circumſtantias aggrauantes notabiliter eſſe neceſſario aperiendas in confeſſione aſſerunt in ea exprimendum eſſe quot fuerint homines maledicti, qui vero docent ſolum eſſe neceſſario confitendas circumſtãtias mutantes ſpeciem dicunt ſatis eſſe confiteri male dixiſſe, & non eſſe opus exprimere, quot homines male dixerit. mihi probabilius videtur vnum ſolum numero eſſe peccatum; tam phyſice, quam moraliter: quia tamen multis numero diſtinctis æquiualet aperiendum eſſe in confeſſione, quot homines male dixerit: nam quamuis quaſi actiuè vna ſit maledictio, & iniuria; quaſi paſſiuè tamen tot ſunt, quot homines maledicti, illæ quæ volitæ formaliter. Vnde non eſt eadem ratio, ac quando aliquis plurium depoſita in eadẽ arca exiſtentia furatur: nam hic formaliter, & expreſsè ſolum vult ſummam illam pecuniæ accipere iniuriam, vero quæ fit dominis ſolum implicitè, hæc ille. Angelus Maria Verricellus in quæſtionibus moral. & legal. tract. 8. quæſt. 17. Remigius in pract. Cõfeſſariorum tract. 5. cap. quinto, Zanardus 1. part. directorij de ſacrament. pœnitent. cap. 18.

Hęc ſententia probatur primo ratione illa generali qua vtuntur Doctores, qui affirmant circumſtantias aggrauãtes peccatum etiam notabiliter non eſſe neceſſario in confeſſione aperiendas, quę poteſt ad hanc formam reduci. Nulla circumſtantia, quæ ſolum aggrauat peccatũ intra eamdem ſpeciem, eſt neceſſario in confeſſione aperienda; atqui magna quantitas in peccato furti eſt ſolum circumſtantia aggrauans peccatum intra eamdem ſpeciem: ergo ille, qui furauit mille aureos non tenetur dictam quantitatem in confeſſione explicare, hac ratione vtitur P. Leãdrus à Sãctiſſ-

mo Sacramento loco ſup. citat.

Sed hęc ratio parum vrget; nam maior abſolutè negatur, quia occiſio plurium hominum vnico ictu, & impulſu eſt circũſtantia aggrauans peccatum intra eamdem ſpeciem, & nihilominus numerus occiſorum eſt neceſſario in confeſſione explicandus, vt reſolutione præcedenti diximus, nam occiſio plurium vnico actu dicit plures cõſumationes eiuſdem prauæ voluntatis formaliter, & expreſsè volitas, cum autem neceſſario fatendum ſit opus externum, ſeu conſumationem peccati, quod explicari nequit, niſi declarando numero occiſorum. 298

Aliqui hanc ſententiam limitant quando furtum in magna quantitate eſt peccatum reſeruatum; vel habet annexam maiorem excommunicationem, quia tunc, inquiunt tenetur pœnitens in confeſſione explicare quantitatem furti ſaltem per accidens. nihilominus dicendum eſt nunquam teneri pœnitens in confeſſione neceſſario explicare quantitatem furti, quantumuis magna ſit, tenebitur tamen ſi annexam habeat reſeruationem, aut excommunicationem dicere in confeſſione ſe furaſſe quantitatem grauem, quę annexam habet reſeruationem, vel tantam quantitatem, vt in excommunicationẽ incurrerit, ita præter Doctores ſuperius citatos tenet Nauarrus in cap. conſideret diſt. 5. n. 12. & in manuali cap. 6. n. 9. & probatur; quia quæcumque circumſtantia aggrauans notabiliter peccatum intra eamdem ſpeciem, quæ non multiplicat rationem peccati non eſt neceſſario in cõfeſſio explicanda, atqui magna quantitas in peccato furti, non aggrauat dictũ peccatum multiplicando rationẽ peccari, ſed ſolũ auget deformitatẽ prouenientẽ ex alia circũſtãtia, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 73. art. 7. in corpore his verbis tertio modo circũſtãtia aggrauat peccatũ ex eo quod auget deformitatem prouenientẽ ex alia circũſtãtia, ſicut accipere alienum cõſtituit peccatum furti: ſi autem addatur hæc circumſtantia, vt multũ accipiat de alieno, erit peccatũ grauius, quamuis accipere multum, vel parum, de ſe non dicat rationem boni, vel mali: ergo qui furatus fuit centum aureos, non tenetur in confeſſione explicare quantitatẽ furti, ſed ſufficit ſi dicat ſe furaſſe quantitatẽ grauẽ. 299

Ad primum fundamentum primæ ſententię reſpondetur negando abſolutè maiorem; nam multæ ſunt circumſtantiæ notabiliter peccatum aggrauãtes, quæ debent in confeſſione explicare, vt patet in eo, qui vnico actu plures occidit, & in prodigo, quando dat quando non debet, & cui non debet, quæ circumſtantiæ ſolum aggrauant peccata intra eamdem ſpeciem, ad probationem autem maioris conceſſa maiori neganda eſt minor: quia etiam non explicata qnantitate furti (vt benè notat Cardinalis Lugo de pœnitent. diſput. 16. ſect. 3. num. 118.) nullum peccatum manet, quod non explicetur certò; nam totum illud furtum, eſt vnum, & idem peccatum, quod licet non explicetur quo ad totam ſuam indiuiduationem, illud tamen reuera explicatur quo ad ſuam ſpeciem, & quidditatem, atque adeo pœnitens dicit certo ſe commiſiſſe illud peccatum, nec celat aliquod peccatum à ſe commiſſum, & per conſequens ſatisfacit toti præcepto; confitendi ſuum peccatum:

ex

ex quo ſequitur manifeſtè non variari notabiliter in hoc caſu iudicium Confeſſarij: nam ſine explicatione quantitatis furti, cognita à Confeſſario ſpecie peccati mortalis, iam cognoſcitur eius grauitas ſpecifica, & eſſentialis, licet non cognoſcatur diſtinctè tota grauitas individualis, ex quo patet ad probationẽ eiuſdem minoris.

300 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur negando ſuppoſitũ maioris, & ipſam maiorem, ſupponit enim D. Carolus Malletti cuius eſt fundamentum, poſſe aliquam circumſtantiam notabiliter aggrauantem peccatum, ſe teneri ex parte obiecti; quin ſe teneat ex parte actus ſaltem extrinſecè, quod eſt omnino falſum, cum actus totam ſuam ſpeciem ſumat ab obiecto, vt docet bona Methaphyſica, ex quo manifeſtè colligitur falſitas minoris. Cum enim peccatum furti conſtituatur per ablationem iniuſtam rei alienæ, accipere multũ de alieno eſt accidens extrinſecum reſpectu ipſius actus, quæ circumſtantia non mutat ſpeciẽ peccati furti, & licet illud aggrauet, nõ tamen aggrauat multiplicando rationem peccati, ſed ſolum augendo eius deformitatẽ prouenientem ex alia circumſtantia, vt ſupra diximus ex D. Thoma.

301 Ad tertium reſpondetur negando antecedens, & ad eius probationem reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, ille qui decẽ proximis nocet habet decem malitias graues incluſas in illo actu volitas formaliter, & expreſsè nego minorem, volitas tantum implicitè, & virtualiter concedo minorem, & nego conſequentiam, quia qui mille aureos vnico actu a decem furauit formaliter, & expreſsè ſolum vult ſummam illam pecuniæ accipere iniuria vero, quæ fit dominis ſolum implicitè.

302 Sed dices, ille qui vnico impulſu decem homines occidit tenetur in confeſſione numerum occiſorum declarare: ergo, & qui à decem hominibus mille aureos furauit tenebitur in confeſſione hanc explicare circumſtantiam. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. rationem diſparitatis aſſignat Angelus Maria Verricellus vbi ſupra, quia conſumatio homicidij formaliter habetur per ipſam percuſſionem occiſi; quare ſi decem ſunt percuſſiones ex eodem ictu, explicandæ ſunt decẽ perſonæ percuſſæ, alioquin non confiteret quis peccatum conſumatum: furtum vero concipitur conſumatum immediatè, & formaliter per ablationem rei alienæ, non autem per damnificationem, quæ conſequitur; nam adhuc eſſet furtum; eſto nullus damnificaretur; quare cum explicita obligatione furtiua ſufficienter explicetur peccatum conſumatum; hoc ſufficit, neque vlterius requiritur, quod explicentur perſonæ damnificatæ, quæ diſparitas coincidit cum illa, quam aſſignat Magiſter Serra loco ſuperius citato in ſecundam ſecundæ tom. 3. quæſt. 76. art. 3. nempè qui decem homines vnico occidit ictu, & impulſu, ideo teneri in confeſſione explicare numerum occiſorum, quia licet actiuè ſit tantum vna occiſio, & vna iniuria, quaſi paſſiuè tamen, tot ſunt, quot homines occiſi, illæ, quæ volitæ formaliter, & expreſsè, quod non contingit in eo, qui vnica actione mille aureos à decem homi-

nibus furauit: nam hic formaliter, & expresè solum vult summam illam pecuniæ accipere, iniuriam vero, quæ fit dominis solum implicitè.

303 Quantum ad secundam partē resolutionis, an scilicet ille, qui mille furauit aureos interrogatus saltem à Cōfessario, teneatur furti quantitatē explicare, partē affirmatiuam defendit Eminentissimus Cardinalis Lugo de pœnitent. disp. 16. sect. 3. num. 120. & 122. num. citato 120. sic inquit. Alia debet pœnitens ex se ipso confiteri etiam nō interrogatus; quæ magis necessaria sūt, aliqua vero debet confiteri interrogatus, quia minus necessaria sunt, & non semper eorum notitia desideratur. Vnde reddi potest ratio cur Christus noluerit æquè obligare pœnitentem ad vtrasque circumstantias explicandas, sed diuerso modo scilicet ad aliquas immediatè, & proximè, ad alias vero solum mediatè, & remotè, scilicet dando ius Cōfessario interrogandi, quando expedierit, numero autem 122. ita ait; vt sæpe diximus, aliqua sunt, quæ pœnitens ex se non tenetur manifestare, & tamen inquisitus debet ea confiteri. Confessarius enim vt Iudex, & Medicus ius habet inquirendi plura, vt debitam medicinam applicet, & vt iustam satisfactionem imponat hæc ille.

304 Nihilominus dicendum est pœnitentem non teneri, & iam interrogatus à Confessario dictā furti quantitatem explicare, ita Angelus Maria Verricellus in quæstionibus moral. & legalibus tract. 8. quæst. 18. & nouissimè Ioannes Pontius in cursu theolog. disp. 45. quæst. 7. num. 53. vbi sic ait. Sed addo contra Lugo pœnitentem non teneri consequenter ad confitēdam talem circumstantiam, sed sufficere, quod dicat, furatus sum quantitatē mortaliter peccaminosam, & si Cōfessarius petat quantam, ipsum posse dicere nō teneor ad hoc confitendum, impone mihi quamuis pœnitentiam cōformem peccato mortali talis speciei, & instrue vt vis conformiter huccusque doctus Pater Pōtius.

305 Probatur assertum, quia si pœnitens inquisitus à Confessario esset necessario obligatus ad declarandum dictam circumstantiam, scilicet materiam illam grauem furti, maximè esset quia illa cognita à Confessario imponeret pœnitēti maiorē pœnitētiā, quam illi imponeret si taceret dictam circumstantiam; atqui hæc ratio non conuincit: ergo non tenetur pœnitens, etiam interrogatus à Confessario prædictam quantitatem explicare, probatur minor, tum quia si ad pœnitentiam imponendam esset necessaria explicatio talis circumstantiæ, teneretur pœnitens etiam non interrogatus à Cōfessario eam declarare, cum non sit in potestate pœnitentis tacere ea quæ notabiliter variant iudicium Confessarij, & Confessarius teneretur necessario pœnitentem interrogare, quod non concedit Cardinalis Lugo: tum etiam, quia non cogitur pœnitens acceptare grauiorem illam pœnitentiam, quā ei imponeret Confessarius si in confessione declararet quantitatem furti, sed potest petere minorem, ex quo corruit fundamentum Eminentissimi Lugo.

RE-

RESOLVTIO XVI.

Vtrum ille, qui in vna nocte plures actus Carnales habuit cũ eadẽ fœmina committat plura peccata neceſſario in confeſſione explicanda.

306 PAter Bernardus part. 1. direct. Confeſſarior. de Sacramento pœnit quem citat Diana 3. part. tractat. 4. reſolut. 67. & Pater Leand. à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. de pœnitent. diſp. 8. §. 7. quæſt. 8. & Amadeus Guimenius in ſuo opuſculo adnerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones tract. de pœnitent. propoſit. 7. num. 3. vbi hęc Bernardi verba refert: ſimiliter qui per totam noctem cum Amaſia dormiuit, non eſt opus vt dicat, Ego eam per tot vices cognoui: ſed feci, quod potui; dummodo non habuerit interruptionẽ mentis, vel operis, quæ verba etiam referunt Diana vbi ſupra, & Cardinalis Lugo de pœnitent. diſput. 16. ſect. 14. num. 557. ex quibus verbis conſtat hunc Doctorem ſuſtinere eum, qui vna nocte plures actus carnales habuit ſi non habuerit interruptionem actus, vel operis non committere plura peccata mortalia, ſed vnũ dumtaxat, nec opus eſſe in confeſſione explicare quot vices ad eamdem mulierem in illa nocte acceſſit, pro eadem ſententia citat Amadeus Guimenius D. Marcum Scarſella de Tolentino in ſumma 1. part. cap. 125. nu. 11. Maurum Antonium Berarduccium in ſum. Corona Confeſſorum part. 1. cap. 2. de circumſtãtijs num. 19. eamdem ſententiã ſuſtinent, Archangelus Rubeus diſt. 16. quem citat Leand. & alij ab ipſo conſulti, qui eam probabilem iudicarunt vt teſtatur ipſe Leand. vbi ſupra.

307 Hæc ſententia probatur ab Archangelo Rubeo ratione, quã ex ipſo refert Leand. in hũc modum: quoniam actus illi quamuis ſi abſolutè cõſiderentur, vnus non ſit via ad alterum; tamen omnes ſimul accepti ad vnum finem ordinantur, qui eſt tota nocte ea potiri muliere, ac per conſequens in genere moralium (cum vnumquodque à ſuo fine denominari iuſtum ſit) tantummodo vnum peccatum, & non plura aderit, at ſi quis intenderet ſolum vna vice potiri muliere, proculdubio ſi poſt primum actum, de nouo deliberaret, ibi plura peccata adeſſent, & conſequenter ea diſtinctè explicare teneretur: ergo, & cætera.

308 Secundo poteſt probari hæc ſententia: quia Sacerdos legitimè approbatus ad confeſſiones audiendas, qui exiſtens in peccato mortali, ſucceſſiuè, & continuè, ſine morali interruptione pluribut perſonis pœnitẽtię Sacramentum adminiſtrat vnum tantum peccatum mortale, & nõ plura committit, nec tenetur explicare quot vices Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrauit, ſed ſufficit ſi dicat adminiſtraui Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali, vt docent Diana part. 1. tract. 7. reſolut. 43. & part. 3. reſol. 67. §. in reſol. 43. & part. 5. tract. 7. reſol. 7. Eminẽtiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 3. num. 135. & ſect. 14. num. 558. Philippus de la Cruz apud Dianam dict. part. 5. D. Marcus Vidal in arca Vitali tract. de miniſtro Sacramen-

mentorum numer. 95. Angelus Maria Verricellus in quæſtionibus Moral. quæſt. 17. §. infertur ex hac doctrina, qui omnes citant pro hac ſententia Emanuelem Rodriguez tom. 2. cap. 44. num. 3. immerito tamen cùm in dicto cap. 44. ſolum tractet de reſtitutione. Verum eſt, quod tomo 1. cap. 244. numer. 26. hanc tenet ſententiam per hæc verba. Verdad es que a quel que deſpues de aber conſumido (eſtando en pecado mortal) comulga alguna perſona comete otro peccado mortal diſtincto, pues eſte es differente acto, y aunque comulgue a mil perſonas no ſera mas de vn peccado como lo tiene Enriquez contra Silueſtro, ni obſta què en eſtas mil comuniones, ay mil actos diſtinctos en numero: y aſi parece aber diſtinctos peccados porque aunque ſe an diſtinctos, hablando moralmẽte: antes in genere moris ſe tienen por vn meſmo acto, como tanbien hablando en eſta materia, ſe tiene por vn meſmo acto confeſſar veinte perſonas ſin leuantarſe del cõfeſſionario, ò leuantandoſe con intencion de boluer. Sic ille: ergo etiam ille qui cum Amaſia in vna nocte plures habuit carnales actus modo ſuperius explicato vnum tantum peccatum commiſit, & conſequenter ſufficienter confitetur ſi dicat in confeſſione per vnam integram noctem fui cum Amaſia, & feci quod potui non explicando aliud.

309 Tertio probatur; quia ille qui circa eamdem rem in eodem ſermone plura iuramenta falſo profert ſucceſſiue, vnum tantũ mortale peccatum committit: ergo ille qui in vna nocte cum eadem muliere plures actus carnales habuit, abſque interruptione mentis, vel operis vnum tantũ peccatum commiſit, & non plura diſtincta numero. Conſequẽtia videtur legitima cũ in vtroque caſu videatur eſſe eadem ratio, antecedens autem docent Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæſt. 5. Diana part. 3. tract. 4. reſolut. 163. Cardinalis Lugo de pœnitent diſp. 6. ſect. 14. num. 561. & alij.

310 Dicendũ tamen eſt plura peccata mortalia. Committere eum, qui in vna nocte cũ eadem muliere plures actus carnales habuit, etiam ſi non habuerit interruptionem mentis, vel operis, ita Caſtropalao tom. 1. tract. 2. diſp. 3. punct. 1. in fine. Diana part. 3. tractat. 4. reſolut. 67. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 14. numer. 557. Geſualdus tom. 1. ſummæ tract. 21. num. 19. Leand. a Sanctiſſimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 7. qu. 8. D. Ioannes Caramuel in theolog. fundament. fundament. 29. §. 2. num. 732. quare in merito pro contraria ſententia citat cũ Diana par. 11. tract. 1. reſol. 2. Ratio huius aſſertionis eſt quam affert Cardinalis Lugo: quia vna copula nõ facit vnum cum alia, ſed ſingulæ ſunt actiones completæ, & totales: ergo quælibet conſtituit vnum numero peccatum; at qui pœnitens tenetur in confeſſione explicare non ſolum ſpecies peccatorum, ſed etiam eorum numerum intra eamdem ſpeciem: ergo qui plures copulas carnales habuit in vna nocte cum eadem muliere, etiam ſi nõ habuerit interruptionem mentis, vel operis tenetur earum numerum in confeſſione explicare.

311 Ad primum fundamẽtum cõtrariæ ſentẽtiæ reſpõdetur, quod Se-

quamuis finis illius hominis in casu propositio sit tota nocte eam potiri muliere; tamen cum consecutio talis finis constet ex pluribus copulis quarum vna, non facit vnum cum alia, nec deseruit, vt dispositio ad aliam, sed singulæ sint actiones completæ, & adequatæ, vt supra diximus, ideo cõstituunt distincta peccata necessario in confessione explicanda, & non vnum etiam in genere moris, sicut etiam ille qui habuit voluntatem occidẽdi finis illius occisio est, & si occidat decem homines vnum immediatè post alium decem peccata committit etiam in genere moris necessario in confessione explicanda.

312 Secundum argumentum tangit duas graues difficultates, quas hic hac occasione ex professo examinabimus, prima est An Sacerdos mortaliter peccet administrando in statu peccati mortalis Sacramẽtũ Pœnitentiæ. Secunda est vtrum qui pluribus successiuè absque notabili mora Sacramẽtum pœuitentiæ administrat in peccato mortali vnũ, vel plura peccata cõmittat. quoad primam difficultatem partẽ negatiuam sustinet Thomas 1. part. methodi cap. 1. §. 1. et part. 2. cap. 2. §. 12. Ludouicus de San Iuan in summa quæst. 8. de pœnitent. art. 4. dub. 1. difficult. 1. cuius verba refert Leãdrus à Sãctissimo Sacramento part. 1. trac. 1. disp. 4. quæst. 8. quæ hæc sunt. La duda principal de aqueste articulo resueluen. otros in otra forma para cuia resolucion suponen, que el istar en peccado mortal, puede ser en dos maneras, la primieta en peccado mortal habitual como el que tiene trato de amancebado, o logrero, o actual de hecho, o de complacencia en el. la segunda in peccado mortal no perdonado por la cõfession, o contricion, mas pasado el acto se paso el proposito, o complacencia esto supuesto dicẽ estos Doctores los puntos que se sieguẽ administrar qualquier Sacramento en la primera manera, esto es nn peccado mortal, habitual, actual; o conplacencia en el es gran peccado mortal de sacrilegio, porque es grauissima la materia por la iniuria grauissima que se hace al Sacramento; Administrar Sacramẽto en peccado mortal no perdonado por la confession, o contricion no es nueuo peccado mortal esta conclusion se prueba lo primero, por que no teniendo peccado mortal actual, ni habitual, ni complacencia, la irreuerencia es leue, lo segundo porque ni los Theologos, ni los Concilios obligan ala cõfession al que a de administrar, sino al que a de comulgar, ni a tener contricion. lo tercero, porque si obligarà la cõtricion vbiera dudas y escrupulos en los ministros, como lo prueba Victoria, y llamas con exemplo bien claro v. g. estan tres Sacerdotes en peccado mortal, y no aj otro Confessor, si estos estubiesen obligados ala contricion, antes de oir confesiones, no se sabria qual de ellos la tenia, para oir alos otros y cadauno se ponia en ocasiõ de peccar oyendo alos otros. de lo dicho se sigue que aunque el dicho ministro no esta obligado à tener contricion, a lo menos lo esta a no tener complacẽcia actual, y a tener algun proposito de arepentirse. a si lo dice Siluestro verbo Confessor. 3. §. 4. sic Ludouicus, & paulo postea. de lo dicho se siegue que quando los Doctores dicen comunmente, que administrar en mortal, es mortal se a de entender,

der, en mortal actual, o habitual, huc vsque Ludouicus de San Iuan.

313 Communis tamen Doctorum sentẽtia subſtinet Confeſſarium peccare mortaliter administrando Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali, niſi Sacerdos per accidẽs excuſetur ob impoſſibilitatem moralem ſe iuſtificãdi per actũ contritionis, eo quod extrema neceſſitas ſuſcipiẽtis ad conferendum pœnitentię Sacramentum eum cogat, vt nequeat ſe ad gratiam moraliter prępara-re. ita expreſsè Diuas Thomas 3. part. quæſt. 64. art. 5. ad 3. & ar. 6. in corpore. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 23. ſect. 1. nu. 3. Caſtropalao part. 4. tract. 18. punt. 5. num. 9. & tract. 23. punct. 16. num. 2. D. Carolus Mallettus in auro Theolog. moral. to. 1. malleatione 16. bractea 7. & alij plures quos citat, & ſequitur Leand. à Sanctiſsimo Sacramento part. 1. tract. 1. diſp. 4. quæſt. 8. & tr. 5. diſp. 11. quæſt. 113. Magiſter Marcus Serra in 3. part. quæſt. 64. art. 6. dub. 1. Ratio deducitur ex D. Thoma dicto art. 6. quia miniſter Sacramenti pœnitentiæ tenetur reuerenter tractare Sacramentum pœnitentiæ, quam adminiſtrat quantum eſt ex parte ſua; atqui adminiſtrans ſacramẽtum pœnitentię in peccato mortali quãtum ex parte ſua eſt facit irreuerentiam grauem Deo auctori Sacramẽtorum, & contaminat Sacramentum pœnitentiæ quam adminiſtrat: ergo Sacerdos adminiſtrans pœnitentię Sacramentum in peccato mortali mortaliter peccat ex genere ſuo.

314 Notanter dixi ex genere; quia ſi Confeſſarius habens peccatum mortale adminiſtret Sacramentum pœnitentiæ infirmo exiſtẽti in extrema, aut graui neceſsitate non peccat mortaliter: quia in hoc caſu iam ceſſat irreuerentia Sacramẽti per aduentum neceſſitatis proximi, ad quam ſuccurrendam inſtituta ſunt Sacramenta, quod dico contra Caietanum 3. part. quæſt. 64. art. 6. Nauarr. cap. 22. num. 3. Vict. quæſt. 29. de Sacrament. Bartholomæus ab Angelo de Sacramentis quos citat, & ſequitur Bonacina de Sacramentis diſp. 1. quæſt. 3. punt. 2. §. 1. num. 11. Cuius contrariũ ſuſtinẽt Aegidius de Sacrament. quæſt. 64. art. 6. dub. 1. Gaſpar Hurtadus diſp. 4. de Sacrament. difficul. 9. Lugo diſp. 8. de Sacrament. in genere num. 151. quos citat, & ſequitur Leandr. à Sanctiſsimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 11. quæſt. 114. Caſtropalaus part. 4. tract. 18. diſp. vnica de Sacrament. in com. punt. 5. num. 9.

315 Noto hic obiter quod licet Sacerdos, qui in peccato mortali pœnitentiæ Sacramẽtum adminiſtrat peccet mortaliter, non tamen peccat mortaliter, ſed ſolum venialiter adminiſtrando alijs in miſsa, vel extra eam Euchariſtiæ Sacramẽtum in peccato mortali, quod ſtatuo contra nonnullos Doct. contrarium aſſerentes, & ſpecialiter contra Caſtropalaũ par. 4. tract. 18. diſp. vnica punt. 5. num. 12. qui immeritò affirmat paucos docere hanc aſſertionem; cum eam doceant Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſp. 136. cap. 3. Petrus de Reina in ſumma Sacrament. tract. 4. nu. 6. Barboſa de officio Parochi ca. 20. num. 17. Gaſpar Hurtadus diſp. 4. de Sacramentis in genere difficult. 9. num. 155. & diſp. 9. de Euchariſtia difficult. 8. & plures alij, quos citat, & ſequitur Diana part. 1. tract. 7. reſol. 41. & part. 2. tract. de celebratione miſ-

miſſar. reſol. 23. & part. 3. tract. 4. reſolut. 195. §. notandum eſt etiam, & part. 5. tract. 3. reſol. 47. & part. 6. tract. 6. reſol. 53. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de Sacramentis diſp. 8. ſect. 9. & tract. de Euchariſtia diſp. 18. num. 17. Magiſter Marcus Serra in 3. part. quæſt. 64. art. 6. dub. 1. §. ex quo colligo 1. Cuius ratio eſt; quia tale miniſterium non eſt actio confectiua Sacramenti, imo neque eſt propriè, & in rigore conſtitutiua miniſtri Dei, cum ſic miniſtrans non ſit cauſa inſtrumentalis gratiæ, ſed ſolum ſe habeat vt conditio, & vt applicans Sacramentum ad conferendam gratiam, & ita etiam tenet D. Marcus Vidal vbi ſupra num. 97. & 98.

316 Quo ad ſecundam difficultatem an ſcilicet Sacerdos, qui in peccato mortali plurium cõfeſſiones excipit ſucceſſiuè multipliciter peccet, & teneatur numerum confeſſionum explicare? partem affirmatiuam tenent Philibertus Marchinus de ſacrificio miſſæ tract. 2. part. 3. cap. 8. n. 9. Bonacina. diſp. 4. de Euchariſtia quæſt. 5. punt. 2. num. 5. & de pœnitent. diſp. 5 quæſt. 5. ſect. 2. punt. 2. §. 3. difficul. 2. Candidus tom. 2. diſquiſit. 24. art. 22. dub. 7. vbi pro hac ſentẽtia citat Sylueſt. verb. Clericus 2. num. 2. ad finem, & Azorium 1. part. lib. 4. cap. 4. quæſt. 6. Molfeſius 1. par. ſummæ tract. 7. cap. 24. num. 16. Megala 1. par. lib. 1. cap. 4. num. 4. Caſtropalao part. 1. tract. 2. diſput. 3. punt. 3. num. 8. & apud ipſum Vaſquez t. 2. diſp. 98. cap. 3. D. Carolus Mallettus in aureo Theologiæ moralis tom. 1. de Sacrament. malleat. 16. bractea 7. vbi pro hac ſententia citat Suarez tom. 4. in 3. part. diſput. 22. ſect. 5. num. 55. immerito tamẽ; nam ibi Suarez nec vnum verbũ loquitur de hac difficultate, nec in illa ſect. 5. eſt talis n. 55. cum finiatur n. 39. diſp. autem 28. ſect. 1. n. 3. ſuſtinet, quod adminiſtrare Sacramentum pœnitẽtię, in peccato mortali, eſt mortale peccatum ex genere ſuo, niſi per accidens Sacerdos à peccato mortali excuſetur, vt nos ſupra diximus fundamentum potiſſimum huius ſententiæ eſt; quia illæ plures adminiſtrationes non poſſunt conſtituere moraliter vnam actionẽ, ſed plures ſunt actiones, tã phyſicè, quam moraliter: ergo cũ adminiſtrare Sacramẽtum pœnitẽtiæ in peccato mortali, ſit mortale ex genere ſuo, cõſequẽs eſt, vt Sacerdos tot peccata mortalia cõmittat quot vices pœnitentiæ Sacramentum alijs adminiſtrat, quantũuis ſucceſſiuè hoc faciat, probatur antecedẽs; nam ſingulę illæ actiones, ſeu adminiſtrationes habent ſuum definitũ obiectum, cum non ſolum ſint ſimplices adminiſtrationes, ſed etiam actiones effectiuè Sacramenti, ergo quantũuis ſucceſſiuè fiant, nõ poſſũt cẽſeri moraliter vna actio cũ tot ſint Sacramenta, quot ſunt adminiſtrationes Sacramẽti: igitur, tot ſunt peccata mortalia, quot ſunt adminiſtrationes effectiuæ Sacramenti.

317 Partem vero negatiuam ſuſtinẽt authores relati n. 308. & nouiſſimè eam cõfirmat Diana par. 9. tract. 9. reſol. 66. Tamburinus, & Eſcobar penes ipſum, quem citat, & ſequitur Leand. à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 8. quæſt. 19. fundamẽtũ huius ſententiæ eſt; quia omnes illæ confeſſiones audiuntur per vnum actum moraliter ordinatũ ad idem obiectum formale, dum perſeuerat continuatè ad idem morale opus, non ſe diuertendo

notabiliter ad aliud diuersũ: ergo Sacerdos, qui plures audit cõfessiones in peccato mortali absque notabili mora vnum tantũ peccatũ mortale cõmittit, quod potest cõfirmari; quia dato quod Sacerdos Eucharistiam ab alio consecratam fidelibus distribuit in peccato mortali mortaliter peccet, nihilominus si vna vice illã pluribus distribuat vnũ solũ peccatũ mortale cõmittit, quia in genere moris est vnus actus, quãuis physicè sint distinctæ. Sacramẽti distributiones: ergo idẽ dicẽdũ est de Sacerdote, qui pluribus successiue pœnitẽtiæ Sacramẽtũ in peccato mortali administrat.

318 Ex his opinionibus hæc secũda probabilis est saltẽ probabilitate extrinseca ob graues Doctores, qui eam tenent, sed prima valde probabilior est, & in praxi tutior, quam sustinendã esse iudico. ad fundamentum secundæ sentẽtiæ satis cõstat ex dictis in fundamẽto primæ sententiæ, quare negandũ est antecedẽs propter rationẽ ibi assignatam. Ad cõfirmationẽ respõdetur primo; dato, & non concesso antecedẽti negãdo cõsequentiam, & ratio disparitatis est illa quã doctè assignat D. Carolus Maliettus malleat. 16. bracte a 7. superius citata, quia in Sacerdote, qui in mortali peccato existẽs diuersis personis vna vice Eucharistiæ Sacramẽtũ distribuit, siue in missa, siue extra illã vnũ tantũ peccatũ mortale cõmittit, quia cũ illæ actiones non sint effectiuæ sacramenti; sed solum administrationes: idcirco cẽsentur solum moraliter vna actio, & ratione intentionis etiam, & per 320 consequens solum vnũ peccatũ, cum verè possit dicere pluribus administraui Sacramẽtũ eucharistiæ, quod non potest dicere si pluribus ministrauit pœnitẽtiæ Sacramentum, cum illæ actiones non sint simplices administrationes Sacramẽti pœnitentiæ, sed effectiuæ Sacramenti ipsum administrando, & causando, vt instrumentũ gratiam sanctificantẽ in ipsis recipiẽtibus cũ debita dispositione, itaut tot sint Sacramẽta, quot effectiones. quare tot peccata mortalia committit Cõfessarius, quot Sacramẽta in peccato mortali administrat.

319 Secundo ad confirmationem respondetur negando suppositũ antecedentis: nam vt bene notat Vidal tra. de ministro Sacrament. inquisit. vnica nu. 98. in Eucharistiæ Sacramento, duo reperiuntur, nempe consecratio, & vsus, & ita duplex debet etiam esse ministri actio, vna consecrationis, pro qua necessario debet esse Sacerdos, & altera distributionis: potest tamen idẽ minister Sacerdos hæc duo præstare, & efficere: vel simul, vel disparatè, vt de se cõstat. Cũ igitur distributio Sacramenti Eucharistiæ sit quid omninò essentialiter distinctum ab ipsa consecratione sequitur, quod distribuẽs illud in peccato mortali, non peccet morteliter; quia per dispensationẽ minister nõ conficit Sacramentũ, neque iustificat, aut dat gratiam, sed tãtum applicat, velut actiua passiuis; dum physicè applicat Sacramentum subiecto, in quo ipsum Sacramentum operetur gratiã: in quo casu distribuens non est Dei minister ad iustificationem proximè causandã, sicut euenit in administratione Sacramenti pœnitentiæ.

Sed dices cũ Castrop. par. 1. tr. 18. disp. vnica p. 5. n. 12. distributio Sacramenti Christum continentis est actio religiosissima: er-

ergo requirit in diſtribuente puritatem, præcipue cum hæc diſtributio nomine Chriſti fiat à Sacerdote, & à Diacono in neceſſitate, qui ſunt miniſtri ad hoc munus deputati. Reſpondetur conceſſo antecedenti diſtinguẽdo conſequens; requirit in diſtribuente tantam puritatem, quanta requiritur in adminiſtrante pœnitentiæ Sacramentum, nego conſequentiam; requirit aliqualem puritatem concedo conſequentiam quia cum actio diſtributiua Sacramenti Euchariſtiæ, non ſit tam ſancta ſicut actio cõficiendi Sacramentum pœnitentiæ, pro qua Miniſter eſt cauſa miniſterialis illius gratiæ, quæ per pœnitentiæ Sacramentum confertur, ſequitur quod nõ ſit, tam grauis irreuerentia erga Sacramentum Euchariſtiæ per diſpenſationem, ac eſt erga Sacramentum pœnitentiæ per adminiſtrationẽ in peccato mortali.

321 Ex quo patet ſolutio ad argumentum, negandum enim eſt antecedens: nam Sacerdos, qui in peccato mortali pluribus Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrat tot committit peccata mortalia: quot conficit ſacramenta ob rationem aſſignatam pro prima ſententia cum in tali caſu ſe gerat vt Dei miniſter, & concurrat inſtrumentaliter ad cauſandam gratiam ſanctificantem in illis ſubiectis, vt ſupra diximus.

322 Qui autem voluerit ſecundam ſubſtinere ſententiam poteſt ad argumentum cum Eminentiſſimo Cardinali Lugo Reſpondere conceſſo Antecedenti; negando conſequentiam, & aſſignare diſparitatem cum ipſo Lugo, nempe non eſſe eamdem Rationem in vtroque caſu: quia actio illa audiendi confeſſiones in tribunali ſacramentali maiorem recipit vnitatem moralem, quam illæ plures copulæ carnales habitæ cum eadem muliere in vna nocte: nam ex eo quod vna copula non ordinetur ad aliam, ſed ſingulæ ſint actiones completæ, & totales: non vniuntur in vno actu, & actione morali ad faciẽdum vnum peccatum: ex ſola temporis propinquitate. At vero actus audiendi plures confeſſiones, accipit vnitatem in primis ex fine, & intentione agentis, qui ſedet in eo loco ad audiendas confeſſiones ſubditorum: deindè, & præcipuè ex materia ipſa, quia omnes illę actiones continent irreuerentiam contra eumdem Deum, & Chriſtum, cuius ſacramenta irreuerenter tractantur, & ideo non ſunt in rigore irreuerentiæ contra ius aliquod reſidens in ipſis ſacramentis, ſed contra ius reſidens in Auctore ſacramentorum.

323 Ad tertium reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam; quia plura illa periuria, aut iuramenta, vel mendacia, ſunt vnius continuati ſermonis partes, & ſermo in vltimo mendacio, vel periurio, aut iuramento falſo perficitur, & ideo vnũ eſt numero peccatum moraliter loquendo. At vero plures illæ copulæ ſingulæ ſunt actiones completæ quarum vna ab alia non dependet vt ſupra diximus: & ideo conſtituunt plura peccata numero diſtincta neceſſario in confeſſione explicanda.

RESOLVTIO XVII.

Vtrum ille, qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfaciat in confeſſione dicẽs ſe cõmiſiſſe peccatum graue contra caſtitatẽ cum ſoluta.

524 PArtem affirmatiuam ſuſtinuerunt aliqui Doctores, quos citat Aloyſius Turrianus de pœnitent. quæſt. 9. art. 2. diſp. 29. argument. quinto, quam ipſe probabilem iudicat, quatenus aſſerit contrariam eſſe probabiliorem, hanc etiam ſententiam appellari probabilem à D. Ioanne Caramuel in Theolog. fundamẽtali fundament. 25. affirmat Amadeus Guimenius in ſuo opuſculo aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones, ſed quamuis hanc opinionem probabilem appellet Caramuel in 1. editione tamẽ in 2. editione Lugdnni anno 1657. contrarium tenet, quod conſtat: tum quia dicto fundamento 25. num. 723. loquendo de hac opinione ſic ait: progreditur ad materiam fornicationis; & vt conſequentię filum teneant, ſic aiunt peccatũ grauiter inceptum, & completum non differt ſpecie, ſed circumſtantia aggrauante: ergo ille, qui cognouit fœminam ſatisfaciet dicendo cum fœmina peccaui mortaliter, aut etiam fornicationem incœpi; vt iudicium ferre de hoc diſcurſu poſſimus, proderit audire Dianã qui part. 3. tract. 4. reſol. 88. interrogat, an qui commiſit fornicationem, ſatisfaciat dicendo, commiſi graue peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta? & reſpondet hanc quæſtionem reperiri apud neminem, niſi nouiſsimè apud ſolum Turrianum, qui lib. de pœnitent. quæſt. 9. art. 2. diſp. 29. dub. 2. ad quintum Argument. obſeruat, recentiores aliquos iudicare probabilẽ eiuſmodi modum confitendi, & eorum ſententiam ad eodem Turriano iudicari probabilẽ; & quid de eorũ doctrina Diana iudicat? An ſit vere probabilis, ait, alijs iudicandum relinquo: communis enim vſus fidelium eſt in contrarium, & num. 723. ſequitur. hic ego exiſtimo eum, qui fornicationem commiſit, non explicare ſpeciem ſui peccati, ſi dicat cum fœmina peccaui mortaliter, neq; etiam ſi dicat. Commiſi graue peccatum in materia caſtitatis, cum ſoluta, quia præter fornicationem, etiam aliæ ſunt peccatorum ſpecies contra caſtitatẽ, quæ poſſunt cũ ſoluta cõmitti. ergo minimũ deberet dicere commiſi graue peccatũ in materia fornicationis cum ſoluta. hæc Caramuel tum etiam: quia idem Don Ioannes Caramuel fundament. 57. num. 1705. loquendo iterum de hac opinione, inquit, ſanè ſẽtentiam, quam Turrianus minus probabilem dixerat Cardinalis Lugo diſp. 16. num. 235. opponi omnium Doctorũ communi cõſenſu affirmat, et Leander 1. par. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 5. certiſſimam, ait, eſſe communem opinionem: & immerito Dianam 3. part. tract. 4. reſol. 88. non audire reprobare contrariam hæc veritas extendi poteſt etiam ad homicidium, & cætera. in hanc ſententiã inclinare videntur Sotus in 4. diſt. 12. qnæſt. 1. art. 7. Salas 1. 2. tract. 7. diſp. 6. ſect. 8. n. 6. Ioãnes Sanchez in ſelectis diſp. 22. num. 13. verſus è contra, quos citat, & ſequitur Angelus Maria Verricellus in quæſtionibus moral. & legalib. tract. 4. quæſt. 1. n. 11. quatenus aſſerũt, quod ſi quis ex propoſito proprijs manibus procurauit pollutionem, ſi hoc fateatur ſufficit, neque tenetur explicare; deinde ſecutam pollutionem, & emiſſum ſemen: quia illa pollutio ſecuta, inquiunt, nõ eſt peccatum, cum non ſit actus imperatus à voluntate, ſed eſt effectus peccati.

Fun-

325 Fundamentum huius ſententiæ eſt; quia circumſtãtiæ aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem, non ſunt neceſſario in confeſſione explicandæ; atqui tactus impudici cum ſoluta non diſtinguntur ſpecie à copula habita cum eadem ſoluta: ergo ille qui cum ſoluta copulam habuit ſatisfaciet ſi in confeſſione dicat commiſi cum ſoluta peccatum graue contra caſtitatem non explicando copulam, probatur minor; quia, tam tactus impudici quam copula cum ſoluta militãt contra eamdem virtutem cum pertineant ad ſimplicem fornicationem, ſicut tactus impudici cum coniugata pertinent ad adulterium, & cum conſanguinea ad inceſtum; ergo ſunt eiuſdem ſpeciei cum ipſa copula. patet conſequentia; quia ſi tactus different ſpecie à copula non ſatisfaceret pœnitens confitendo copulam, ſed deberet explicare etiam tactus antecedentes, & conſequentes, alioquin non explicaſſet totam ſpeciem illius peccati.

326 Dicendum tamen eſt cum cõmuni Doctorum ſententia illum qui cum ſoluta copulam habuit debere in confeſſione copulam explicare ita Eminẽtiſſimus Cardinalis Lugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 5. §. 1. num. 237. vſque ad 242. D. Ioannes Caramuel locis ſuperius citatis Leand. à Sanctiſſimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 5. D. Carolus Mallettus in auro Theologiæ moralis tom. 2. malleatione 34. blactea 5. quæ ſententia ad fugiẽdum fundamentum ſentẽtiæ oppoſitæ probatur à Cardinali Lugo, & à Leãdr. ex ipſo ex eo quod iudicant copulam addere malitiam ſpecificam, ſupra malitiam ſimplicis tactus libidinoſi, puriſis ſiſtat in mero tactu abſque copula: ex quo inferunt copulam neceſſario explicari debere. ad maiorem autem explicationem huius doctrinæ. Supponit Cardinalis Lugo num. 242. malitiam tactus poſſe dupliciter conſiderari: primo prout eſt delectatio ex cõtractatione illicita, & turpi alicuius perſonæ. Secundo prout eſt delectatio ſiſtens in illo tactu, & nõ progrediendo ad copulam carnalẽ quo ſuppoſito affirmat, quod ſi tactus impudici conſiderentur in prima acceptione non diſtinguntur ſpecie à carnali copula cum habeant, ſeu in illis reperiatur eadem malitia, quæ reperitur in ipſa copula ad quam ex natura ſua ordinantur, vtpote diſpoſitiones proximæ conducentes ad copulam, quare explicata copula ſatis explicati manẽt tactus impudici ad illam antecedenter ordinati cum non conſtituant peccatum diſtinctum ab ipſa copula habita. Si vero tactus impudici conſiderentur poſteriori modo, inquit, quod habent malitiam ſpecie, quaſi negatiua diſtinctam ab ipſa copula, quatenus non habent malitiam copulæ.

327 Verum enim vero (ſalua pace tanti viri) hæc doctrina videtur gratis excogitata. nam ponamus Petrum habuiſſe tactus impudicos, & inhoneſtos cum aliqua muliere ſoluta abſque intentione habendi copulam cum ipſa, iſte certè peccauit mortaliter, vel ratione periculi proximi incidendi in copulam ratione cuius opponuntur virtuti caſtitatis, vel quia ex ſe ordinantur, & diſponunt ad copulam, & poſtea temporis interuallo tranſacto habuit idem Petrus nouos tactus turpes, & ſimul carnalem copulam cum eadem

dem ſoluta, atqui hæc duo peccata pertinent ad ſpeciem ſimplicis fornicationis cum non ſit aſſignabilis alia fornicationis ſpecies ad quam poſſint pertinere: ergo tactus impudici in quacũque acceptione conſiderentur non diſtinguntur ſpecie à copula carnali.

328 Melius autem probatur hæc sẽtẽtia ratione deſumpta ex doctrina Caramuel vbi ſupra, quæ poteſt ad hanc formam reduci, quilibet pœnitens tenetur in confeſſione explicare ſua peccata mortalia ſecundum eorum ſpecies, vt docet Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. his verbis: conſtat enim Sacerdotes iudiciũ hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam habẽt in confeſsione recenſeri. etiam ſi occultiſsima illa ſint. atqui ille qui cum muliere ſoluta copulã carnalem habuit non explicat ſpeciem ſui peccati ſi in confeſſione dicat commiſi graue peccatum cum ſoluta in materia caſtitatis: ergo tenetur neceſſario copulam habitam in confeſſione explicare probatur minor: quia præter fornicationem, etiam aliæ ſunt peccatorũ ſpecies contra caſtitatem, quæ poſſunt cum ſoluta committi, vt de ſe notum eſt: ergo non ſatis explicat ſpeciem ſui peccati, ille qui copulam carnalem habuit cũ ſoluta dicẽdo in confeſſione cõmiſi graue peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta.

329 Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur omittendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam: nam vt ſupra diximus non ideo copula eſt in cõfeſſione explicanda, quia copula addat malitiam ſpecificã ſupra malitiam tactus impudici, ſed quia ille modus confitendi, ſcilicet commiſi peccatum graue in materia caſtitatis cum ſoluta, non eſt ſufficiens non explicata copula ad declarandam ſpeciem illius peccati cum poſſit quis cõmittere multa peccata ſpecie diuerſa cum ſoluta præter ſimplicẽ fornicationem.

330 Aduerto tamen quod quando aliquis habuit cum ſoluta tactus impudicos, abſque intentione habendi copulam cum ipſa, & poſtea in alia diſtincta occaſione habuit cũ eadem ſoluta alios tactus impudicos, & ſimul carnalem copulam tenetur in confeſſione explicare, tactus illos impudicos ſimplices, primo habitos, & ſimul copulam poſterius habitam tactibus ipſis non explicatis antecedentibus prædictam copulam. Ratio autem cur primi tactus impudici ſimplices debentur explicari in confeſſione non eſt, quia addant malitiam ſpecificam diſtinctam à malitia copulæ; ſed quia conſtituũt mortale peccatum numero diſtinctũ à peccato copulæ, licèt eiuſdem ſpeciei, cum tam tactus impudici, quam copula cum ſoluta pertineant ad ſpeciem ſimplicis fornicationis, vt ſupra dixi. tactus autem, qui antecedũt copulam, & ad eam ordinatur, ideo non ſunt neceſſario explicandi in confeſſione; quia non cenſentur plura peccata, ſed vnũ & manifeſtato actu principaliori cenſentur ſatis in ipſo actu principali declarati prædicti tactus impudici antecedentes ad copulam.

RE-

RESOLVTIO XVIII.

Vtrum coniugatus, qui cum cõiugata copulam carnalem habuit teneatur explicare in cõfeſſione ſtatum complicis, vel an ſatisfaciat dicendo in confeſſione ſe commiſiſſe adulterium.

331 PRima ſententia affirmat non teneri coniugatum, qui cum coniugata copulam habuit explicare in confeſſione ſtatum cõplicis, ſed ſufficere, ſi in confeſsione dicat commiſi adulterium. ita Sà in prima editione verb. cõfeſsio 30. cuius verba refert Leãder à Sanctiſsimo Sacramẽto pa. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 54.

332 Probatur primo hæc ſententia; quia circumſtantiæ non mutantes peccati ſpeciem, non ſunt neceſſario in confeſsione explicandæ, vt multi, & grauiſsimi Doctores affirmant, quos ſupra citauimus; atqui ille, qui cum vſorata copulam habuit, & ipſe eſt coniugatus vnum tantum adulteri peccatum cõmiſit: ergo non tenetur in confeſsione explicare ſtatum mulieris coniugatę cum hæc circumſtantia ſolum aggrauet peccatum intra eamdẽ adulterij ſpeciem. Probatur minor, quia idem numero actus nõ poteſt habere plures malitias ſolo numero diſtinctas, vt nos ſupra probauimus: ergo coniugatus, qui cum coniugata copulam habuit vnum ſolum peccatum adulterij commiſit. ergo ſatisfacit integritati confeſsionis dicendo commiſi adulterium.

333 Secundo probatur; quia ille, qui vnica actione plures lædit nõ tenetur in confeſſione explicare numerum ſubiectorum, vt docent Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitentia diſp. 16. ſect. 3. num. 139. Tamburinus opuſculo de confeſs. lib. 2. cap. 1. §. 8. num. 51. & §. 9. num. 62. 63. & 64. Leand. à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 20. & 21. Ioãnes Pontius in curſu Theologico diſp. 45. num. 53. Martinus de San Ioſeph. in monit. Confeſs. tom. 1. lib. 1. tract. 11. de pœnit. num. 4. Marcus Serra 2.2. tom. 3. quæſt. 76. art. 3. §. ſi quæras: prope finem; ergo coniugatus, qui cum coniugata copulam carnalem habuit vnum tantum adulterij peccatum commiſit: ergo non tenebitur in confeſſione explicare ſtatum mulieris coniugatæ, ſed ſufficienter confitebitur dicendo commiſi adulterium, vtraque conſequentia manifeſtè ſequitur ex antecedenti, vt bene notat Martinus de San Ioſeph vbi ſupra num. 10. per hæc verba, no peccat mas de vn peccado numero el caſado que adultera con muger caſada, ni el Religioſo que peco con monja: porque peccar con perſona del meſmo eſtado aggraua dẽtro de la miſma eſpecie.

334 Secũda ſentẽtia affirmat cõiugatum, qui cum coniugata copulam carnalem habuit teneri in confeſſione explicare mulierẽ eſſe coniugatam, nec ſufficere ſi in confeſſione dicat commiſi adulterium, ita Ludouicus Lopez in inſtruct. conſcientiæ par. 1. cap. 24. §. cæterum. Rodriqu. tom. 1. ſummæ edit. 2. cap. 53. num. 5. Nauarr. in ſumma latina cap. 6. num. 4. Sanchez lib. 9. de debito coniugali diſp. 15. nu. 6. Vaſquez 1. 2. quæſt. 27. artic. 6. diſp. 98. num. 9. Leſſius de iuſtit. lib. 4. cap. 3. Fagundez præcep. 2. lib. 4 cap. 3. num. 18. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 164. & par.

11.

11. tract. 3. resol. 3. Lugo disput. 16. sect. 4. num. 140. & sect. 5. nu. 258. Angelus Maria Verricellus. in quæst. moral. & legalibus tract. 8. quæst. 17. §. ad 3. Mag. Vincentius Candidus tom. 2. disquisit. 24. art. 23. dub. 25. & 30. Leand. a Sanct. Sacramento par. 1. tract. 5. disp. 8. §. 3. quæst. 54. D. Carolus Mallettus in aureo Theolog. moral. tom. 2. malleatione 35. bractea 1. & alij plures apud citatos Doctores.

335 Hæc sententia nõ eodem modo ab omnibus doctoribus citatis probetur, aliqui enim ex illis, vt Lopez, Candidus, Mallettus, & alij qui in eodem actu plures malitias morales solo numero distinctas concedunt, sic hanc sententiam probant: coniugatus, qui cum coniugata carnalem copulam habuit commisit duo adulteria; atqui pœnitẽs non solum tenetur explicare in confessione speciem sui peccati, sed etiam numerum peccatorũ intra eamdem speciem, ergo cõiugatus habens carnalem copulam cum muliere coniugata tenetur non solum explicare in confessione se esse coniugatum, sed etiam mulierẽ cum qua peccauit esse coniugatam. Probatur maior: quia prædictus coniugatus carnaliter peccans cum muliere coniugata, per vnum actũ iniustitiam, & iniuriam infert, tũ suę propriæ vxori, cui fidem cõiugalem, & iustitiam non seruat; tum marito illius mulieris coniugatæ, quam carnaliter cognoscit propter cooperationem qua cooperatur cum ipsa, vt marito fidem frangat: ergo committit duo adulteria numero distincta, necessario in confessione declaranda.

336 Sed hæc ratio est omnino falsa supponit enim falso, quod ex so-

la pluralitate numerica obiectorum multiplicentur plures malitiæ numero tantum distinctæ in eodem actu. quare respondetur negando maiorem, & ad eius probationem concesso antecedenti, neganda est cõsequentia: nam vt supra diximus, qui vnico actu plures lędit, non committit plura peccata mortalia eiusdem speciei, sed vnum tantum peccatum, tam physicè, quam moraliter, quia plura numero solum distincta accidentia non possunt esse simul in eodem subiecto, vt supra probauimus agendo de illo, qui vnico ictu, & impulsu decem homines occidit.

337 Propter hanc rationem Eminẽtissimus Cardinalis Lugo, quẽ sequuntur Verricellus, & Leand. locis superius citatis, aliter hanc sententiam probat, scilicet ideo esse necessariũ vtrasque circumstantias fateri, quia illæ duæ malitiæ, quę reperiuntur in illo vnico actu fornicationis coniugati cum coniugata differunt non solum numero, sed specie: ergo debent in confessione explicari. Probatur antecedens: nam diuersa in specie obligatio est, qua adulter tenetur ad non violandum suum matrimonium, & qua tenetur ad non procurandum, quod adultera violet matrimonium suum, diuersa enim virtus esse videtur, quæ inclinat hunc coniugem ad seruandum suum matrimonium, ab ea, quæ inclinat ad seruãda aliena matrimonia, sicut diuersa virtus est, quæ me inclinat ad seruandum ieiunium meum, ab illa quæ inclinat ad non violandum ieiunium, quod alij debent; illa enim prior est virtus temperantiæ propriè, hæc vero posterior non est propriè temperantię, sed reductiuè: eadem ratione habens votum ca-

caſtitatis, ſi peccet cum habente ſimiliter votum caſtitatis debet explicare in confeſſione votum vtriuſque: quia alia ſpecies malitiæ contrahitur, ex violatione proprij voti, alia verò ex cooperatione ad violationẽ voti alieni, ad cuius obſeruationem ego nõ teneor ex voto, vt conſtat: ergo ſimpliciter diuerſa obligatio eſt nõ violandi proprium matrimonium, & non cooperandi ad hoc, vt alius violet ſuum.

338 Sed hæc etiã ratio, vt ex Soria & Pontio n. 71. notat Diana dicta part. 11. tract. 3. reſol. 3. ſupponit falſum dictum peccatũ adulterij includere plures malitias ſpecie diuerſas cum eadem ſpecie malitia ſit in hoc, quod quis furetur, aut quod concurrat cum alio ad furandum: ergo ſimiliter eadem ſpecie malitia eſt, quod coniugatus adulterium committat, & quod concurrat cum coniugata ad adulterium, ſicut in eadem ſpecie peccati eſt, quod quis furetur, & quod cum alio concurrat ad furandum.

339 Alio modo poteſt hęc ſententia probari ex doctrina tradita à D. Ioanne Caramuel in Theolog. fundament. fund. 29. §. primo quia licet duo accidentia intrinſeca dicantur non ineſſe eidem ſubiecto phyſico, poteſt adhuc dici duo accidentia extrinſeca eidem ſubiecto phyſico, poſſe competere: ergo ſi dixerimus moralitates eſſe accidẽtia extrinſeca, adhuc poſſent duæ moralitates ſolo numero diſtinctę competere eidem actui: ergo cum cõiugatus, qui cum coniugata rem habuit committat dupplicatum adulterium cum per illam vnicã phyſicam actionem fornicationis iniuriam inferat duabus perſonis, nempè ſuæ ſponſæ, & marito complicis in ſuo peccato, licet actus ſi vnus phiſicè erunt in eo duæ malitiæ morales neceſſario in confeſſione explicandæ, vt potè conſtituentes duo peccata mortalia in genere moris.

340 Secundo: nam etiam ſi duo accidentia intrinſeca abſoluta non competant eidem ſubiecto phyſico, poteſt adhuc dici duo accidentia phyſica relatiua, eidẽ phyſico ſubiecto cõpetere: quid enim vetat Petrum habere quatuor filios numero diſtinctos, & conſequenter quatuor diſtinctas numero paternitates: ergo ſi dicamus moralitates eſſe formas quaſdam relatiuas, adhuc poterunt plures moralitates ſolo numero diſtinctę in eodem phyſico ſubiecto reperiri: ergo poſſumus dicere, quod in illo vnico actu adulterij coniugati cum cõiugata ſunt duæ malitiæ relatiuæ numero diſtinctæ neceſſario in confeſſione explicandæ,

341 Tertio: quia eſto duo phyſica accidentia diſtincta puro numero (ſiue ſint intrinſeca, ſiue extrinſeca: ſiue ſint abſoluta, ſiue relatiua) non poſſint in eodem phyſico ſubiecto reperiri, nihilominus debemus dicere, quod licet ille actus fornicationis cõiugati cũ cõiugata ſit vnus ſimplex actus phyſicè, eſt tamen moraliter duplex, ſicut actus, quo quis vnico ictu, & impulſu quatuor homines occidit, eſt vnus phyſicè, & moraliter quadruplex: ergo per tale adulteriũ dictus coniugatus committit duo peccata mortalia in genere moris, ſicut ille, qui vnico impulſu quatuor homines occidit committit per illum actum quatuor mortalia peccata ineſſe morali, licèt non ineſſe phyſico, qua ratione tenetur numerum occiſorum in confeſſione explicare.

342 Sed iſtæ rationes non conuin-

cunt; non prima; quia moralitas actus humani non eſt ens rationis, aut denominatio extrinſeca, ſeu verum ens reale, vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 1. & malitia moralis actus humani, licèt ſit in obiecto ipſius actus fundamentaliter, eſt tamen formaliter in ipſo actu cum eſſe morale actuum humanorum cõſiſtat in commenſuratione ad regulam rationis, nempe bonitas moralis in conuenientia, vel cõformitate ad dictam rationis regulam: malitia vero moralis indiſconuenientia, vel non conformitate ad regulam rationis. quod colligitur ex doctrina D. Thomæ dicta quæſt. 18. art. 5. in corpore dicentis: in actibus autẽ bonum, & malum dicitur per comparationem ad rationẽ, quia vt Dionyſius dicit 4. de Diuinis nominibus: bonum hominis eſt ſecundum rationem eſſe; malum autem, quod eſt præter rationẽ; & ſic moralitas actus humani nõ poteſt eſſe accidens extrinſecũ illius.

343 Nec ſecũda Caramuelis ratio aliquid conuincit: quia commẽſuratio ad regulam rationis; vel non commenſuratio, aut diſconuenientia addictam rationis regulam, in quibus bonitas, aut malitia moralis actus humani cõſiſtit, vt diximus, relatio quædã tranſcẽdentalis eſt ſimilis, ei qua actus ſua obiecta reſpiciunt, quæ & realis eſt, & extra genus abſoluti non eſt, & eſto moralitates actuum humanorum eſſent formæ relatiuæ prædicamẽtales, nõ ex hoc ſequitur poſſe plures moralitates ſolo numero diſtinctæ in eodẽ phyſico ſubiecto, vt intendit Caramuel: cum tutior ſit opinio affirmans per eamdẽ numero paternitatem patrẽ referri ad plures filios, vt ex logica, & methaphyſica ſuppono.

344 Tertia autem ratio falſo ſupponit coniugatum, qui cùm cõiugata copulam habuit, per talẽ actum committere duo peccata mortalia numero diſtincta in genere moris, ſicut, & cum, qui vnico ictu, & impulſu quatuor occidit homines, quatuor committere peccata ineſſe morali, vt ſupra diximus, licèt ex alio capite teneatur numerum occiſorũ in confeſſione declarare, ex eo ſcilicet, quod licet quaſi actiue ſit vna occiſio, quaſi paſſiue tamen quatuor ſunt occiſiones.

345 Dicendum igitur eſt, quod licet coniugatus, qui cum coniugata copulam carnalem habuit, non committat per talem actũ, niſi vnum peccatum mortale, tam ineſſe phyſico, quam ineſſe morali: nihilhominus tenetur in confeſſione declarare ſtatum ſuum, & ſtatum ſui complicis. Cuius ratio eadẽ eſt cũ ea, quã ſupra diximus de eo, qui vnica actione decẽ homines occidit, nẽpè quia licet illa fornicatio ſit quaſi actiuè vna tantum iniuria etiã in genere moris, tamẽ quaſi paſſiue eſt duplex, quatenus duobus adulterijs numero diſtinctis æquiualet, & duobus iniuriam infert, quæ iniuriæ fuerunt ab illo volitæ formaliter, & expreſſe.

346 Ad primum fundamentũ primæ ſententiæ reſpondetur, diſtinguendo maiorem, circumſtãſtantiæ aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem, non ſunt neceſſario in confeſſione explicandæ, ſi aggrauent peccatum multiplicando rationem peccati nego maiorem, ſi non aggrauent peccatum multiplicando rationem peccati, ſed multiplicando malitiam aggrauent circumſtantiam peccati; concedo ma-

maiorem : & ceſſa minori nego conſequentiam: nam illud quaſi duplex adulterium ob iniuriam factam duabus perſonis dicit circũſtantiam multiplicantẽ rationem peccati intra eamdem adulterij ſpeciem propter rationem dictam numero præcedẽti.

347 Ad ſecundum reſpõdetur negando antecedens : nam ille, qui vnico actu plures lædit, ſiue plures occidendo, ſiue plures male dicendo licet ſolum vnum peccatum committat etiam in genere moris, quia tamen multis numero diſtinctis æquiualet aperiendum eſt in confeſſione; quot homines occiderit, aut quot homines male dixerit, nam quamuis quaſi actiuè ſit vna occiſio, & vna maledictio, & iniuria quaſi paſſiuè tamen tot ſunt quot homines occiſi, aut maledicti illæ, que volitæ formaliter, & expreſsè, vt ſupra diximus.

RESOLVTIO XIX.

Vtrum coniugatus, qui morosè delectatur circa ſolutam teneatur circumſtantiam matrimonij in cõfeſſione explicare.

348 NEgatiuam ſententiam ſuſtinent Gaſpar Hurtadus de peccatis diſp. 4. difficul. 10. Ioannes Angelus Boſſius tom. 2. part. 3. de conſcientia ſcrupuloſa titulo primo §. 59. num. 2185. Rodericus de Arriaga 1. 2. diſput. 47. ſect. 4. num. 28. & probabilem iudicãt Caſtropalaus par. 1. trac. 2. diſput. 2. punt. 10. §. 4. num. 4. Quiedus in 1. 2. tract. 6. controuerſ. 4. punt. 7. num. 62. Diana par. 3. tract. 6. reſol. 73. & part. 5. tract. 13. reſolut. 99. & part. 9. tract. 6. reſolut. 4. & eam tenent quidam moderni apud Sãch. lib. 9. de matrimonio diſp. 46. num. 18. fundamentum huius ſententiæ eſt; quia coniugatus qui morosè delectatur cum ſoluta poteſt intellectu pręſcindere, & ſe ipſum cõſiderare quaſi ſolutum; atqui in tali euentu delectatio coniugati iſtius cum non ſua habebit malitiam contra caſtitatẽ, & non contra iuſtitiam: ergo circumſtantia coniugij quatenus ſe tenet ex parte delectantis non tribuit delectationi malitiã neceſſario in confeſſione explicandam, probatur minor, quia cõiugatus per matrimonium non obligatur ab his delectationibus abſtinere, cum hę delectationes ſint ignotæ conſorti, cui ſubinde non afficiunt iniuriam : nec priuant conſortem copula ſibi debita; ergo non ſunt contra iuſtitiam, ſed ſolum contra caſtitatem : ergo coniugatus habens prædictas delectationes non tenetur in confeſſione aperire ſe eſſe coniugatum.

349 Dicendum tamen eſt coniugatum, qui cum ſoluta delectationem carnalem habuit teneri in confeſſione explicare circumſtantiam ſtatus. cum talis morosa delectatio includat circumſtantiam ſpecialem adulterij. ita Bonacina quæſt. 8. de matrim. pũt. 8. num. 19. Candidus tom. 2. diſquiſit. moralium diſquiſ. 24. art. 23. dub. 23. Diana dict. part. 3. tract. 6. reſol. 73. quamuis part. 5. & 9. reſol. ſuperius citatis opoſitam ſententiam fauere videatur. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 6. num. 387. Alphonſus de Leon de officio Confeſſarij part. 1. recoll. 13. num. 54. Leandr. à Sanctiſſimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 3. quæſt. 24. D. Carolus Mallettus in aureo Theolog. moralis tom. 2. malleatione 39. bractea 11. Candidus tom.

UNIVERSITARIA GRANADA

2. disquisit. 24. art. 23. dub. 13. & alij.

350 Quæ sententia probatur primo ad Carolo Mallet. quia coniuges non solum corpus, sed etiã affectus internos se mutuo obligarunt per matrimonium: ergo coniugatus, qui in aliam à sua cõiuge se inclinat per morosam delectationem carnalem, illi iniuriam facit, & consequenter tenebitur circumstantiam adulterij in confessione explicare. Sed hæc ratio vt optimè notant Castropalaus Arriaga, & Bossius supra relatis locis non videtur cõuincere: eo quod minimè verũ sit coniuges sicut per fidem matrimonialem obligant sibi inuicẽ corpus ad vsum copulæ, ita etiã omnino obligare mentem, & affectum ad abstinendum à quacũque delectatione de copula alterius à sua; cuius rationem redẽt: quia illæ sunt per se incognitæ alteri coniugi, ac proinde sunt tantum contra temperantiam, non contra iustitiam; quia non sunt alteri iniuriosæ, neque propter tales delectationes priuatur copula sibi debita.

351 Secundo probatur; astrictus voto castitatis si delectetur morosè habens pro obiecto aliquam mulierem solutam tenetur in confessione circumstantiam voti castitatis explicare, vt docent Vasquez 1. 2. disp. 112. cap. 2. Reginaldus lib. 22. num. 14. Coninch. de Sacrament. disput. 34. num. 109. Castropalaus part. 1. tract. 2. disp. 2. punt. 10. §. 4. nu. 4. Diana locis superius citatis Arriaga 1. 2. disp. 47. num. 28. Hurtado de peccatis disp. 4. difficul. 10. Bossius tom. 2. part. 3. titul. 1. §. 49. num. 2184. ergo coniugatus qui delectatur morose de copula cogitata cum soluta tenetur in confessione explicare se esse coniugatum. patet consequentia à paritate rationis. sed neque hæc ratio conuincit: nam concesso antecedenti, neganda est consequentia, & ratio disparitatis est: quia qui habens votũ castitatis delectatur de copula fornicaria, vel alio actu Venereo, non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra votum, seu religionem, quia votũ absolutè emissum non solum cõprehẽdit opus Venereum externum, sed etiam omnem delectationem contra castitatem, cum de hoc emissum sit absolutè, & sine restrictione quod in coniugatis non est tam certum vt numero præcedenti diximus, & ita in vtroque casu non currit eadem ratio.

352 Aduertẽdum est tamen est cũ Diana parte 5. tract. 13. resol. 99. & part. 9. tract. 6. resol. 4. in fine, Hurtado, Castropalao, & Bossio vbi supra, quod si quis haberet votum castitatis tantum exterioris, tunc non peccaret contra votum per has delectationes Venereas simplices morosas, & colligitur ex doctoribus alijs supra à legatis num præcedenti, qui loquuntur de habente absolutum votum castitatis.

353 Melius autem hæc sententia probatur ab Eminẽtissimo Cardinali Lugo dicto n. 387. quia malitia delectetionis morosæ efficacis non solum sumitur ex obiecto, sed etiam ex effectu exteriori quem causat in corpore nẽpe ex turpi corporis commotione; atqui siue coniuges se se mutuo obligent ad actus internos, siue non actus quo coniugatus se delectat de copula cum soluta non est merè internus, sed partim internus, partim externus propter turpem corporis commotionẽ quam secum affert: ergo

go ſicut coniux peccat contra fidem matrimonij polluendo ſe; quia interdixit ſibi vſum corporis ſui niſi ad finem matrimonij; ita peccat contra eamdem fidem delectatione tali, quæ ſecum afferat turpem corporis commotionem, & excitationem vehemẽtem ſpirituum, & cætera. patet conſequentia; quia ſicut deſideria alterius fœminæ, licet ſint actus interni ſunt contra fidem coniugij, quia habent pro obiecto actum externum, ſic delectatio illa erit contra eamdem fidẽ licet ſit actus internus, quia affert ſecum effectum externũ ſibi prohibitum niſi ad finem matrimonij. Vide Eminẽtiſſimum Lugo dicta diſp. 16. ſect. 6. §. 4. a nu. 372. vſque ad 383.

Ad fundamentum contrariæ
354 ſententiæ reſpondetur concedẽdo maiorem, & negando minorem quo ad ſecundam eius partem, & ad probationem reſpondeo omittendo antecedẽs, & negando vtramque conſequentiã; quia vt ſupra diximus, ſiue coniuges ſe ſe mutuo obligent ad actus internos, ſiue non; hic actus non eſt merè internus cum dixerimus eius malitiam ſumi ex effectu quem in corpore cauſat, nempe turpem corporis commotionem, & excitationem vehementem ſpirituum, & cætera, qui effectus externus prohibitus eſt coniugato, niſi in ordine ad matrimonium, ſeu fidem eiuſdẽ matrimonij, quare delectatione tali non ſolum peccat contra caſtitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ſiquidem tali actu violat fidem matrimonij, modo ſuperius declaratio-
num præce-
dẽti.

RESOLVTIO XX.

Vtrum voto caſtitatis adſtrictus, ſi alium, vel aliam tactibus polluat, tencatur voti circũſtantiam in confeſſione explicare.

355 PArtem negatiuam ſuſtinuit Llamas in ſum. part. 3. c. 8. §. 16. vt ex eius verbis conſtat, inquit enim loco citato: quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi, vel in ſacris conſtituti, ſi patiens eſt ſæcularis, non tenetur amplius dicere, niſi: paſſus ſum voluntarie pollui tactibus alienis, neque in ſacris cõſtitutus, vel profeſſus amplius tenetur dicere, niſi tãgens impudicè aliũ pollui, & ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare Sum in ſacris, vel profeſſus, aut profeſſa religionem; niſi, illi etiam accidat voluntaria pollutio; vt de ſe liquet; quia ſacra perſona non eſt in tali caſu violata. ita Llamas. Pater Antoninus Diana part. 7. tract. 11. reſol. 26. §. non deſeram hic pro hac ſententia, citat Patrem Magiſtrum Nicolaum Moſcicẽſem ex inclita Dominicanorum ordine, in tyrocinio 5. Artis pœnitentiariæ part. 2. §. de luxuria, vbi, vt dicit Diana ſic aia: nota, quod quando mollities cõmittereretur tactibus religioſi, vel in maioribus ordinibus conſtituti: tunc, ſi qui patitur, ſæcularis eſt, non tenetur amplius dicere, niſi ſic: paſſus ſum voluntariè pollui, tactibus alienis, & vice verſa Deo dicatus, ſatisfaciet dicendo: tangebam alium impudicè vſque ad pollutionem eius, neque tenetur explicare, ſe eſſe Deo dicatum per profeſſionem, niſi, ratione ſcandali, vel niſi etiam ſi illi inter-

teruenerit pollutio, ſiue volũtaria indirectè, videlicet in cauſa (quo caſu ſolus Deo dicatus explicare debebit ſe eſſe talem) ſiue propter mutuu tactuũ, quo caſu etiam ſęcularis, addere debebit, circumſtãtiam complicis: quia ibi perſona ſacra violata eſt, ita Moſcienſis part. 9. tract. 11. reſol. 65. quem part. 9. citat Diana part. 9. & ibidem Doctus Diana, citat pro hac ſententia Patrem Geſualdum Capucinum tom. 1. Theologiæ moralis tract. 27. cap. 10. vbi ſic aſſerit ſequitur, quod quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi, ſiue alterius in ſacris ordinibus conſtituti, ſi patiens eſſet ſæcularis, non tenetur amplius dicere in confeſſione, niſi paſſus ſum voluntarie pollui tactibus alienis; neque Religioſus amplius tenetur dicere, niſi cauſaui tangens impudicè, alium pollui, & ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare ego ſum in ſacris, ſiue Religioſus, niſi etiam ipſi accidat voluntaria pollutio conſumata, & ratio huius eſt, quia perſona ſacra nõ eſt in tali caſu violata contra votum caſtitatis, ita Geſualdus. pro eadem ſententia citat Iacobum de Graffis Benedictinum de caſibus reſeruatis lib. 3. cap. 8. num. 39. & D. Ioannem Caramuelem in reg. Sancti Benedicti diſp. 66. concluſione 5. num. 988. vbi etiam citat Doctum Patrem Thomam Tamburinum in methodo expeditę confeſſionis lib. 2. cap. 7. §. 10. num. 66. vbi ſic ait ſi tu tuis manibus polluas vxoratum, vel Sacerdotẽ, & cętera debes id explicare, quia cooperaris ad Adulterium, vel ſacrilegium iuxta ea quæ dixi cap. 1. §. 17. de ſcandalo num. 100. at ſi te ſuis manibus alius polluat parum refert pro tuo peccato contra caſtitatem, quod ille fuerit vir, vel femina, vel Sacerdos; tunc enim (ſi aliud non additur) ſe habent illæ manus vt merum inſtrumentum: & ſolum adeſt cooperatio cum alterius. te polluentis peccato, vt dictum eſt cap. 1. §. 10. num. 4. ita Tamburinus. concludit igitur eruditus Diana dictam reſolutionem 65. dictæ partis nonæ. Sed hanc sẽtentiam, vt diximus deluit ex Llamas index expurgatorius. Rectè itaque Trullech in decalogum tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. num. 2. ſic ait: hinc fit quando mollities committitur tactibus profeſſi, aut in ſacris cõſtituti eſſe id in confeſſione aperiendum, vt bene exiſtimat Diana tract. de circumſtantijs reſol. 53. cõtra Llamas in ſumma part. 3. cap. 8. §. 16. ita Trullench. & iterum ego vnde (attende amicc lector obſecro te ad amaritudinem verborum Dianæ) cautè legendi ſunt Tamburinus, Geſualdus, Graffis, Moſcicenſis, & Caramuel, & caueant in poſterum Auctores hanc ſententiam in ſuis operibus amplius imprimere hæc Diana.

356 Sed antequam vlterius progrediamur duo ab Eruditiſſimo Diana docere, deſidero, primũ eſt, quot ſint Auctores ſufficientes, vt opinio aliqua cenſeatur probabilis? & ad hoc dubium reſpondit nobis ipſe Diana part. 4. tract. 4. reſol. 30. vnius Doctoris moderni viri prudentis, & in ſcientijs eruditi authoritas ſufficere ad faciendam opinionem probabilem, & tuta conſcientia eligibilem quam ſententiam ſequuntur Molfeſius tract. 8. cap. 9. num. 85. Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 9. num. 7. Valentia 1. 2. diſp. 2. quæſt. 12. punt. 4. quæſtiuncula 4. ad verbo dubium nu.

4.

13. Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 4. dub. 1. num. 4. Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 134. Bassæus in flor. theolog. moral. verb. conscientia num. 8. §. vt opinio difficult. 7. numer. 3. Castropalaus part. 1. tract. 1. disp. 2. nu. 3. Ioannes Sanchez in select. disp. 44. num. 61. quos sequitur Portell. in dub. regular. verbo opinio eligenda. num. 4. licet cum aliqua limitatione. Pasqualigus de opinione probabili decis. 360. D. Marcus Vital. in sua Arca vitali de opinione probabili inquisit. 1. num. 37. D. Carolus Mallettus in aureo Theolog. moralis tom. 1. malleat. 7. bractea 2. Angelus Maria Verricellus de Apostolicis missionibus titulo 6. qu. 113. num. 11. Cur igitur Diana cum sex inueniat Authores pro relata sententia nihilominus eorumdem sententiam damnat?

357 Secundum est. vbi docuerit D. Ioannes Caramuel doctrinam pro qua illum citat? nam si attentè legatur doctissimus Caramuel, toto Cœlo differt à sententia Llamas, & aliorum, vt ipse optimè demonstrat in theolog. fundament. fund. 50. §. 7. num. 1411. per hæc verba Caramuel igitur in Regula Diui Benedicti disp. 66. num. 987. sic iuquit: mulier quæ sine delectatione propria sensuali (nota primo hanc limitationem) & sine periculo assensus in propriam delectationem, (nota hanc secundam) forte abesse non potest, fortè neque ipsa delectatio (nota hanc tertiam) tactibus polluit alium, vel aliam, vt alter, vel altera habeat delectationem peccauit sanè mortaliter: sed si esset monialis, non operaretur contra votum castitatis. hęc est Caramuelis sententia, quam toto Cœlo à sententia aliorum differre putamus. nã sicut male confunderetur, qui dixisset nullum animal rationale est hinnibile, cum dicentibus nullũ animal est hinnibile; sic etiam male confunditur Caramuel, tot limitationes adducens cum loquentibus vniuersaliter, & genericè, sine aliqua limitatione. ita Caramuel, qui mentem suam duobus cõclusionibus declarat.

358 Prima conclusio est. Religiosus qui se ad pollutionem, vel ad lasciuam delectationem, excitat, tangendo alterum, vel tactibus his delectatur; peccat contra promissam castitatem, & ideo in confessione non solum debet explicare statum personæ, quam polluit, sed proprium etiam, quã conclusionem sic probat: quia omnis morosa delectatio est incepta pollutio, seu mollities: ergo in tali casu religiosus debebit dicere: ego sum religiosus, & tamen cum delectatione luxuriosa, ex qua secuta fuit pollutio (aut nõ) tetigi vnum iuuenem sęcularem, quousque incideret (aut non) in pollutionem; nec contra erit tactus non fuisse mutuos: homo enim cum tangit tangitur, & cum ad pollutionem alium excitat eamdem excitatur, & sęcularis debebit dicere, ego passus sũ me tangi à religioso quousque incidi (aut non) in pollutionem. Consequentia formalis est, & antecedens ab omnibus conceditur.

359 Secunda conclusio Caramuelis est. mulier quæ sine delectatione propria sensuali, seu lasciua, & sine periculo, assensus in propriam delectationem; tactibus polluit alium, vt hic habeat delectationem, aut incidat in pollutionem, peccat quidem mortaliter, & si ipsa est religiosa, & alter sæcularis, non violat votũ castitatis. Primam partem huius con-

conclusionis esse de facto possibilem probat, nempe posse, & solere delectationem, & periculum ipsissimum in talibus sordibus abesse: nam si sæpe mulier (vt cognoscunt illi, qui audiunt plures confessiones) in ipso actu venereo mere passiuè se habet, nempe vt lapis. sine delectatione, aut delectationis spe, quod fœminis nimis deditis veneri (quales sunt publicæ meretrices) frequentissimum est: cur earum aliqua non posset non delectationis, cuius pro illo se tempore incapacem cognoscit, sed solius lucri causa, Amasiũ tãgere, & tãgẽdo polluere, & polluendo nõ cõtra suã, sed contra Amasij castitatem peccare? in quo nulla repugnãtiam apparere videtur aliàs si ipsa datur malæ sunt multarum mulierum confessiones.

360 Et si illi obijcias casum istum ita propositum esse omnino impossibilem respondit num. 1314. his verbis sed ais hunc casum prout à nobis propositum esse omnino impossibilem. quid inde? examinetur secundum metaphysicam ideam, quam proposuimus, vt nos dirigat in controuersijs practicis.

361 Secundam vero partem, nempe quod si ipsa mulier est religiosa alium proprijs tactibus polluendo sine delectatione venerea propria, aut periculo assensus in propriam delectationem non violet votum castitatis sic probat Caramuel. ponamus coquum vouisse Deo se ieiunaturum: An ne hoc ille votum violaret, si nihil comederet, & cooperaretur nihilominus, vt Petrus violaret ieiunium? ponamus etiam si Ioannes vouisset se auditurum missam diebus festis, an ne hoc violaret votum si iam audita missa Federicum, aut aliũ quemcumque se duceret, & cogeret ne adiret Ecclesiam? ponamus denique an ne Sacerdos; qui vouisset Deo se nunquam omissurum officium, si fracti voti esset reus; si lecto debitè officio vellet ludere, & cogeret alium Sacerdotem, vt secum, luderet, et ob lusum lectionem horarum intermitteret? non certè: ergo eodem modo philosophari oportet in materia lasciua; si volumus consequentiam seruare.

362 Dicendum nihilominus est eũ qui adstrictus voto castitatis, alium, vel aliam, proprijs tactibus polluit teneri in confessione explicare circumstantiam voti castitatis, aliàs confessio erit nulla, & inualida, ita Magister Candidus rom. 3. disquisit. 2. art. 24. dub. 5. & 6. Diana part. trac. 7. resol. 53. & part. 7. trac. 11. resol. 27. & part. 9. tract. 9. resol. 65. Ouiedus in 1. 2. D. Thomæ trac. 6. controuersia 5. punct. 3. §. 10. num. 70. Trullench in decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. num. 2. Leander à Sanctissimo Sacramento part. 1. trac. 5. disp. 8. §. 2. quæst. 10. & Eminentissimus Cardinalis Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 152. quatenus affirmant, quod qui habet votum castitatis quando ipse, cõsilio, vel auxilio, causa fuit, vt alij tale votum non habentes peccarent, tenetur in confessione explicare voti circumstantiam.

363 Hæc sententia ita probatur à Magistro Candido vbi supra dub. 6. quia insignitus sacris ordinibus, vel professus, aut professa grauem iniuriam irrogant statui sacro, quem profitentur; & indirectè saltem videntur operari contra votum castitatis, quod solemniter emiserunt, proprijs manibus tangendo seculares impudicè vsque ad pollutionem,

ergo

ergo in tali caſu conditionem propriæ perſonæ aperire tenentur in confeſſione. probat conſequentiam; quia hæc circumſtantia, grauiter euidenter aggrauat culpam de qua eſt ſermo; atqui circumſtantiæ notabiliter euidenter aggrauantes peccatū intra eamdem ſpeciem debēt in confeſſione explicari à pœnitentibus: ergo perſona conſtituta in ſacris, aut adſtricta caſtitatis voto, quæ proprijs tactibus cauſauit pollutionem in aliqua perſona ſæculari, tenetur in confeſſione explicare ſui ſtatus circumſtātiam.

364 Sed hæc Candidi ratio non cōuincit, vt optimè notat Caramuel loco ſuperius citato: nam licet verum ſit; quod dicta circumſtantia in tali peccato pollutionis cauſatæ tactibus Religioſi profeſſi, aut Religioſæ profeſſæ ſit notabiliter euidēter aggrauans dictum peccatum (quod gratis Candido cōcedo) nihilominus ex hoc præcisè non ſequitur eſſe neceſſario in confeſsione declaranda dicta circumſtantia; cum circumſtantiæ etiam notabiliter euidenter aggrauātes peccatum intra eamdem ſpeciem nō debeant in confeſſione explicare: ergo ſtando huic communiſſimæ doctrinę non conuincit ratio aſſignata à Magiſtro Candido. Præterea, quia Candidus, tametſi deformitatem admittat, nō tamen vllam contra votum caſtitatis, ſed contra reuerentiam debitam perſonæ religioſæ, quod omnino diuerſum eſt, vt de ſe manifeſtè conſtat.

365 Quare noſtrum aſſertum aliter probo: omnis circumſtantia, quæ extra hic peccatum ad aliā peccati ſpeciem debet in confeſſione explicari; atqui quando religioſus, aut religioſa profeſſa proprijs tactibus impudicis aliquem ſęcularem polluit cōmittit peccatum ſacrilegij, quod ſpecie diſtinguitur à peccato molliciei: ergo tenetur in confeſſione explicare circumſtantiam voti caſtitatis conſequētia eſt formalis, & maior ab omnibus admittitur, minor vero in qua poteſt eſſe difficultas probatur; quia quotieſcumque Religioſus, aut Religioſa profeſſa peccat grauiter cōtra virtutem caſtitatis ſpecificè peccat contra votum quo promiſit caſtitatem ſeruare Deo, atqui Religioſus, aut Religioſa profeſſa, quæ proprijs tactibus impudicis aliquem ſæcularē polluit peccat contra virtutem caſtitatis ſpecificè: ergò tenetur in confeſſione voti circumſtantiam explicare.

366 Secundo probatur aſſertum; quia ille, qui adſtrictus eſt voto caſtitatis tenetur ex vi voti non ſolum non operare contra virtutem caſtitatis in re graui, ſed etiā non ſe exponere in periculo proximo incidendi in moroſam delectationem efficacem contra caſtitatem, aut in periculo aſſenſus in illam, vel in periculo proximo incidendi in voluntariam pollutionem; atqui Religioſus, aut Religioſa profeſſa, quæ habet tactus laſciuos cum aliquo, vel aliqua ſæculari ex quibus actu ſequitur pollutio in dicta perſona ſęculari, ſe exponit manifeſto periculo habendi delectationem moroſā in propria perſona imo, & in periculo grauiſſimo cōſētiēdi in propriam pollutionem: ergo talis religioſus profeſſus, aut Religioſa profeſſa in ſupradicto caſu tenebitur in confeſſione explicare proprij voti circumſtantiam.

367 Ex dictis manifeſtè conſtat ſolutio ad fundamentum D. Ioan-

nis Caramuel pro ſecunda parte ſecundæ concluſionis, in qua ſolum opponitur doctrinæ à nobis ſupradictæ; reſpondetur igitur conceſſo antecedẽti quoad omnes ſuas partes, negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia qui vouit ſe ieiunaturũ, aut auditurum miſſam diebus feſtis, vel non omiſſurum officium diuinum ſufficienter adimplet ſuum votum ieiunando, audiendo ſacrum, & officium diuinum recitando, neque ad amplius tenentur ex vi voti emiſſi; quamuis ex alio capite mortaliter peccet ſi eſt cauſa vt alius frangat ieiuniũ, aut omittat audire ſacrum diebus feſtis, vel impediat alicui Sacerdoti recitationem diuini officij, at ille qui vouit caſtitatem tenetur ex vi voti non operari in materia graui contra virtutem caſtitatis, cõtra quam ſine dubio operatur in re graui, alium; vel aliam tactibus laſciuis polluendo. præterea vouens caſtitatem tenetur ex vi voti, non ſe exponere manifeſto periculo habendi delectationem moroſam grauiter peccaminoſam in materia laſciua, aut incidendi in propriam voluntariã pollutionem, quo periculo manifeſtè ſe exponit impudicè aliũ, vel aliam tangẽdo tactibus laſciuis vſque ad pollutionem: quia homo tangendo tangitur, nec poteſt non laſciuire, qui proprijs tactibus alium prouocat ad laſciuiam.

RESOLVTIO XXI.

Vtrum Sacerdos Græcus vxoratus, ſi aliã à ſua vxore cognoſcat, contrahat ſacrilegij maculam, eaque ſit circumſtantia neceſſario in confeſſione explicanda.

368 AFfirmatiuam ſententiam ſuſtinet Angelus Maria Vericellus tom. de Apoſtolicis miſſionibus titulo 15. miſcellaneo quæſt. 219. num. 9. cuius fundamentum eſt: quia quando lex Eccleſiaſtica ex motiuo virtutis religionis, ſeu reuerentiæ ordinis ſacri, prohibet matrimonium Sacerdoti, tunc ex eodem motiuo virtutis religionis prohibetur etiam copula fornicaria; atqui leges eccleſiaſticæ prohibent Græcis ſacri ordinis inire matrimonium ex motiuo virtutis religionis, ſeu ob reuerentiã ſacri ordinis: ergo copula, ſiue matrimonialis cõiugij contracti poſt ſacros ordines, ſiue copula illicita quæcũque naturalis, vel innatutalis, imo quicumque tactus impudici habent malitiã contra virtutem religionis, ob quam virtutem lex Eccleſiaſtica prohibuit, atque adeo habent ſpeciem ſacrilegij neceſſario in confeſſione explicandam, probatur maior; nã ratio legis, imo, & verba legis matrimonialem, & illicitam copulam omnẽ prohibent; quando autem lex ex motiuo alicuius virtutis prohibet copulam, tunc copula eſt contra eam virtutem, vnde prohibito matrimonio inter cognatos, ex motiuo virtutis pietatis erga cognatos, etiam cenſetur prohibita copula illicita, quæ proinde eſt inceſtuoſa contra virtutem pietatis, minor etiam probatur, quia innumeræ adſunt Eccleſiaſticæ leges, & concilia, quæ Græcis prohibent contrahere matrimonium poſt ſuſceptos ſacros ordines, Clemẽs enim Romanus lib. 6. conſtitut. cap. *17. inquit Epiſcopum, Præsbyterũ, ac Diaconũ, ordinari præcipimus, qui ſint Monagami, ſiue eorum vxores ſuperſtites ſint, ſiue non; poſt*

ordinationem tamen ſi vxores non habent, præcipimus, vt non liceat amplius ducere, aut ſi antea duxerant non alias in matrimonium accipere, & in Concilio Neoceſarienſe 1. *determinatum fuit, quod præsbyter ſi vxorem duxerit, ab ordine ſuo amoueatur*, & in Toletano 1. canone 4. dicitur. *Subdiaconus defuncta vxore, ſi vxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat remoueatur*. Et Martinus Papa relatus in cap. Diaconus 27. diſt. inquit: *Diaconus, qui eligitur, ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, non poſſe in caſtitate permanere, hic nō ordinetur, quod ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimoniū deſiderauerit, alienus ſit à miniſterio, & vacet à Clero*. Ergo lege eccleſiaſtica prohibitum eſt Græcis matrimoniū poſt ſacros ordines ſuſceptos. Ob quā cauſam nunquam in Eccleſia Græca permiſſum fuit inire matrimoniū poſt ſuſceptos ſacros ordines, vt contra Caietanum tom. 1. opuſcul. tract. 27. quæſt. vnica, docēt Couarruuias in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 3. Palacius in 4. diſt. 25. diſp. 2. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 15. num. 2. Bellarminus lib. 1. de clericis cap. 19. Azorius part. 1. lib. 13. cap. 12. quæſt. 3. Vaſquez tom. 3. diſput. 246. cap. 4.

369 His tamen non obſtātibus negatiuam ſentētiam defendit eruditiſſimus Pater Thomas Tamburinus in Decalog. part. 1. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 3. ex ſuppoſitione, quod Sacerdos Græcus in ipſa ordinatione votum caſtitatis etiam coniugalis nō emittat, cuius fundamentum eſt: quia ideo Sacerdos ſacrilegium committit turpibus vacando, quia ſiue explicitè, ſiue implicitè in receptione ſacri ordinis emittit votum caſtitatis, ſeque hoc pacto ſacrum reddit, id quod non eſt ſi voti obligationem ſecludamus, ſed Sacerdos Græcus nullū eiuſmodi votum, vt ſupponimus emittit: ergo Sacerdos Græcus vxoratus, ſi aliā à ſua cognoſcat, non contrahit peccatum ſacrilegij.

370 Pro reſolutione huius difficultatis ſuppono primo; hodie licitè Græcos Sacerdotes vti vxoribus acceptis ante ſacros ordines dum laici erant, ita Syluester verb. matrimonium 8. quæſt. 12. Sotus in 4. diſt. 37. quæſt. vnica, Riccardus art. 1. quæſt. 2. ad ſecundum Paludanus quæſt. 1. cōcluſ. 4. Argentinas quæſt. vnica art. 1. ad 4. argumentum contra ſecundam cōcluſ. Baſſolis quæſt. vnica art. 2. Azor. part. 1. lib. 13. cap. 12. quæſt. 1. Petrus Soto de inſt. Sacerd. lectione 5. & 6. Quintanadueñas lib. 1. rerum eccleſiaſtic. cap. 6. num. 9. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 28. num. 6. Pontius lib. 7. cap. 23. num. 15.

371 Secundo ſuppono dubium eſſe an Græci voueant in ordine ſacro caſtitatem coniugalem, ideſt caſtitatem præter vxorem iam acceptam dum laici eſſent. Affirmat Zonaras in canone 19. Sancti Baſilij, negat Arcudius in cōcordia lib. 7. cap. 40. concluſ. 3. ex verbis eiuſdem Sancti Baſilij.

372 Tertio ſuppono, certum, & indubitatum eſſe lege Eccleſiaſtica prohibitum eſſe Græcis cōtrahere matrimonium poſt ſuſceptos ſacros ordines, vt conſtat ex dictis ſupra in fundamēto primæ ſententiæ, & ex concilio Trullano canone 6. & licet synodus Trullana legitima, & approbata non fuerit, tamen eius canones ob plurium ſæculorum conſuetudinem, tanquam Ec-

cleſiaſticæ leges hodie apud Græcos obſeruantur, & obligant; nã Græcorum conſuetudines ſedes Apoſtolica ſuſtinet quo ad ea, quæ periculum non generant, & Eccleſiaſticæ non derogat honeſtati, vt ex Innocentio 3. capite quanto, de baptiſmo in quo 6. canone Trullano prohibitum eſt ne Epiſcopi, Præsbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi poſt ordinationem ſuam vxorem ducant, eſt tamen difficultas non parua an hoc impedimentum ordinis ſacri in Eccleſia Græca ſit impedimentum dirimens matrimoniũ, ſicut ordo ſacer matrimonium dirimet in Eccleſia latina, ſiue hoc proueniat ex vi voti caſtitatis emiſſi in ipſa ordinatione implicitè, vel explicitè vt vult D. Thomas in 4. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. in corpore, & cum eo Riccardus quæſt. 1. art. 1. Capreolus quæſt. vnica art. 1. Caietanus tõ. 1. opuſc. tract. 27. quæſt. vnica §. quod ſecundum Toletus lib. 4. cap. 17. num. 21. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 21. & lib. 1. de clericis cap. 18. Azorius tom. 1. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. Vaſquez 3. part. diſp. 147. cap. 7. & diſp. 246. capit. 3. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 22. num. 10. Suarez tom. 3. de relig. lib. 9. ca. 17. ſiue proueniat ex ipſa ordinatione præcisè ratione legis eccleſiaſticæ prohibẽtis matrimonium poſt ſuſceptos ſacros ordines, vt tenent Sotus in 4. diſt. 57. quæſt. vnica §. dico igitur maior in 4. diſt. 24. quæſt. 2. Paludanus in 4. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 2. & art. 2. Argentina queſt. 1. Baſſolis quæſt. vnica art. 1. Rebellus part. 2. lib. 3. quæſt. 12. num. 2. Gaſpar Hurtadus de Sacrament. diſp. 16. de matrimonio difficult. 1. num. 1. Angelus Maria Verricellus vbi ſupra nu. 3. quæ ſententia colligitur ex Cõcilio Tridentino ſeſſione 24. de reformat. matrimon. canone 9. ibi *ſi quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto Anathema ſit.* vbi ly lege Eccleſiaſtica refertur ad clericos, ly voto refertur ad regulares, ſiue aſſeratur initiatos ſacris ordinibus non ſolum ex voto, ſed ex ſpeciali lege ad ſeruandam caſtitatem aſtringi, vt aſſerunt Aegidius de Coninch diſp. 10. de ordine dub. 13. num. 130. Caſtropalaus part. 4. tract. 27. de ordine diſp. vnica punt. 17. num. 5. & 6. quod probari poteſt; tum ex cap. præsbyteris, & cap. diaconis 27. diſt. c. propoſuiſti cum ſequentibus 82. diſtinct. cap. 1. & per totum 15. quæſt. 8. cap. à multis de ætate, & qualitate caput Clericorum, de vita, & honeſtate Clericorum. tum ex cõſuetudine recepta qua omnes ſacris initiati ſi coniugati ſint ab vxoribus ſeparãtur vti habetur pluribus canonibus 28. diſtinct. neque eis ſuffragari poteſt; quod votum caſtitatis non emiſerint, tum ex eo, quod Eccleſia prędictos initiatos matrimonio contrahendo inhabiles reddiderit; non quidem in reuerentiam voti caſtitatis emiſſi aliàs omnes emittentes votum caſtitatis inhabiles eſſent: ſed in reuerentiam ſtatus clericalis aſſumpti, quem oportebat ab operibus carnis eſſe omnino ſeiũctũ; atqui quoties Eccleſia aliquos inhabiles reddit matrimonio inter ſe cõtrahẽdo, eo ipſo illis prohibet venereum actum, vtpotè in quo maior eſt indecentia, quam in matrimonij vſu, ob quem matrimonium inter-

terdicitur, & irritatur: ergo, & cætera. Quod confirmari poteſt ex copula cum affine, vel ſpirituali cognata, quæ ideo eſt inceſtuoſa, quia matrimonium inter ipſos celebrari non poteſt, vt benè probat Sanchez lib 7. de matrimonio diſp. 5. num 7. cum ergo ſacris initiati matrimonio cõtrahendo inhabiles ſint efficitur, quemlibet actum venereum illis eſſe ſpecialiter prohibitum.

373 Sed quidquid ſit de perſonis in ſacris conſtitutis in Eccleſia latina de ſacris perſonis, ſeu ordinem ſacrum habentibus in Eccleſia Græca poteſt eſſe difficultas, an ordo ſacer non ſolum impediat, ſed etiam dirimat matrimonium cõtractum poſt ſuſceptos ſacros ordines. Arcudius in concordia lib. 7. quæſt 1. cap. 40. quem ſequitur Angelus Maria Verricellus vbi ſupra nota 6. nu. 8. affirmat eſſe impedimentum impediens tantum, quare in hac ſententia validum eſſet quamuis illicitum matrimonium, quod Græcus Sacerdos contraheret, cuius ratio eſt, quia nullum Concilium, aut Pontifex irritum declarauit, nam in Eccleſia latina per mille annos valida, ſed illicita fuerunt matrimonia, primus enim Innocentius II. in Concilio Lateranenſi ea irritauit, vt in cap. vt lex 27. quæſt. 1. ibi matrimonia non eſſe cenſemus, quod demonſtrat Pontius lib. 7. de matrimon. cap. 27. num. 2. & 3. atqui leges latinæ Eccleſiæ, ſeu Apoſtolicę Sedis editę poſt ſchiſma, ex benigna mente Romanorum Pontificum, ne deſeruiant ſolum ad illaqueandas animas, non extenduntur ad Græcos, niſi expreſsè de eis mentionẽ agant: ergo adhuc in Eccleſia Græca rata, ſed illicita ſunt ea matrimonia. maior ſupponitur vt certa, & minor probatur ex cap. licet de Baptiſmo vbi Cõciliũ Lateranenſe ſub Innocentio 3. cap. 4. ſic ſtatuit: *licet Græcos diebus noſtris ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ reuertentes fouere, ac honorare vellimus, mores, ac ritus eorum (quantum cum domino poſſumus) ſuſtinendo: in his tamen illis deferre non volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarũ, & Eccleſiaſticæ derogant honeſtati: ergo leges Pontificiæ non extendũtur ad Græcos dum de illis non fit expreſſa mentio in dictis legibus.* Cum ergo nullum Concilium declaret irritum matrimonium contactum à Græco Sacerdote poſt ſuſceptos ſacros ordines cõſequens eſt, vt ordo ſacer in Eccleſia Greca licet impediat matrimonium, illud tamẽ non dirimat, alij vero abſolutè docent, quod ordo ſacer in Eccleſia Græca impedit, & dirimit matrimonium contractum poſt ſuceptos ſacros ordines, ita Alphonſus Piſanus ad finem lib. 3. Concilij Niſæni, Azor. tom. 1. lib 13. cap. 12. quæſt. 3. Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 28. num. 3. Suarez tom. 3. de relig. lib. 9. cap. 17. num. 11. citans pro hac ſententia D. Thom. in 4. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. vbi ait in Eccleſia Orientali matrimonium impediri ſolum ex vi ordinis, in Occidentali vero impediri, & ex vi ordinis, & vlterius, ex vi voti annexi, vbi illa particula, &, non complexiuè, ſed diuiſiuè ſumitur, & in additionibus ad 3. part. quæſt. 53. art. 3. in corpore inquit, reſpondeo dicendum, quod ordo ſacer de ſui ratione habet, ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, quia in ſacris ordinibus conſtituti ſacra vaſa, & Sacramenta tractant, & ideo decens eſt mundi-

ditiam corporalem per continentiam ſeruent, ſed quod impediat matrimonium ex conſtitutione Eccleſiæ, habet tamen aliter apud latinos, quod apud Græcos, quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum ſolũ ex vi ordinis, ſed apud latinos impedit ex vi ordinis, & vlterius ex voto continentiæ, quod eſt ordinibus ſacris annexum, alij denique mediam aliam ſequuntur ſententiam, fatentur etiam apud Græcos diaconos, & infra licuiſſe etiam poſt ordinationem matrimonia contrahere, ita Caietanus tom. 1. opuſc. tract. de diſpenſatione matrimonij qu. vnica Sotus in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. verſ. colligitur, & lib. 7. de iuſtitia quæſt. 6. art. 2. concluſ. 2. Grabiel Vaſquez, qui licet 3. tom. in 3. part. diſp. 247. cap. 4. negare videatur, at in diaconis admittit diſp. 249. cap. 2. quare tantum negat preſbyteris, & Epiſcopis etiam apud Græcos, quibus ſuppoſitis.

374 Dico primo ſtante ſententia probabili aſſerenti ordinem ſacrum ex ſe, & ratione ſui non dirimere matrimonium, ſed tantum ratione voti caſtitatis, explicitè, vel implicitè emiſſi in ipſa ordinatione, & poſito, quod Sacerdos Græcus in ſua ordinatione non emittat, nec explicitè, neque implicitè votum caſtitatis coniugalis, valde probabilis eſt ſententia eruditi Patris Thomæ Tamburini affirmans, quod ſi Sacerdos Græcus vxoratus aliam à ſua vxore carnaliter cognoſcat, non contrahit ſacrilegij maculam, quæ ſit neceſſario in confeſſione explicanda, quod optimè probat ratio aſſignata à Patre Thoma Tamburino ſupra num. 368. neque contrarium conuincit fundamentum aſſignatum nu. 367. pro parte affirmatiua ex Angelo Maria Verricelli: nam Reſpondetur diſtinguẽdo maiorem, quando lex Eccleuaſtica ex motiua virtutis religionis, ſeu reuerẽtię ordinis Sacri prohibet matrimoniũ Sacerdoti, tunc ex eodem motiuo prohibetur, etiam copula fornicaria, ſi lex Eccleſiaſtica inferat impedimentum nõ ſolum impediens, ſed etiam dirimens matrimonium contractũ à Sacerdote concedo maiorem, ſi lex illa eccleſiaſtica ſolum prohibeat, & non dirimat matrimonium contractum à Sacerdote, vt de Græco Sacerdote affirmat Verricellus nego maiorem, & ſimiliter minorem diſtinguo: leges Eccleſiaſticę prohibẽt Græcis Sacerdotibus matrimonium ex motiuo virtutis Religionis, prohibitione impediente, & dirimente matrimonium nego minorem, prohibitione ſolũ impediente matrimonium concedo minorem, & nego conſequentiam, nam in tali caſu ſolum peccat Sacerdos Græcus contra perfectionem ſui ſtatus Sacerdotalis, quæ circumſtantia non mutat ſpeciem peccati, ſed notabiliter illud aggrauat intra eãdẽ peccati ſpeciẽ, vt benè notat Tãburinus loco ſuperius citato, num. 5. ad probationem maioris reſpõdeo negando prohibitum eſſe lege eccleſiaſtica Græcis Sacerdotibus matrimonium contrahendum poſt ſacros ordines ſuſceptos ex motiuo virtutis Religionis (aliàs non ſolum impediret, ſed etiam dirimeret dictum matrimonium, quod non concedit ſententia in qua loquimur) ſed ſolum ex motiuo decẽtiæ debitæ ſtatui Sacerdotali, quod motiuum non extrahit copulam illicitam Sacerdotis Græci coniugati à propria ſpe-

ſpecie fornicationis, licet notabiliter aggrauet peccatum illud intra eamdem ſpeciem, quæ circumſtantia non eſt neceſſario in confeſſione explicanda, vt communis tenet Doctorum opinio. nec eſt ad propoſitum inſtantia de prohibitione matrimonij inter conſanguineos ex motiuo virtutis pietatis: nam Eccleſia ex motiuo virtutis pietatis facit ſua poteſtate, vt talis gradus cõſanguinitatis, vel affinitatis ſit impedimentum dirimens matrimonium; & licet etiam poſſet Eccleſia inhabilem reddere perſonam tali ordine conſecratã ad contrahendum matrimonium independenter à voto caſtitatis emiſſo in ipſa ordinatione ſicut facit ſua poteſtate Eccleſia, vt alij gradus conſanguinitatis ſint impedimẽtum dirimẽs matrimonium, nihilominus cũ in dubio ſit an votum ſit neceſſarium vt Eccleſia ponat tale impedimentum, vel an de facto non imponat illud, niſi habenti votum, & quamuis extra controuerſiam ſit quod poteſt Eccleſia illud imponere independenter à voto, vt diximus eſt tamen probabiliſſima opinio, quod de facto Eccleſia illud non imponat niſi depẽdẽter à voto emiſſo in ipſa ordinatione ſacra, vt colligitur ex cap. vnico de voto lib. 6. in qua ſententia loquitur noſtra aſſertio. cum autem Græcus Sacerdos in ſacra ordinatione, vt ſupponitur non emittat, neque explicitè, neque implicitè votum caſtitatis etiam coniugalis hoc eſt non accedendi ad non ſuam, non eſt cur dicamus, quod ſi ad non ſuam accedat incurrat in peccatũ ſacrilegij contra virtutem Religionis, ſicut qui accedit ad conſanguineam, vel affinem in gradu prohibito committit peccatum inceſtus contra virtutem pietatis.

375 Dico ſecundo: ſtante probabiliori opinione, quod ordo ſacer independenter à voto caſtitatis impedit, & dirimit matrimonium cõtractum poſt ſuſceptos ſacros ordines, probabilior eſt opinio affirmans Sacerdotem Græcum vxoratum accedendo ad non ſuam peccare peccato ſacrilegij, & teneri in confeſſione explicare hanc circumſtantiam vtpotè mutantem ſpeciem peccati: hanc aſſertionem efficaciter probat fundamentum ſupra relatum num. 367. pro ſententia Angeli Mariæ Verricelli, nec contrarium conuincit fundamentum Patris Thomæ Tamburini ſupra allatum, num. 368. nam reſpondetur negando maiorem: nam lex Eccleſiaſtica prohibet Sacerdotibus matrimonium contrahere ex motiuo virtutis Religionis, & reuerentiæ ordinis ſacri, non ſolum ratione voti emiſſi in ipſa ordinatione, ſed etiam ratione ordinis ſacri independẽter à voto caſtitatis, vt docent Aegidius de Coninch. Caſtropalaus, & alij relati notabili 3. num. 371. prope finem quare conceſſa minori neganda eſt conſequentia: nam quotieſcumque Eccleſia ex motiuo alicuius virtutis prohibet copulam licitam, ex eodem motiuo videtur prohibere copulam illicitam; cum autem Eccleſia ex motiuo virtutis Religionis, & reuerentiæ ordinis ſacri prohibeat Sacerdotibus, tam latinis, quam Græcis matrimoniũ poſt ſuſceptos ſacros ordines, & hoc independenter à caſtitatis voto emiſſo in ipſa ordinatione ſacra, hinc prouenit quod Sacerdos Græcus vxoratus ſi accedat ad non ſuam peccet non ſolum cõtra

tra virtutem continentiæ, ſed etiam contra virtutem religionis.

RESOLVTIO XXII.

Vtrum ſponſi cum alij fornicantes non ſolum peccato intemperantiæ, ſed iniuſtitiæ peccent debeantque hanc circũſtantiam in confeſſione manifeſtare neceſſario.

376 PRima ſententia negat ſponſum, vel ſponſam de futuro cum alijs fornicantes teneri in confeſſione explicare, nec complices cum eis peccantes. ita Couarruuias in decr. part. 1. cap. 1. num. 14. Viualdus Candelab. Sacram. part. 1. de ſponſal. num. 10. Baſilius Pontius de matrim. lib. 12. cap. 6. nu. 8. Henriquez lib. 11. cap. 18. num. 4. Megala 1. part. lib. 5. cap. 11. quæſt. 5. n. 9. Diana part. 1. tract. 7. reſol. 5. & part. 3. tract. 4. reſol. 67. Naldus verb. fornicatio num. 1. Leãder, à Sãctiſſimo Sacramẽto par. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 2. qu. 12. & alij quorum fundamentum eſt; quia circumſtantiæ non mutantes peccatorum ſpecies non ſunt neceſſario in confeſſione explicandæ; atqui circumſtantia ſpõſialium, non transfert actum ad ſpeciem adulterij: ergo talis circumſtantia ex parte ſponſi, aut ex parte ſponſæ, aut eorum, qui cum eis commiſcentur non eſt neceſſario in confeſſione explicanda. maior communiter recipitur à Doctoribus, & minor probatur primo; quia adulteriũ eſt alieni tori violatio cap. lex illa 36. quæſt. 1. leg. inter §. 1. ff. ad legẽ Iuliam de adulterijs leg. 1. in principio tit. 17. part. 7. atqui dũ corpus ſpõſo promiſſum eſt, & non traditum, non eſt illius torum ſiquidem eo vti non poteſt, ergo illius vſus in fornicatione non eſt violatio alieni tori, ac proinde, neque adulteriũ. Secũdo probatur eadem minor. nam adulterium definit conſultus in leg. inter 6. ff. ad leg. iuliã de adulterijs, vt ſit acceſſus ad nuptam; atqui ſponſa de futuro nupta non eſt, ſed nuptui promiſſa: ergo ſponſus, vel ſponſa de futuro habens copulam cum alijs non committit adulterium, & conſequenter circumſtantia ſponſalium non eſt neceſſario in confeſſione explicanda. Tertiò eadẽ minor probatur ex leg. 81. tauri, quæ eſt leg. 4. tit. 20. lib. 8. compilat. vbi dicitur. Si alguna muger eſtando caſada, o deſpoſada por palabras de preſente cometiere adulterio. In quibus verbis indicatur deſponſatam per verba de futuro adulterium committere non poſſe, vt cum communi ſententia tradunt Couarruuias decret. 1. par. num. 8. Henriquez lib. 11. cap. 13. nu. 4. Aegidius de Coninch. diſp. 22. dub. 1. Sanchez lib. 1. diſp. 2. num. 2. Guttierrez de matrim. cap. 1. num. 16. Viual. in Candelabro aureo de ſponſalibus. Manuel Rodriquez tom. 1. ſummæ cap. 53. num. 3. Caſtropalao par. 5. de ſponſalibus diſp. 1. punt. 7. num. 8. Pater Vincentius Tancredi de matrim. tom. 1. lib. 1. de ſponſalibus diſp. 2. nu. 1. & 2. Gaſpar Hurtadus de Sacramentis tom. 3. diſp. 1. difficul. 2. num. 4. §. Sancius vero Don Carolus Mallettus in aureo Theolog. moral. tom. 1. de Sacramentis malleatione 62. bractea 14. & tom. 2. de præceptis Decalogi malleattione 35. bractea 1. & alij apud ipſos. ergo & cætera.

377 Neque oppoſitum conuincitur, vt vult Sarmiento lib. 1. ſe-

lect. interprat. cap. 5. num. 1. & Riſuentes in leg. 81. tauri, & Gregorius Lopez leg. 1. tit. 17. par. 7. verbo deſpoſada ex leg. ſi vxor 13. vetſ. Diuus ff. ad legem iuliam vbi dicitur, etiam in ſponſa hoc idem (ſcilicet crimen) vindicãdum, quia neque matrimonium qualecumque, neque ſpem matrimonij violari permittitur, vbi clarè videtur loqui iuriſconſultus de ſponſa de futuro, cuius coitus eſt ſicut in vxore vindicãdus, & quod talis coitus appelletur à Iuris cõſulto adulterij; manifeſtè colligere videtur ex illis verbis hoc idem, quæ cum præcedentibus iungi debent; atqui verba præcedentia erant, ſed in eam vxorem poteſt maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit: ergo cum ſtatim ſubiũgat lex, & hoc idem vindicandũ intelligi debet de quo ante ſermo erat. cum autem de adulterio vxoris mentionem fecerit apertè ſub nomine adulterij coitũ ſponſæ de futuro intelligit, hoc inquam non conuincit. nam reſpondetur cum Cõuarruuias, Sãchez, Guttierrez, quos citat, & ſequitur Caſtropalaus par. 5. diſp. 1. punt. 7. num. 9. quod verba illa hoc idem non debent totum quod in præcedenti clauſula cõtinetur implicare: ſatis enim eſt, quod illius rationem communẽ implicent, præſtentque hunc ſenſum, hoc idem iniuſtitiæ crimen, ſiue adulterium apppelletur: ſiue non: in ſponſa de futuro vindicandum eſt, licet non eo rigore vindicetur, ac vindicatur adulterium, nec etiam contrarium poteſt probari ex leg. 1. tit. 17. part. 7. in principio vbi lex dicit adulterio es ierro que homo face iaciendo con muger caſada o deſpoſada con otro. nam lex iſta intelligitur de ſponſa per verba de præſenti; ſed non dum cognita; vt bene docet Pater Vincentius Trancredi tom. 1. de matrimonio lib. 1. diſp. 2. num. 2. in fine.

378 Secũda ſententia ſuſtinet ſpõſam de futuro ſi cum alio homine coitum habeat teneri tam ipſa, quam ille cum quo coitum habuit circumſtantiam ſponſaliũ in confeſſione explicare. Sponſũ autem de futuro ſi cum alia à ſua ſponſa rem habeat non teneri dictam circumſtantiam in confeſſione declarare. ita Sanchez de matrim. lib. 1. diſp. 2. num. 2. Filliucius tract. 10. cap. 7. Rodriquez tom. 1. ſummæ cap. 57. num. 3. Villalobos in ſumma to. 1. tract. 9. difficult. 36. num. 15. concl. 8. Vincentius Tancredi de matrim. tom. 1. lib. 1. diſp. 2. queſt. 1. & in queſtionib. moral. tract. 1. diſp. 6. quæſt. 15. D. Carolus Mallettus in aureo Theol. moral. tom. 1. malleat. 9. bractea 10. qui auctores non omnes eodem modo probant hanc ſententiam, nam Rodriquez, & D. Carolus Mallettus aſſerunt circumſtantiam ſponſalium non eſſe circumſtantiam mutantem ſpeciem, neque ex parte ſponſæ, neque ex parte ſponſi, cum coitũ eorum cum alijs non ſit adulterium, affirmant tamen dictam circumſtantiam ex parte ſponſæ coitum habentis cum alio a ſuo ſponſo notabiliter aggrauare peccatum intra eamdem fornicationis ſpeciem, ideoque in confeſſione explicandam: quod ſic probat D. Carolus Mallettus dicta bractea 10. quia tale peccatum ex parte ſponſæ includat duas circumſtantias, vnam ſtupri, ſeu fornicationis, & alteram fractæ promiſſionis, cum per ſpõſalia ſuum corpus alteri promiſerit, fiatque grauis iniuria ſpon-

ſo ab ipſa ſponſa habendo coitũ cum alio viro, in ſponſo vero habente coitum cum alia à ſua ſpõſa non reperitur talis circumſtãtia notabiliter aggrauans peccatum, quia non infertur grauis iniuria ſponſæ propter ſponſi fornicationem, ideoque non eſt circumſtantia neceſſario in confeſſione explicanda.

379 Sed hæc ratio non conuincit. tum quia ſupponit falſum, circũſtantiam ſponſalium tam ex parte ſponſæ coitum habentis cum alio non eſſe circumſtãtiam mutantem peccati ſpeciem, vt poſtea videbimus, etiam ſi talis coitus non ſit propriè adulterium, tum etiam quia dato, & non conceſſo, quod talis circumſtantia peccati ſpeciem non mutaret, gratis ſupponitur eſſe neceſſario in confeſſione explicanda à ſponſa de futuro coitum habente cum alio à ſuo ſponſo, cum circumſtantiæ aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem etiam notabiliter non ſint neceſſario in confeſsione declarandæ, vt communis defendit opinio.

380 Pater autem Sanchez, & Vincẽtius Tancredi, Paterq; Vincẽtius Candidus tom. 2. diſquiſit. 24. art. 23. dub. 15. concl. 28. vbi ſupra licet concedant fornicationem ſponſorum cum alijs eſſe circumſtantiam mutantem ſpeciem, non quia ſit adulterium, ſed quia continet iniuſtitiam cõtra fidem ſponſalium, nihilominus dicunt, quod ſi ſponſus fornicetur nõ debet illam circumſtantiam neceſſario in confeſsione aperire: quia licet ſit circumſtantia diuerſa ſpecie dicta ſponſi fornicatio, quatenus continet iniuſtitiam contra fidem ſponſalium, tamen non infertur grauis iniuria ſpõſæ propter ſponſi fornicationem; ergo tantum erit culpa leuis ratione iniurię, at vero ſi ſponſa coitum habeat cum alio tam ipſa, quam ille alter coitum habens cum ipſa debent neceſſario circumſtantiam ſponſalium in confeſsione aperire: quia ob fornicationem ſponſæ grauis iniuria infertur ſponſo: ergo ob iniuriæ grauitatem contra iuſtitiam, dicta circumſtantia eſt neceſsario ab ipſis in confeſsione aperienda.

381 Sed hanc limitationem huius ſententiæ optimè impugnat Baſilius Pontius de Leone, Caſtropalaus locis ſuperius relatis, & Gaſpar Hurtadus de Sacramẽtis tom. 3. tract. de matrim. diſp. 2. diſficult. 2. Primo: quia fornicatio tam ex parte ſponſi, quam ſponſæ præſtat parti innocenti ſufficientem occaſionem, vt delinquentem repudiet; & ſponſalia diſſoluat, cap. quemadmodum de iureiurando; atqui diſſolutio ſponſalium, & delinquentis repudiatio, quid graue eſt, & repulſo non leuiter nociuum: ergo iniuſtitia ex qua oritur grauis cenſeri debet. Secundo, quia ex prędicta fornicatione poteſt naſci filius ſumptibus ſponſi alendus quod cædit in ſponſæ per iudicium graue. Tertio; quia ex dicta fornicatione datur ſpõſe per ſe magna occaſio grauis triſtitiæ videns aliam fœminam pluris à ſponſo diligi timereque iuſtè poteſt, etiam poſt contractum matrimonium id ipſum faciendũ eſſe: ergo ſemper iniuria facta ſponſæ per ſponſi fornicationem grauis eſt, & conſequenter neceſsario in confeſsione explicãda, probo conſequentiam; quia licet ex ſponſi fornicatione infamia ſponſæ irrogetur, hoc tamẽ non impedit iuris lęſionem in

quo

quo iniuſtitia conſiſtit, aliàs iniuſtitia non eſset adulterium ex parte viri commiſsum cum raro ex illo infamia vxori proueniat, quod eſt plane falſum.

382 Nec valet ſolutio, quam contra hanc vltimam conſequentiã in fauorẽ patris Thomę Sanch. contra Baſiliũ Pontium de Leon adhibet Pater Vincentius Tancredi, nempè adulterium viri etiam eſse fatendum in confeſsione, quia eſt vſurpatio rei alienę inuito domino, & prętera directè opponitur bono fidei Sacramenti matrimonij, per quod cõiuges obligantur ad negandum corpus quilibet alteri, vnde etiã ſi vxor aſſentiretur viri adulterio; non tamen ceſſaret talis circumſtantia, quæ omnia non inueniuntur, in ſponſis, vnde ſi conſentiente ſponſo, ſponſa fornicata eſſet, non eſſet niſi peccatum incontinentiæ, cum iam ceſſaſſet iniuria illata ſpõſo: ex relatis verbis Sãchez ex n. 5. quæ hęc ſunt (ad tertium fateor eam circumſtantiam in fęmina eſſe fatẽdam, & æquale ius habere vtrũque in alterius corpus, & quia non eſt æqualis iniuria, ideo ea circumſtantia ex parte fœminæ conſtituit culpam mortalem nõ autem ex parte viri; neq; eſt ſimilis poſt contractum matrimoniũ tũc enim vtriuſq; adulterium eſt neceſſario fatendũ, quia cum ſit vſurpatio rei alienæ inuito domino eſt grauis iniuria, item directè opponitur bono fidei, & cętera) quibus verbis relatis cõcludit; quæ omnia ſi Pontius in fine huius diſput. apud Sanchez legiſſet, eius doctrinam ridiculã minimè appellaſſet; ſed potius ridiculum exiſtimaret argumentum iamdiu ſolutum afferre, nec ſolutiones tangere. hæc Tancredus.

383 Sed hæc ſolutio minime valet, nam ideo adulterium viri poſt contractum matrimonium debet à viro, ſeu marito in confeſſione explicari, quamuis homines iudicent maiorem eſſe iniuriam qua vir afficitur ob vxoris fornicationem, quia eſt vſurpatio rei alienæ inuito domino; atqui etiam fornicatio ſponſi de futuro eſt in ſuo genere vſurpatio rei alienæ inuito domino, & iniuria illata ſponſæ ob ſpõſi fornicationem non leuis, ſed grauis eſt, licet in hominum exiſtimatione grauior ſit iniuria qua ſpõſus afficitur ob ſponſæ fornicationem: ergo quantum eſt ex hoc capite ſicut vir tenetur explicare circumſtantiam adulterij poſt contractum matrimouium, ita ſimiliter ſponſus de futuro coitũ habens cum alia à ſua ſponſa tenetur explicare circumſtantiam iniuſtitiæ factæ ſponſæ ob fornicationem cũ alia; minor probata manet ex dictis ſupra num. 380. quoad ſecundam partem, quoad primam vero partem etiam probatur, quia ſponſi per ſponſalia ſibi inuicem fidem tradunt de corpore nemini alteri tradẽdo, niſi ſibimet; atqui cum alteri extra matrimonium copulantur, alteri corpus tradunt cuius vſus ſponſo erat reſeruatus: ergo violant fidem datam: ergo fornicatio ſponſi cum alia à ſua ſpõſa ſtantibus ſponſalibus cum ipſa celebratis, eſt vſurpatio rei alienę inuito domino; & conſequẽter violat iuſtitiam, quę violari poteſt ex eo quod ſpõſa per ſpõſalia acquirat ius, vt ipſemet, & non alteri corpus ſponſi tradatur, tametſi de facto traditio non ſit, nec infirmat vim huius rationis id quod additur à Patre Vincentio Tancredi, nempe, quod etiam ſi vxor aſſentiretur

adulterio viri, adhuc remanet obligatio ex parte viri explicandi dictam adulterij circumſtantiã, quę non euenit in ſponſis, quare ſi ſponſa conſentiẽte ſponſo fornicata eſſet non eſſet niſi peccatum incontinentię, cum iam ceſſaſſet iniuria illata ſponſo, hoc autem nõ eneruat vim dictę rationis; quia licet verum ſit quod etiam ſi vxor adulterio viri conſentiat, nihilominus vir tenetur circumſtantiam adulterij in cõfeſſione explicare, hoc prouenit ex eo quod fit contra ius matrimonij, & coniugis, vt coniux eſt, cui nõ poteſt efficaciter cedere, quia non competit ipſi in ordine ad priuatum bonum, ſed ratione ſtatus, qui eſt communis. Vnde etiam ſi propriè loquendo, non fiat ipſi iniuria, quia volenti, & conſentienti, non fit iniuria, præſertim in ordine ad reſtitutionem, tamen fit iniuria ſtatui matrimonij, ſicut Clericus conſentiens in ſui percuſſionem, nõ liberat percutiẽtem à ſacrilegio, quia facit iniuriam ordini clericali; itaque remanet in tali actu fornicationis viri cum alia à propria vxore, etiam ipſa conſentiẽte, dupplex malitia, vna contra caſtitatem in genere luxuriæ, altera contra iuſtitiam ſtatus matrimonij, & ipſum coniugem, vt coniux eſt, habetque malitiam adulterij, in ſponſis autem hæc omnia non inueniuntur: nam ideo ſponſus coitum habens cũ alia à ſua ſponſa committit peccatum ſpecie diſtinctum à peccato ſtupri, vel fornicationis propter iniuſtitiam ſponſę illatam cõtra fidem ſponſalium, quæ iniuſtitia grauis eſt, vt ſupra probauimus num. 380. quando autem ipſa ſponſa conſentit fornicationi ſponſi, tunc cedit iuri ſuo, & ceſſat iniuria, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, & ideo fornicatio ſponſi, ſponſa cõſentiente eſt tantum incontinẽtiæ cõtra virtutem caſtitatis, ipſa autem non conſentiente, eſt nõ ſolum contra caſtitatem, ſed etiã contra virtutem iuſtitiæ, & ideo circumſtantia neceſſario in confeſſione explicanda.

384 Dicendum igitur eſt, ſponſi coitum habentes cum alijs peccare mortaliter non ſolum contra temperantiam, ſed etiam cõtra iuſtitiam frangendo fidem promiſſam in ſponſalibus, eſſeque circumſtantiam neceſſario in confeſſione explicandam ex parte vtriuſque ſponſi, ita defẽdunt Sarmiento lib. 1. ſelect. cap. 5. num. 3. Ludouicus Lopez par. 1. inſtruct. cap. 29. §. ad hæc, & part. 2. cap. 36. de ſponſalibus §. aduertendum eſt 3. prope finem Petrus de Ledeſma de matrimonio quæſt. 43. art. 1. dub. vlt. Aegidius de Coninch diſp. 22. dub. 1. num. 6. Layman lib. 5. tract. 10. cap. 1. num. 6. Molina tom. 3. diſp. 73. num. 8. Guttierrez de matrim. cap. 1. circa finem. Caſtropalaus part. 5. de ſponſalibus diſp. 1. punt. 7. num. 5. & 6. Gaſpar Hurtadus de Sacramentis tom. 3. tract. de matrim. diſp. 1. difficult. 2. num. 4. & 5. quæ aſſertio quoad vtrãque eius partẽ ſatis probata manet ſuperius dictis. & deinde quoad primam partem probatur ratione adducta à Gaſpare Hurtado vbi ſupra nu. 5. quia ſponſi per ſpõſalia, vt regulariter fiũt, ſibi mutuo reddunt ius iuſtitię ad corpora, qualia ſunt quando ſponſalia fiunt, quamuis non dominium, ſeu ius in illis; ergo violatio corporis promiſſi ſponſi, aut ſponſæ eſt iniuſta, ſeu contra iuſtitiam, vtpotè contra ius quod quilibet ſponſus habet in corpus alterius;

us; ac proinde dicta fornicatio, præter malitiam luxuriæ cõtra caſtitatem habet etiam malitiã ſpecie diſtinctam iniuſtitiæ contra iuſtiſtiæ virtutem. quoad ſecundam vero partem præter ſuperius dicta etiã probatur. quia ex vna parte fornicatio ſponſi, ſicut & ſponſę, ratione ſui abſque alio damno, ſiue infamiæ, ſiue alterius mali, eſt iniuſtitia, vtpotè contra ius ſponſæ in corpus ſponſi, ſicut fornicatio mariti eſt contra dominium vxoris, & econtra, ex altera vero parte materia eſt grauis, vt ſupra probauimus; ergo fornicatio ſponſi, ſicut, & ſponſę cum alijs perſonis addit nouam malitiam grauem, ſeu mortalem iniuſtitię: ergo circumſtãtia ſponſalium eſt neceſſario explicanda in confeſsione à ſponſo, ſicut à ſponſa; & ab illis alijs qui cum illis fornicantur.

385 Ad fundamentum primę ſententię reſpondetur cõceſſa maiori, & minori de adulterio rigoroſè ſumpto negando conſequẽtiam: nam licet fornicatio ſponſi, aut ſponſę de futuro cum alijs nõ ſit proprie adulterium, vt bene probat argumentum, reducitur tamen ad ſpeciem adulterij ob violationem corporis promiſſi, aut ſponſæ propter iniuſtitiam grauem, quæ reperitur in violatione iuris promiſſi per ſpõſalia, vt ſupra num. præcedenti diximus, ratione cuius fornicatio ſponſi, aut ſponſæ præter malitiã luxuriæ contra caſtitatem; etiam habet malitiam ſpecie diſtinctam iniuſtitiæ contra iuſtitiam, & ideo addit circumſtãtiam neceſſario in cõfeſſione explicandam ex parte vtriuſque ſponſi, vt ſupra probatum eſt, fundamenta autem ſecundæ ſententiæ ſoluta manẽt ex eorum impugnatione.

RESOLVTIO XXIII.

Vtrum ſimplex Sacerdos tam regularis, quam ſæcularis, ab Epiſcopo non approbatus licitè, & validè poſſit abſoluere à peccatis venialibus, & à mortalibus iam ante ritè confeſsis.

386 PRima ſententia affirmat ſimplicem Sacerdotem ab Epiſcopo non approbatum ad excipiendas confeſsiones non poſſe, nec licite, nec valide aliquem abſoluere à venialibus, nec à mortalibus iam ante ritè confeſſis ita Faber in 4. diſt. 17. quæſt. vnica diſput. 23. cap. 3. num. 71. Medina Cod. de pœnitent. quæſt. Nauarr. in cap. placuit numer. 22. & in manuali cap. 4. Ludouicus à Cruce in bul. Cruciatæ diſp. 1. cap. 2. dub. 5. num. 16. & nouiſſimè Magiſter Bordonus tom. 1. conſil. regul. reſol. 36. quæſt. 20. nu. 57. probatur primo hæc ſentẽtia à Bordono; quia vt determinat Concilium Trident. ſeſſione 23. cap. 15. nullus Sacerdos, etiam ſi ſit regularis poteſt audire confeſſiones perſonarum ſæcularium, niſi approbatus ſit ab Epiſcopo, ibi quãuis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant: decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, neque ad id idoneũ reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat, atqui tam eſt confeſſio facta de venialibus, quam de mortalibus: ergo de vtriſque eſt ibi ſermo: ergo cum

Sa-

Sacerdos ſimplex non approbatus ab Epiſcopo careat iuriſdictione abſoluendi etiam à venialibus abſolutio ab eo impẽſa erit illicita, & inualida non ſolum pro mortalibus, ſed etiam pro venialibus; aut mortalibus in alia confeſſione ritè cõfeſſis, probatur hæc vltima conſequentia ex eodem Concilio Ttident. ſeſſione 14. cap. 7. vbi decernit abſolutiones datas à Sacerdote nullam habente iuriſdictionem nullas, & irritas eſſe per hæc verba; quoniam igitur matura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam nõ habet iuriſdictionem; atqui Sacerdos tam regularis, quam ſæcularis nõ approbatus ab ordinario, non habet, nec iurisdictionem ordinariam, nec delegatam ad abſoluendum à venialibus, aut à mortalibus ritè confeſsis: ergo ſi ab illo abſoluat abſolutio erit irrita, & nulla minor quoad primam partem probatur primo quia ſi Sacerdos ſimplex haberet iurisdictionem ordinariam in peccata venialia, & in mortalia ritè ante confeſſa illam acciperet à Chriſto Domino in ſui ordinatione virtute illorum verborũ Ioannis cap. 20. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; atqui hoc eſt falſum cum per illa verba concedatur Sacerdotibus in ſua ordinatione poteſtas, & iurisdictio abſoluendi à mortalibus, & venialibus; cum ergo dictis verbis non cõcedatur completa iurisdictio in mortalia non confeſſa, nec cõceditur in mortalia confeſſa ante in alia confeſsione, nec in venialia, ſed iurisdictio incompleta, & inchoata, quæ perficitur ab Eccleſia applicatione ſubditorum habentium conſcientiam ſimilium peccatorum, quæ fit per approbationem ab Epiſcopo factam.

387 Secundo eamdem primam minoris partem probat Diana par. 8. tract. 1. reſol. 54. §. ſed hanc ſententiam, quia Sacramentum pœnitentiæ, ſiue verſetur circa mortalia, ſiue circa venialia, sẽper exercetur per modum iudicij, atqui ideo in miniſtro ad valorem abſolutionis requiritur iurisdictio ordinaria, vel delegata, vt dixit expreſsè Trident. ſeſſ. illa 14. cap. 7. ſed in Sacerdote ſimplici non eſt iurisdictio ordinaria, cum ipſe non ſit paſtor, nec Prælatus, alioquin omnes eſſent ſibi inuicem paſtores, & ſubditi; quod perturbaret omnino ordinem debitum in Eccleſia: ergo ſolum habent iurisdictionem delegatam ab eo qui habet ordinariam, nempe à Summo Pontifice, qui eã poteſt pro libito validè auferre, & aliquãdo licitè, & prudenter aufert ab excommunicato vitando: non tamen reſeruantur communiter peccata venialia; quia cum non ſit obligatio illa confitendi, fruſtra, aut cum paruo fructu reſeruarentur, & aliunde non eſt materia digna reſeruatione, quæ ſolum adhiberi ſolet ad grauiora crimina coercenda.

388 Quod confirmat idem Diana: quia nemo habet iurisdictionem ordinariam in hoc Sacramento, qui aliunde non habeat aliquam ſuperioritatem, & gubernationem, etiam extra Sacramentum: ideo enim Põtifex, Epiſcopi, Parochi, & Prælati habent iurisdictionem ordinariam, quia incũbit

bit illis ex officio gubernare, & paſcere illos ſubditos, ſed Sacerdos ſimplex nullã prorſus habet ſuperioritatem, aut gubernationem circa alios Sacerdotes, & multo minus circa Epiſcopos, & Cardinales; non eſt ergo eorum paſtor ex officio inordine ad peccata venialia; ſed ſolum ex delegatione ſupremi Paſtoris, & Põtificis, a quo accipit illam iuriſdictionem delegatam. quæ omnia eruditus Diana tranſcripſit fideliter de verbo ad verbum ex Eminentiſsimo Cardinali Lugo tom. de pœnitent. diſp. 18. ſect. 3. num. 44.

389 Quoad ſecundam partem (nẽpe quod Sacerdos ſimplex dictã iurisdictionem abſoluendi à venialibus nõ habeat ab Eccleſia, aut à Summo Pontifice) probatur, primo quia de hac conſuetudine nõ reperitur textus, authoritas, Conciliorum, aut Papa; qui de illa teſtetur; neque quis illam dedit; ergo ex his inferendum eſt, nullum Sacerdotem habere dictam poteſtatem ab Eccleſia, aut à Summo Pontifice. Secundo; quia ſi Sacerdos ſimplex haberet iurisdictionem ab Eccleſia aut à Summo Pontifice abſoluẽdi à peccatis venialibus poſſet Summus Pontifex reſeruare venialia quoad abſolutione hoc eſt quod non teneat abſolutio, facta ab alio quam à reſeruante; quãuis non quantum ad hoc quod teneatur quis illa confiteri cum ex Chriſti inſtitutione ſit materia libera; atqui hoc eſt falſum; ergo, & quod ſimplex Sacerdos iurisdictionem habeat Eccleſia abſoluẽdi à peccatis venialibus. probatur minor, quia peccatum veniale ex Chriſti inſtitutione eſt materia libera; ergo ex Chriſti Domini inſtitutione poteſt quis illud ſubijcere cui voluerit, & conſequenter nulla humana poteſtas poterit illud reſeruare, tum quia quod Chriſtus conceſſit, nullus valet auferre. tum etiam, quia vel reſeruatio iſta obligaret ad mortale, & hoc non, quia nimis durum, & contra ſuaue Chriſti iugum, vel ſolum ad veniale; & ſic poſſet Confeſſor ab illa abſoluere etiam ſi non ſit ſuperior.

390 Secundo probatur hæc ſentẽtia, ſcilicet, quod ſimplex Sacerdos nullam iurisdictionem habeat abſoluendi à peccatis mortalibus in alijs confeſsionibus ritè confeſsis, quia poteſtas, & iurisdictio conceſſa ad abſoluendũ à peccatis, ſi iam ſunt validè cõfeſſa, opponitur ſignificationi formæ, quæ eſt, ego te abſoluo à peccatis tuis, id eſt quantum eſt ex me remitto hoc debitum deleo hoc peccatum: ergo repugnat, quod data ſit ſolum poteſtas remittendi peccatum, ſi iam eſt dimiſſum, & aliàs non; cum propria ſignificatio formæ ſit remiſsio, etiam ſi remiſſum nõ ſit.

391 Secunda, & vera ſententia affirmat Sacerdotes ſimplices ab Epiſcopo non approbatos, tam ſæculares, quam regulares validè, & licitè abſoluere poſſe à peccatis venialibus, & mortalibus antea ritè confeſsis, ita Vaſquez tom. 4. in 3. part. quæſt. 93. ar. 1. dub. 6. Suarez tomo 4. in 3. part. diſp. 26. ſect. 5. numer. 2. Granados in 3. part. tract. 10. diſp. 4. ſect. 1. num. 2. Aegidius de Coninch de ſacramentis tom. 2. diſp. 8. dub. 2. Filliucius tom. 1. tract. 7. num. 223. Machado tom. 1. lib. 1. part. 1. tract. 1. documento 3. num. 4. Ludouicus Caſpenſis in curſ. theolog. tom. 2. tract. 24. diſp. 3. ſect. 3. num. 27. Diana part. 8. tract. 1. reſol.

55. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 18. ſect. 3. num. 44. Mendo in Bullam Cruciatæ diſp. 22. cap. 1. num. 2. Magiſter Candidus to. 2. diſquiſit. 24. art. 55. dub. 3. Caſtropalao part. 4. tract. 23. diſp. vnica pũt. 13. num. 5. Thomas Hurt. tom. 2. reſol. moral. tract. 12. cap. 1. dub. 6. Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 11. quæſt. 9. Franciſcus Felix in tentatiua complutenſi tract. 3. de conſcientia cap. 3. difficult. 10. num. 12. & tract. de pœnitentia cap. 6. difficult. 5. D. Carolus Malletus in aureo theolog. moralis tom. 1. malleatione 16. bractea 1. §. ſciendum 2. in fine D. Marcus Vidal in arca vitali tract. de iuriſdictione inquiſit. 6. num. 11. concluſione 1. Rodericus de Arriaga tom. 8. diſp. 39. ſect. 3. & alij. Fundamentum huius ſententiæ diuerſum eſt pro diuerſitate modi opinandi Doctorum: nam alij dicunt ad abſoluendum à venialibus, & mortalibus iam antea ritè confeſſis Sacerdotes nulla indigere iuriſdictione, ſed ad hoc ſufficere poteſtatem ordinis, ita Caietanus tom. 1. opuſcul. tract. 7. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2. ad 3. Coriolanus de caſibus reſeruatis part. 1. ſect. 3. num. 8. Molfeſius tract. 7. cap. 15. num. 66. & ſequentibus, ſed iſte modus dicẽdi eſt falſus, & vt talis cõmuniter impugnatur à Doctoribus: tum quia eſt contra diſpoſitionem Concilij Tridentini loco ſuperius citato; tum etiam quia abſolutio à peccatis eſt actus iudicialis: ergo in Iudice neceſſario requiritur poteſtas iuriſdictionis, alij vero dicũt omnes Sacerdotes habere à Chriſto Domino immediate iuriſdictionem abſoluẽdi à peccatis venialibus, & mortalibus antea ritè confeſſis; quam iuriſdictionem accipiunt immediatè à Chriſto Domino in ipſa ordinatione, ita Vaſquez dicta quæſt. 93. art. 1. dub. 6. num. 5. & alij poſtea citandi. alij denique affirmant dictam iuriſdictionem abſoluendi à venialibus cõferi Sacerdotibus ab Eccleſia, ita Eminẽtiſſimus Cardinalis Lugo, & alij infra citandi, ſed quidquid ſit de hoc probatur noſtra ſentẽtia, quia ad abſoluendum à peccatis requiritur in miniſtro poteſtas ordinis, et iuriſdictionis; atqui ſimplex Sacerdos ſiue Regularis, ſiue ſæcularis præter poteſtatem ordinis habet poteſtatẽ iuriſdictionis in peccata venialia, & in mortalia antea ritè confeſſa, ſiue illam habeat immediatè à Chriſto Domino in ſua ordinatione receptam, ſiue illam habeat ex Eccleſiæ authoritate (de quo poſtea redibit ſermo) ergo ſimplex Sacerdos, ſiue Regularis; ſiue ſecularis abſque Epiſcopi approbatione poteſt licitè, & validè à peccatis venialibus abſoluere, & à mortalibus ritè cõfeſſis.

392 Ad primum fundamẽtum primæ ſententiæ reſpondetur negãdo maiorem, nam verba Concilij intelliguntur, quòd nullus Sacerdos etiam Regularis poſſit abſque Epiſcopi approbatione aliquem ſecularem etiam Sacerdotem à peccatis mortalibus nõ cõfeſſis abſoluere de venialibus, vero non loquitur Concilium, imo ex conſuetudine à fidelibus, & ab Eccleſia recepta videtur ſupponi à Concilio peccata venialia poſſe abſolui à quocumque ſimplici Sacerdote ab Epiſcopo nõ approbato, quare conceſſa minori neganda eſt vtraque conſequentia, & ad probationem vltimæ conſequẽtiæ conceſſa ma-

iori neganda eſt minor, quo ad ſecundam partẽ: nam licet probabilis ſit ſententia Vaſquez, Cani, Riccardi, Ledeſmæ, Capreoli, Paludani, Thomæ Hurtado, D. Marci Vidal, & aliorum locis ſuperius citatis aſſerentium Sacerdotes ſimplices tam regulares, quam ſæculares, accipere immediate à Chriſto Domino in ſua ordinatione iurisdictionem ordinariam abſoluendi à venialibus peccatis, & à mortalibus in alijs confeſſionibus ritè confeſſis: nihilominus probabiliorem ſententiam affirmantem dictam iurisdictionem conceſſam eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus ſimplicibus independenter ab Epiſcopi approbatione defendunt Cardinalis Lugo, Suarez Coninch. Caſtropalaus, Candidus, D. Carolus Mallettus, Leander, & Diana locis ſupra citatis, & nouiſſime Gaſpar Hurtadus de Sacramentis diſp. 10. difficult. 10. quod colligitur ex cap. omnis vtriuſq; ſexus de pœnitent. & remiſſionibus dicente: omnis vtriuſque 393 ſexus fidelis, poſtquam ad annũ diſcretionis peruenerit omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniuncta ſibi pœnitentia proprijs viribus ſtudeat adimplere, ex quibus verbis tacitè indicatur confeſſionẽ ex deuotione, quæ fit non ex materia neceſſaria; ſed libera, & volũtaria cuilibet Sacerdoti fieri poſſe, neq; ex hac doctrina ſequitur abſurdum, quod aſſignat Bordonus vbi ſupra n. 57. §. quod ſi dicas, nempe poſſe peccatorẽ extra tẽpus obligationis à mortalibus abſolui voluntariè à quouis ſimplici Sacerdote non approbato, ſi ibi ſermo eſt de confeſſione præcisè de mortalibus, quoad præceptum diuinum, aut humanum, eſt igitur ibi ſermo de confeſſione quorumlibet peccatorum etiam venialium, hoc inquam abſurdum non ſequitur, nam in dicto capite non ſolum eſt ſermo de annuali cõfeſſione, ſed etiam de quacumque alia faciẽda à fidelibus de peccatis mortalibus, vt benè aduertit Gloſa, & colligitur ex illis verbis, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: ergo ibi non eſt ſermo de cõfeſſione quorumlibet peccatorum etiam venialium, ſed ſolum de peccatorum mortalium confeſſione facienda proprio Sacerdoti, vel alteri idoneo Sacerdoti de proprij Sacerdotis licentia, & facultate, ad primam minoris probationẽ pro ſecunda eius parte reſpõdetur, quod licet nullus ſit textus, aut authoritas expreſſa de hac conſuetudine communiter in Eccleſia à fidelibus recepta, eſt tamen textus ex quo poteſt, vt cõſtat ex cap. relato omnis vtriuſq; ſexus 12. & ex cap. ea noſcitur de ſentẽt. excõmunicationis.

Ad ſecundam probationem authores, qui affirmant ſimplicẽ Sacerdotem, ſiue Regularem, ſiue ſęcularem habere à Chriſto Domino immediatè iuriſdictionem abſoluendi à peccatis venialibus, & à mortalibus antea ritè confeſſis, conſequenter ad ſuam doctrinam dicunt non poſſe sũmum Eccleſiæ Pontificem peccata venialia reſeruare, etiam quo ad eorũ abſolutionẽ propter rationes allegatas in dicta probatione, niſi in vno dumtaxat caſu, ſi Summus Põtifex prohiberet ne Sacerdos validè abſoluat aliquas perſonas, quod ſine dubio facere poteſt. Sic enim ſacra Congregatio Tridentini Cõcilij relata ab Angelo Maria Cherubino tom. 4. Bullarij folio 10. vt teſtatur Thomas Hurtado tra

ſtat. 12. cap. 1. part. 2. nu. 2078. declarauit, quod Confeſſores etiã Regulares nõ approbati ſpecialiter ad hoc munus ſi audiant monialium confeſſiones, iſtæ ſint nullæ, & irritæ, quam declarationem approbarunt Gregorius 15. & Vrbanus 8. in quo igitur caſu dicunt præfati Doctores quod vbi iſta declaratio eſt in viridi obſeruantia, etiam ſi monialis ſolum confiteatur venialia peccata, abſolutio facta à ſimplici Sacerdote erit nulla in foro externo; in foro autem conſciẽtiæ erit valida, quia hæc iurisdictio abſoluendi à venialibus, eſt à Chriſto Domino immediatè. Sacerdos autem abſoluens à venialibus ſtante dicta prohibitione peccabit venialiter, quamuis abſolutio valida ſit in foro conſcientiæ.

394 Sed probabilius reſpondeo cũ Eminentiſſimo Cardinali Lugo de pœnitentia diſp. 18. ſect. 3. n. 44. Suario 4. tom. in 3. part. diſp. 29. ſect. 3. Filliucio tract. 7. cap. 10. quæſt. 2. Aegidio de Coninch de Sacrament. diſp. 8. dub. 11. & Gaſpare Hurtado diſ. 11. de pœnitent. difficult. 4. & alij quos refert Diana, & ſequitur part. 8. tract. 1. reſol. 55. poſſe Summum Pontificem validè reſeruare peccata venialia (& idem dico de mortalibus iam legitimè confeſſis) quia vt ſupra diximus Sacerdotes ab Eccleſia accipiũt iuriſdictionem completã abſoluendi à venialibus: ergo Eccleſia poteſt eam validè auferre, & limitare, quamuis non quicumque, ſed tantum Summus Pontifex, quia ipſe eſt, qui iurisdictionem completam in illa concedit omnibus Sacerdotibus nulli ſubordinatam, ſaltem quantum ad valorem actuum illius. neque probationes, quæ in contrarium adducuntur in contrario argumento contrarium conuincunt. non prima; quia licet peccata venialia ex Chriſti Domini inſtitutione ſint materia libera; quia nullus tenetur ex fidelibus illa neceſſario, confiteri vt diſpoſuit Concilium Tridentinum ſeſſione 14. cap. 5. per hæc verba. ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in confeſſione recẽſeri, etiam ſi occultiſsima illa ſint, & tantum aduerſus duo vltima Decalogi præcepta commiſſa, & cætera; & paulo poſt proſequitur. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur in quibus frequenter labimur, quamquam rectè, & vtiliter citraque omnem preſumptionem in confeſsione dicantur, taceri tamen citra culpam multis quæ alijs remedijs expiari poſſunt, tamẽ ex hoc nõ ſequitur, quod quis poſſit peccata venialia pro ſuo libito ſubiacere cui voluerit: nam cum Sacramentum pœnitentiæ, ſiue adminiſtretur in materia neceſſaria, ſiue in materia voluntaria, & libera ſemper fiat per modũ iudicij neceſſario requiritur in miniſtro præter poteſtatem ordinis poteſtas iurisdictionis, aliàs abſolutio erit nullius roboris, & momenti, vt diſponit idẽ Concilium dicta ſeſſ. 14. cap. 7. cum autem ſimplex Sacerdos nõ habeat iurisdictionem completam in peccata venialia immediatè à Chriſto Domino, vt ſupra probatũ eſt, ſed illã habeat ab Eccleſia hinc eſt quod ſi Sũmus Põtifex ſimplicibus Sacerdotibus prohibeat abſoluere à venialibus ſi aliter fecerint peccabunt mortaliter, & abſolutio ab illis impenſa, erit nulla. Secunda pro-

ba-

batio ſupponit, falſum, nempe ſimplicem Sacerdotem habere iuriſdictionē immediatè à Chriſto Domino in peccata venialia, ad tertiam probationem dico hāc prohibitionem ſi eſſet, obligare ad mortale ratione ſacrilegij, quod committeret Sacerdos adminiſtrando pœnitentiæ Sacramentum abſque vlla iuriſdictione, neque ordinaria, neque delegata, neque hoc eſt nimis durum, & contra iugum Chriſti ſuaue, cum materia grauis ſit ſacrilegè adminiſtrare pœnitentię Sacramentum, quantumuis materia remota quæ à pœnitente affertur leuis ſit vt ſunt peccata venialia. Quare non eſt audiendus Ludouicus à Cruce in bullā Cruciatę diſp. 1. cap. 1. dub. 5. n. 16. vbi poſtquam impugnat ſententiam aſſerentium Sacerdotē ſimplicem tam regularem, quam ſæcularem habere ab Eccleſia iuriſdictionem abſoluendi à venialibus, quam iuriſdictionem docuerat num. 15. non habere Sacerdotem ſimplicem immediatè à Chriſto Domino in ſua ordinatione, fatetur dicto num. 16. quod ſi Sacerdos ſimplex regularis, aut ſęcularis abſque Epiſcopi approbatione aliquem abſolueret à venialibus nihil faceret, & peccaret ſaltem venialiter, quippe committeret ſacrilegiū in re leui. Sed hoc gratis, & abſque fundamento, atque inconſequenter dicitur, quod ſic oſtendo ex doctrina ipſius Ludouici à Cruce, Sacerdos ſimplex, ſiue Regularis, ſiue ſæcularis, qui abſque Epiſcopi approbatione aliquem abſoluit à peccatis tantum venialibus ſacrilegium cōmittit, cum pœnitentiæ Sacramentum adminiſtret carens iuriſdictione tam ordinaria, quam delegata: ergo iſte talis mortaliter peccat. antecedens eſt ipſius Ludouici à Cruce num. 15. & 16. citato. conſequentiam vero probo; ille qui falſo iurat in materia quamtumuis leui, imo, & leuiſſima, peccat mortaliter, vt communiter docent Doctores: ergo ille qui ſacrilegium committit in materia quātumuis leui, etiam peccabit mortaliter. patet conſequentia ex paritate rationis, nam ideo ille qui adducit Deum in teſtem alicuius mēdacij leuis peccat mortaliter, quia licet materia mendacij leuis ſit, iniuria irrogata Deo grauis eſt; atqui Sacerdos qui caret iuriſdictione adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ ſi illud adminiſtret abſoluendo aliquem à ſolis venialibus, licet materia confeſſionis leuis ſit, iniuria irrogata pœnitentiæ Sacramento grauis eſt; ergo peccat mortaliter.

395 Ad ſecundum argumentum latè reſpondet Eminentiſſimus Cardinalis Lugo loco ſuperius citato, & eum ſatisfacere tenentur Authores oppoſitæ ſentētię: nam licet negent ſimplicem Sacerdotem ab Epiſcopo non approbatum poſſe aliquem abſoluere à peccatis mortalibus iam ritè confeſsis, nihilominus concedunt Sacramentum pœnitentiæ poſſe iterari cum Confeſſario ab Epiſcopo approbato, qua doctrina ab illis recepta ſic ad hominem argumētor, ponamus aliquem facere confeſſionem generalem cum Confeſſore approbato ab ordinario, in qua ſolum ſe accuſat de peccatis mortalibus iam ritè confeſsis in alijs confeſſionibus; interrogo an hæc confeſsio, & abſolutio ſit licita, & valida, vel non? ſi dicas quod non eſt valida, nec licita: ergo Sacramentum pœnitentiæ non poteſt

reiterari, quod negas. Si eſt licita, & valida inſtat argumentum: quia iſta abſolutio dictorũ peccatorum iam ritè abſolutorum opponitur ſignificationi formæ, quæ eſt, ego te abſoluo à peccatis tuis ideſt quantum eſt ex me remitto hoc debitum, deleo hoc peccatum, aut hæc peccata cũ talia peccata ſint iam remiſſa per alias confeſſiones ritè, & legitimè factas, quare quidquid reſpondeant contrarij in hoc caſu, idem ego reſpondeam in caſu noſtro, ſuppoſita iuriſdictione conceſſa ab Eccleſia ſimplici Sacerdoti, abſoluendi à mortalibus iam ritè confeſſis, itaque faciliter reſpondeo ad argumentum cum Eminentiſſimo Cardinali Lugo vbi ſupra num. 48. & 49. & cum Patre Thoma Hurtado loco ſuperius citato num. 2080. quod dum ſimplex Sacerdos abſoluit à peccatis iam antea in alijs cõfeſſionibus remiſſis, sẽſus formæ eſt: Ego te abſoluo à peccatis, quantum in me eſt, ideſt iuxta iuriſdictionem meam, quæ ſolum ſe extendit ad peccata iam confeſſa.

RESOLVTIO XXIV.

Vtrum Sacerdos Regularis non approbatus ab Epiſcopo ad excipiẽdas Confeſſiones, poſſit validè, & licitè abſoluere à venialibus, nec non à mortalibus ritè confeſſis abſque licentia ſuorum ſuperiorum.

396 HAec difficultas ſupponit Sacerdotem ſimplicẽ regularem habere iuriſdictionem cõpletam abſoluendi à venialibus, nec non & à mortalibus iam ritè confeſſis, ſiue illam habeat immediatè à Chriſto Domino illi collata in ſua ordinatione, ſiue illam habeat delegatam ab Eccleſia, & difficultas eſt an præter hanc ſiue ordinariam, ſiue delegatam iuriſdictionem abſoluendi à venialibus ſimplici Sacerdoti conceſſam, ſi ſacerdos ſit regularis indigeat ad licitè, & validè abſoluendum à venialibus licentia ſuorum ſuperiorum, authores, qui affirmant Sacerdotẽ ſimplicem, ſiue regularem, ſiue ſæcularem habere iuriſdictionẽ ordinariam completam in peccata venialia, & in mortalia iam ritè confeſſa immediatè datam à Chriſto Domino in ſua ordinatione, quos citauimus reſolutione præcedenti, conſequenter dicunt Sacerdotem ſimplicem regularem non indigere licentia ſuorum ſuperiorum ad licitè, & validè abſoluẽdum à venialibus, nec non & mortalibus ritè iam confeſſis, nec poſſe ſuperiores regulares ſuo ſubdito Sacerdoti dictam iuriſdictionem auferre, imo nec Summus Põtifex ſaltem quo ad abſolutionem peccatorum venialium in ſpecie, quia iuriſdictio collata immediatè à Chriſto domino, qualis eſt hæc, quã habent omnes Sacerdotes in peccata venialia, & in mortalia iam ritè confeſſa, à nulla humana creatura poteſt auferri.

397 Quare tota difficultas eſt in ſententia affirmante Sacerdotes ſimplices habere ab Eccleſia hãc abſoluendi à venialibus iuriſdictionem, vtrum præter prædictã iuriſdictionem, quam accipiunt ab Eccleſia indigeant ſuorum ſuperiorum, licentia ad licitè, & validè abſoluẽdum à venialibus, & mortalibus iam ritè confeſſis, Miranda in manuale prælatorũ part. 2. quæſt. 45. affirmat non poſſe Sacerdotem ſimplicem regularem validè, nec licitè abſoluere à venialibus, neque à mortali-

talibus iam ritè confeſſis, abſque ſuorum licentia ſuperiorum, cuius fundamentum eſſe poteſt; quia quotieſcunque Sūmus Pō. tifex aliquam concedit facultatem, aut iuriſdictionem regularibus illam concedit dependenter a ſuorum Prælatorum licentia, & facultate; atqui iuriſdictio abſoluendi à venialibus, & à mortalibus ritè confeſſis conceditur Sacerdotibus regularibus ab Eccleſia, & ipſius Pontifice Summo: ergo Sacerdotes ſimplices regulares non poſſunt, nec validè, nec licitè aliquem abſoluere à venialibus, neque à mortalibus ritè confeſſis ſine licentia ſuorum ſuperiorum.

398 Dicendum tamen eſt poſſe ſimplicem Sacerdotem regularē validè, & licitè quemlibet à ſolis peccatis venialibus abſoluere, & à mortalibus iam ritè confeſſis abſque licentia, et approbatione ſuorum ſuperiorum, niſi oppoſitum præcipiatur Religioſo ſub formali præcepto à ſuo ſuperiori legitima de cauſa ne adhuc illorum peccatorum excipiat confeſſiones: quia tunc licet validè abſolueret non tamen licitè, ita Nauarrus cap. 4. num. 6. Vaſquez tom. 4. in 3. part. quæſt. 93. art. 1. dub. 6. num. 5. Granadus in 3. part. controuer. 7. tract. 10. diſp. 2. num. 6. Molfeſius tract. 7. cap. 15. nu. 21. Pater Andreas Mendo in bullam Cruciatę diſp. 22. cap. 1. num. 3. Leander à Sāctiſsimo Sacramento part. 1. tr. 5. diſp. 11. quæſt. 15. et probatur; quia Sacerdos ſimplex regularis habet iurisdictionem delegatam à Summo Pontifice abſoluendi quemcumque à peccatis venialibus, et à mortalibus iam rite confeſſis, atqui collatio huius iuriſdictionis nullo pacto dependet à volūtate Superioris Sacerdoti regularis cum voluntas ſuperioris maximè ſummi Pontificis non dependeat à voluntate inferioris: ergo Sacerdos ſimplex Regularis poteſt validè, & licitè abſoluere à venialibus, & à mortalibus iam ritè confeſſis abſque licentia, et approbatione ſui ſuperioris. quoad ſecundam vero partem nempe quod ſi prohibitum eſt Sacerdoti regulari ſub formali præcepto ne adhuc talium peccatorum excipiat cōfeſsiones nihilominus ſi illas excipiat erunt validæ probatur. quia prelatus inferior nō poteſt ſuſpendere, & multo minus annullare iuriſdictionē cōceſſam à Prælato ſuperiori: ergo cū ſimplex Sacerdos Regularis habeat à Summo Pontifice iuriſdictionem completam abſoluēdi à peccatis venialibus, & à mortalibus iam ritè confeſſis nō poterit ſuperior regularis hanc iurisdictionem illi ſuſpendere, aut annullare ergo confeſſiones factæ à Sacerdote regulari taliū peccatorum erunt validæ, quāuis non licitæ: ex eo quod operatur contra præceptum obedientiæ à ſuo ſuperiore illi impoſitum: ſi autem prohibitio excipiendi tales confeſſiones ſit ex cōſtitutione religionis peccauit Sacerdos mortaliter, aut venialiter ſecundum obligationem quā habuerit ſeruandi ſui ordinis cōſtitutiones, quæ ſi non obligent ad culpam, ſed ad pœnam, ne venialiter peccabit.

399 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, quod licet quotieſcumque Summus Pō. tifex concedit aliquod priuilegium Regularibus etiam in ordine ad ſacramentalem confeſſionem Sacerdotes Regulares nō poſſint illo vti abſque ſuorum Prælatorum licentia, & appro-

ba-

batione, iuriſdictio tamen conceſſa Sacerdotibus regularibus ab Eccleſia, & ab eius Pontifice Summo abſoluendi à venialibus, & mortalibus iam ritè confeſſis, nullo modo pendet à voluntate, & imperio ſuperiorum regularium; nam imperium ſuperioris non irritat actus propriæ volũtatis eorumdem ſubditorum, & cum peccata venialia, & mortalia ritè confeſſa, ſint materia, & non neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, poteſt Sacerdos ſimplex regularis ab ea quemlibet abſoluere iuriſdictione illi conceſſa ab Eccleſia abſque ſui Prælati licentia, & approbatione, vt ſupra probatum eſt.

RESOLVTIO XXV.

400 Vtrum Sacerdos ſimplex poſſit in articulo mortis abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam reſeruatis, præſẽte proprio Sacerdote, aut etiã Prælato, vel alio habente iuriſdictionem delegatam à Superiori abſoluendi à peccatis ſuperiori reſeruatis.

PRima ſententia ſuſtinet non poſſe, nec licitè, nec validè ſimplicem Sacerdotem in articulo mortis mortis aliquem abſoluere præſente proprio Sacerdote, ita Roſella, Syluester, Armilla, Couarruuias, Simancas, Corduba, Graffius, Gratianus, Sotus, Vgolinus, Barth. Ledeſma, Viualdus, Rutilius, relati à 401 Sanchez lib. 2. ſummæ cap. 13. num. 7. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 26. ſect. 4. num. 4. & tom. 5. diſp. 22. ſect. 1. num. 62. Vaſquez tom. 4. in 3. part. diſp. 93. art. 1. dub. 4. num. 18. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæſt. 5. Valentia tõ. 4. diſput. 7. quæſt. 10. punct. 2. Aegidius diſp. 8. dub. 2. num. 16. & 17. Bonac. diſput. 5. quæſt. 7. punct. 1. num. 10. & de cenſuris diſp. 1. quæſt. 3. punct. 3. num. 5. Ochagauia tract. 2. de confeſſione quæſt. 35. num. 2. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnit. diſp. 18. ſect. 2. §. 2. num. 24. Reginaldus lib. 1. num. 61. Fagundez in præcep. Eccleſiæ præcep. 2. lib. 7. cap. 1. nu. 19. Granados in 3. part. tract. 10. diſput. 4. num. 11. Hũrtado diſput. 10. difficult. 7. Bellarminus tom. 2. de ſacramentis diſput. 8. dub. 2. num. 17. Zambranus de caſibus in articulo mortis dub. 4. num. 3. Turrianus in ſelect. centur. 2. cẽſur. Theolog. dub. 77. Trullẽch. lib. 1. in decalog. cap. 3. dub. 7. nu. 8. Caſtruspalao par. 1. tract. 4. de fide diſp. 4. punt. 3. §. 5. nu. 9. quos citat, & ſequitur Leander à Sanctiſſimo Sacramẽto par. 1. tract. 5. diſp. 11. quæſt. 18. Antonius de Eſcobar, & Mendoza tom. 2. vniuerſæ Theologiæ moralis lib. 16. ſect. 2. problema 30. num. 298. D. Carolus Mallettus in aureo Theologiæ moralis tõ. 1. malleat. 16. bractea 2. & nouiſſimè eam acriter defendit eruditus Pater Thomas Hurtado tom. 1. reſolut. moralium tract. 5. cap. 6. reſol. 59. affirmans hãc opinionem ſibi tam certam eſſe, vt contrariam exiſtimet practicè improbabilem, immeritò tamen vt poſtea videbimus, Pater Ioannes Martinon tom. 5. diſp. 53. ſect. 2. num. 16.

Probatur primo hæc ſententia à dicto Patre Hurtado vbi ſupra num. 1567. quia concilium Tridentinum ſeſſione 14. cap. 7. dicit verum tamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque

que adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt in quo teſtimonio duo maximè ponderanda inuenit Pater Hurtado, primum eſt, ratio, quæ eſt adæquata huius determinationis, ne ſcilicet aliquis pereat illi, quæ deficiat ſalutis remedium, quæ ratio manifeſtè conuincit intentum, cum optima legis, & legitima interpretatio ſumatur ex ratione expreſſa à legislatore in ipſa lege, vt notant Caſtro de lege pœnali cap. 7. documento 3. num. 10. Nauarrus de indulgentijs notabili 25. num. 3. hoc enim ſtatuit pia Mater Eccleſia, ne aliquis æternaliter pereat poſitus in extrema neceſſitate, at non eſt extrema neceſſitas, quando in articulo mortis adeſt Sacerdos proprius habens iuriſdictionem, quare extrema neceſſitas illius articuli ius tribuit moribundo, vt abſoluatur, & iuriſdictionem cõcedit omnibus Sacerdotibus, quam non habent ſi adſint alij Sacerdotes habentes alias iuriſdictionem, ſicut ius naturale in extrema neceſſitate corporali omnia facit communia, & exiſtens in illa poteſt ſibi accipere à quocũque ſibi neceſſaria ad ſubleuandam neceſſitatem, extra quam nullo modo licet, ſic philoſophandum in præſentiarum de neceſſitate ſpirituali abſolutionis in articulo mortis, quæ nõ eſt extrema ſi adeſt alius Sacerdos, qui ex poteſtate ordinaria, vel delegata poſſit abſoluere. Secundum eſt, quod Concilium dicit hanc conſuetudinem ſemper cuſtoditam in Eccleſia vt in articulo mortis omnes Sacerdotes, & cætera; atqui non fuit ſemper in Eccleſia Dei cuſtoditũ, quod preſente proprio Sacerdote poſſit quilibet Sacerdos abſoluere: ergo Concilium eſt vi conſuetudinis Eccleſiæ coniunxit articulum mortis, articulo neceſſitatis, quod non adſit copia Confeſſoris ordinarij, aut delegati, probatur minor ex cap. Præsbyter 26. quæſt. 6. vbi ex Concilio 3. Cartaginenſi dicitur, præsbyter in conſulto Epiſcopo nõ reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo vltima neceſſitas cogat: ergo ſi quando vltima neceſſitas cogit abſolutio debet fieri abſente Epiſcopo, illo iam præſente non licet: ſecundo probatur eadem minor ex extrauaganti inter cunctas §. incendiarios, vbi dicitur, quod ſi forſan antequam ab eo, qui poteſtatem habet abſolui poſſunt mortaliũ confitẽdi volentium veriſimiliter timeatur, & beneficium abſolutionis impendant; ſed ſubeãt iuramentum, quod liberati ſe ſuis Epiſcopis excommunicatoribus præſentabunt, & cætera, in qua extrauaganti facultas cõceditur Fratribus Ordinis Prædicatorum, & minorum, vt in periculo mortis abſoluant eos delinquentes quãdo inſtat mors antequam poſſint ab eo, qui poteſtatem habet, abſolui: ergo ſi poſſint ab illo abſolui non poſsẽt à prædictis fratribus.

402 Probatur ſecũdo ab ipſo Hurtado; quia Concilium Tridentinum ſic explicuit Cathechiſmus Pij Quinti, iuſſu editus, & directus ad omnes paſtores Eccleſię, vt ex ipſo quid dicẽdum ſit ouibus ſuis accipiant, igitur cap. 5. de ſacramento pœnit. numer. 56. ſic loquitur: quamquam ſi mortis periculum imminet, ne hac occaſione aliquis pereat, vt vnicuique Sacerdoti liceret, non ſolum omnium peccatorum genere cuiuſcumque poteſtatis ſit

illa

illa condonare, ſed etiam excõmunicationis vinculo ſoluere, hæc ibi; ergo ſi adeſt proprius ſacerdos hoc non licet cuicumque ſacerdoti, quare ſic dedit reſponſum Gregorius XIII. Patribus Societatis Ieſu, vt teſtantur Molina, & Turrianus vbi ſupra.

403 Tertio probatur à Caſtropalao vbi ſupra; quia iurisdictio conceſſa à Tridentino in mortis articulo ſimplici Sacerdoti ceſſat per præſentiam proprij Sacerdotis, aut alterius approbati Sacerdotis ad excipiendas confeſſiones; ergo Sacerdos ſimplex nõ approbatus non poteſt, nec validè, nec licitè adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ in articulo, aut periculo mortis præſente proprio Sacerdote ſi iſte vult Sacramentum pœnitentiæ conſtituto in tali periculo adminiſtrate. quia cauſa motiua ob quam Concilium dictam iurisdictionem abſoluendi in articulo mortis concedit ſimplici Sacerdoti non approbato, eſt ne infirmus ratione neceſsitatis Confeſſarij abſque cõfeſsione moriatur, quę neceſsitas ceſſat per præſentiam proprij Sacerdotis, cum cõſtitutus in periculo mortis habeat commoditatem confitendi, ſi velit ſua peccata: ergo per præſentiam proprij Sacerdotis ceſſat iuriſdictio conceſſa ſimplici Sacerdoti abſoluendi in articulo mortis, et cõſequenter ſi abſoluat abſolutio erit inualida, et nulla, vtpotè data à Sacerdote non habente abſoluendi iurisdictionem.

404 Quarto probatur hęc ſentẽtia à Patre Antonio de Eſcobar, & Mendoza vbi ſupra nu. 298. propemedium ex cap. eos qui de ſententia excommunicationis in 6. vbi dicitur, eum qui mortis articulo ratione imminentis neceſsitatis abſoluitur à cenſura reſeruata, ceſſante impedimento debere ſe præſentare ſuperiori cui reſeruata erat per hæc verba; eos qui à ſententia Canonis, vel hominis (cum ad illum à quo aliàs de iure fuerant abſoluendi nequeant propter imminentis mortis periculum, aut aliud impedimentum legitimum pro abſolutionis beneficio habere recurſum) ab alio abſoluantur; ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento, ſe illi à quo his ceſſantibus abſolui debebant, quã cito commodè poterunt, contemſerint præſentare, mandatũ ipſius ſemper illis, pro quibus excommunicati fuerant humiliter recepturi, & ſatisfacturi. pro vt iuſtitia ſuadebit; decernimus (ne ſic cenſuræ illudant eccleſiaſticæ) in eamdem recidere ipſo iure. ex quo textu tale conficit argumentum, eum qui in mortis articulo ratione imminentis neceſsitatis abſoluitur à cenſura reſeruata, ceſſante impedimento, debet ſe præſentare ſuperiori cui reſeruata erat; ergo ſi adſit ſuperior ille, non poſsit inferior ab illa cenſura abſoluere: eum, pœnitens non poſsit abſolui, niſi cũ onere comparandi quam primũ poſsit; atqui poteſt tũc cõparere, cũ adſit ſuperior; ergo debet corã ipſo ſtatim cõparere: nõ ergo voluit Eccleſia dare facilitatem inferiori abſoluendi ſubditum, quando ipſe poterat coram ſuperiore comparare, neque hoc fuit ſemper in Eccleſia vſitatum, ſed quod abſolueretur à quolibet Sacerdote in defectu ſuperioris propter neceſsitatem.

405 Secunda ſententia affirmat quemcumque ſimplicem Sacerdotem non approbatum validè poſſe in mortis articulo etiam præ-

præſente approbato, vel ſuperiore volente audire confeſsionem, & impendere abſolutionem, abſoluere penitentem ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis, quæ abſolutio ſemper erit licita, & valida: quia tam in articulo, quam etiam in periculo mortis omnis Sacerdos habeat poteſtatẽ iurisdictionis abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis ex iure diuino, et ex vi ſuæ ordinationis. ita Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 72. §. 7. Syla verbo confeſsio 2. num. 4. Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 2. & diſtinct. 201. quæſt. 1. art. 2. Philibertus Marchinus in tract. de bello diuino, ſeu peſte part. 3. ca. 3. num. 10. Armilla verbo abſolutio. Canus, Duardus apud Vaſquez de pœnitent. quæſt. 93. art. 1. dub. 3. Durandus diſt. 19. qu. 2. ad 4. Naldus in ſumma verbo confeſsio num. 31. quos citat, & ſequitur nouiſsimè D. Marcus Vidal in Arca vitali trãct. de pœnitentia inquiſit. 7. concl. 2. à n. 13. vſque ad. 25.

406 Probatur primo hæc ſententia à Don Marco Vidal quia in mortis articulo, quando conſcientia eſt maculata peccato mortali datur præceptum diuinum obligans per ſe propriè, & directè ſub mortali ad cõfitenda peccata lethalia nunquam confeſſa, vt cum Diuo Thoma in 4. diſt. 17. docent Suarez, tom. 4. in 3. par. diſp. 35. ſect. 3. num. 3. Coninch. diſp. 5. dub. 2. nu. 36. Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 1. num. 6. Henriquez lib. 4. de pœnitent. cap. 4. §. 3. Bonacina de Sacramentis diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punt. 4. ergo in illo articulo à iure diuino conceditur iuriſdictio cuilibet Sacerdoti, vt poſsit abſoluere pœnitẽtem ab omnibus ſuis peccatis, & conſequenter iurisdictio in eo articulo eſt de iure diuino. antecedens conſtat, tum ex Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 5. & canone 7. tum etiam, quia hoc præceptum diuinum eſt adimplendum ſemel in hac vita: ergo ad minus in articulo mortis. tum denique quia Sacramentum pœnitentiæ fuit à Chriſto Domino inſtitutum ad ſalutem animę, vt mundetur cõſcientia à peccatis: ergo tũc præceptum diuinum confeſsionis obligabit, quando datur maxima neceſsitas curandi morbos ſpirituales animę: atqui iſta maxima neceſsitas vrget in mortis articulo: ergo in illo videtur obligare præceptum diuinum cõfeſsionis. conſequentia vero probatur; quia clemens, & miſericors Deus ſemper nobis præbet omnia illa ſufficientia media neceſsaria ad obſeruanda, & implẽda eius præcepta; atqui ſufficiẽs, & neceſſarium medium adimplendum præceptum diuinum confeſsionis in articulo mortis eſt iuriſdictio communicanda Sacerdotibus, ſine qua nemo à peccatis abſolui poteſt; ergo cẽſendum eſt in eo articulo Deum concedere immediatè omnibus Sacerdotibus hanc poteſtatem iurisdictionis, ad hoc vt pœnitens æquè benè poſsit adimplere eius præceptum diuinum cõfeſsionis: ergo iuriſdictio in articulo mortis eſt de iure diuino.

407 Confirmatur, quia vt Philoſophi docent, media continentur virtualiter in fine, & ſequuntur eius naturam; cum dicant ordinem ad illum, atqui finis intentus à Deo in articulo mortis, eſt obligare ſub præcepto ad cõfitenda peccata mortalia nũquã confeſſa: ergo iurisdictionis poteſtas conceſſa Sacerdotibus ad

absoluendum à peccatis, cum sit medium conducens necessario ad consequendum hunc finem à Deo intentum debet contineri virtualiter in isto fine, & sequi eius naturam; sed iste finis in mortis articulo est à iure diuino, ergo etiam medium nempe iurisdictio erit à iure diuino, cum sequatur naturam finis, & ipsi cõformetur: ergo iurisdictionis potestas in articulo mortis absoluendi à peccatis est de iure diuino.

408 Secundo probat hanc sententiam dictus Vidal num. 14. quia Doctores communiter docent, quod Sacerdos nõ approbatus, quando deficiente approbato cæpit confessionem audire in articulo, aut periculo mortis potest perficere illam, et absoluere pœnitentem ab omnibus peccatis, et censuris reseruatis, quamuis ante completam confessionẽ, et ante absolutionem superueniat, vel Sacerdos approbatus vel superior cui reseruata sunt illa peccata absoluenda, & ratio est, vt affirmant Doctores, quia Sacerdos ille veram habebat iurisdictionem, & ius acquisitum, quando alio deficiente cæpit audire confessionem, quæ aduentu Confessoris approbati, aut superioris non expirat; aliàs esset intollerabile onus, & nimium grauaretur constitutus in illo periculo si cẽptam confessionem deberet alteri repetere, cum vix pro eo tempore possit vnitantũ fateri: ergo id contingit quia Sacerdos nõ approbatus habet iurisdictionem de iure diuino in mortis articulo, aut periculo. Probatur consequentia; nam aliàs teneretur Sacerdos ille non approbatus, qui incæpit audire confessionem, deficiente approbato, petere à superiore facultatem absoluendi à reseruatis, quãdo adest præsens ante absolutionem, quia licèt per incẽptam cõfessionem acquisiuerit ius ad illã perficiendam, nihilominus cum nõ incæperit formã absolutionis ante aduentũ superioris, videtur asserendum expirare iurisdictionem circa absolutionem dandã à reseruatis per præsentiam superioris, cum cesset finis illius concessionis Sacerdoti non approbato, ex eo, quod nulla adest necessitas ministri non approbati, cum iam sit præsens non solum minister approbatus, sed etiam superior cui competit cõcedere facultatem absoluendi à reseruatis peccatis a dicto superiore: ergo si de facto potest, vt Doctores etiam oppositę sententię asserũt, simplex Sacerdos absoluere etiã à reseruatis pœnitentem absque eo, quod petat à Superiore licẽtiam, quando superuenit post inceptam confessionem, et ante absolutionem; videtur firmiter affirmandum; id contingere solũ quia in illo casu Sacerdos quilibet habet à iure diuino iurisdictionem absoluendi ab omnibus peccatis, et censuris etiam reseruatis.

409 Tertio eam probat num. 16. quia potestas iurisdictionis absoluendi à peccatis fuit à Christo Domino communicata eius Ecclesiæ ad ædificationem, et salutem animarum fidelium, non vero ob destructionem, et perditionem animarum; ideo constituit Sacerdotes non tantum iudices conscientiarum, sed etiam medicos animarum, vt possint medicina spirituali curare earum infirmitates, quod totum non æquè benè obseruaretur, si in periculo, et articulo mortis non possint omnes Sacerdotes absoluere, et per se applicare remedia spi-

ſpiritualia per abſolutionẽ à peccatis abſque vlla exigentia, & dependentia ab humano iudicio, vt per ſe patet: ergo concludẽdum eſt iuriſdictionem, qua fũguntur ſacerdotes in mortis articulo, aut periculo à iure diuino tantum dependere.

410 Vltimo probat num. 17. quia omnes ſacerdotes in mortis articulo funguntur eadem iuriſdictione quoad forum conſcientiæ, qua fungebantur Apoſtoli; atqui iſta Apoſtolorum iuriſdictio erat immediate à iure diuino, vt conſtat ex illis verbis Ioannes c. 20. accipite Spritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt; ergo etiam illa erit huiuſmodi. probatur maior: quia Chriſtus Dominus conſtituit ſuos Apoſtolos idoneos miniſtros Sacramenti pœnitentiæ communicãdo illis immediatè iurisdictionis poteſtatem ex eo, quod prẽuidebat neceſſitatẽ in ſua Eccleſia huius poteſtatis pro ſalute Fidelium, qui ſine hac poteſtate in Dei Eccleſia difficulter cõſequi poſſent præmia æterna ob impetſectionem voluntatis humanæ, quæ poſt peccatum Adæ magis inclinat ad voluptates ſenſuales, quam ad cæleſtes: ergo ſi Chriſtus Dominus immediatè conceſſit iuriſdictionis poteſtatem ſuis Apoſtolis ob neceſſitatem pro ſalute Fidelium: quare ergo nolimus nos concedere poteſtatem, qua fũguntur omnes Sacerdotes in mortis articulo fuiſſe immediatè à iure diuino illis conceſſam, & per conſequens, quod ſit eadem cum illa Apoſtolorum, ſaltem quoad forum conſcientiæ, cũ in mortis articulo vrgeat maxima neceſſitas huius poteſtatis pro ſalute animæ pœnitentis conſtituti in illo mortis periculo.

411 Ex hac opinione, quam probabiliorem alijs appellat *Vidal*, & magis conformem tum rectæ rationi, tum etiam diuinæ miſericordiæ, & clementiæ, aliqua infert iſte Doctor. primo infert num. 19. omnes Sacerdotes in articulo mortis eſſe pares in iuriſdictione; atque adeo non eſſe neceſſarium, quod approbatus, & ſuperior præferatur nõ approbato, quoniam ad exercendam poteſtatem iurisdictionis conceſſam immediate à iure diuino, approbatio hominũ, & ab hominibus inſtituta non exigitur. Secundo infert num. 20. hanc iuriſdictionem, quam Sacerdotes in articulo mortis habent eſſe ordinariam, cum illis competat ex iure diuino. Tertio infert nu. 21. neque etiam Summum Pontificem poſſe auferre à Sacerdotibus hanc poteſtatem in articulo mortis quantumuis ſint excõmunicati, ſuſpenſi, & degradati, cum Summus Pontifex poteſtatem tãtum habeat ſuper ius cõmune humanum, nõ vero ſupra ius diuinum, quod tollere, neq; demere in totum poteſt, ſed tantum illud declarare, ac moderare, vt conſtat ex cap. ſunt quidã 25. quæſt. 1.

412 Tertia, & probabilior ſententia ſuſtinet quemcumq; ſimplicẽ Sacerdotem alioquin non impeditum etiam præſente proprio abſoluere in prædicto articulo, aut periculo mortis à quibuſcũque caſibus quãtumuis reſeruatis ita Nauarrus lib. 5. conſilior. tit. de pœnitentia, & remiſſione in prima quidem editione cõſil. 15. num. 2. & 3. in ſecunda vero conſil. 23. num. 2. & 3. vbi ſententiam, quam tenuerat in manuali oppoſitam retractat, te (inquit ille) altius inſpecta. Emanuel sà in ſumma verb. abſolutio num. 4. Petrus de Ledeſma de

Sacramentis agens de pœnitentia cap. 14. difficult. 2. poſt primam concluſionem. Conradus in ſuis reſponſionibus tom. 1. qu. 12. verſu reſpondetur in articulo mortis Vega in ſumma tom. 1. cap. 6. caſu 16. Rodriquez tom. 1. sũmæ editione 2. anno 1610. cap. 59. num. 4. in fine, & in additionib. ad bull. Cruciatæ §. 9. num. 44. verſ. a cerca del miſmo §. num. 37. & in quæſt. regul. qu. 56. art. 4. in fine Diana part. 1. tract. 5. de abſolutione ab hæreſi reſol. 5. & part. 4. tract. 4. in fine reſol. 161. & part. 5. tract. 3. reſol. 60. & 65. & tract. 13. reſolut. 12. vbi citat pro hac ſententia Petrum Hurtado de Mendoza 414
in ſecunda ſecundæ diſput. 84. ſect. 7. §. 125. & denique part. 8. tract. 1. reſo. 90. 91. & 92. & noviſſime eam defendit Pater Ioãnes de Caſtillo tom. 2. de pœnitentia tract. 8. diſp. 10. dub. 14. à nnm. 366. qui omnes dicunt dictam poteſtatem iuriſdictionis abſoluendi in mortis articulo, aut periculo, habere Sacerdotes
413 ſimplices ab Eccleſia, & non à iure diuino, vt ex ſolutione argument. 2. ſentent. conſtabit.

Probatur primo noſtra ſentẽtia ex Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 7. vbi ſic dicitur, verum tamẽ piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atq; ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt. Ex 415
quibus verbis tale conficio argumentum. Concilium Tridentinum generaliter; & abſque vlla limitatione concedit in articulo mortis omnibus Sacerdotibus facultatem, & iuriſdictionem abſoluendi quoſcũque pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis; ergo abſque vlla limitatione etiam vniuerſaliter eſt intelligendum; ergo Sacerdos ſimplex non approbatus etiam præſente approbato, vel ſuperiore volente cõfeſſionem audire, & abſolutionẽ impendere poterit conſtitutum in tali periculo abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis ſecunda conſequentia ex prima manifeſtè ſequitur, prima vero ex antecedẽti clarè deducitur; nam vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: lege de pretio ff. de publ. in rem, actio, maximè quando lex tẽdit in fauorem animarũ, ſicut facit præſẽs Tridẽt. decret ũ.

Secundo probatur; quia facultatem, quam Concilium Tridentinum concedit omnibus ſacerdotibus abſoluendi in mortis articulo ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis, ideo illis conceditur ex eo, quod pœnitens eſt in ſtatu neceſſitatis ratione periculi mortis; atqui præſentia Sacerdotis approbati, aut ſuperioris non tollit, quod pœnitens in tali periculo conſtitutus non ſit in magna neceſſitate ratione periculi mortis: ergo ſignum eſt, quod Sacerdos non approbatus retineat in tali caſu ſuam iuriſdictionem abſoluendi in articulo mortis, non obſtante præſentia approbati Sacerdotis, aut ſuperioris, & quod conſequenter poſſit moribundum abſoluere in præſentia approbati, vel ſuperioris à quibuſuis peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis.

Tertio probatur, quia quilibet conſtitutus in mortis articulo habet ius illi conceſſum à iure Eccleſiaſtico, & principaliter à Tridentino eligendi ſibi Confeſſarium ſecundum ſui liberam electionem cui ſua peccata poſſit confiteri, ne maneat in ſtatu

per-

perditionis non habendo Confeſſarium ſecundum ſuum beneplacitum; ergo ſi pœnitens in periculo mortis ius habet eligẽdi ſibi Confeſſarium ad ſuum beneplacitum etiam quilibet Sacerdos poterit illum abſoluere. Conſequentia ex antecedenti ſequitur antecedens vero probatur; quia Concilium in articulo mortis voluit ſaluti animarum prouidere, ac conſcientiarum libertati; ideoque voluit remouere neceſſitatem confitendi in dicto articulo approbato Confeſſario, ac per conſequens ius conceſſit pœnitenti, vt pro ſua electione, & libera confidentia cõfiteri poſsit cuilibet Sacerdoti ad ſuum beneplacitum.

416 Quarto probatur, quia ſi ſimplex Sacerdos non approbatus præſente prælato, ſeu ſuperiori, non poſſet in mortis articulo abſoluere à caſibus, & cenſuris reſeruatis ſequerentur duo contradictoria ſimul vera; atqui hoc nõ poteſt dici: ergo neque quod ſimplex Sacerdos non poſſit abſoluere pœnitentem in articulo mortis, etiam præſente Prælato à caſibus, & cenſuris reſeruatis ſequela probatur: nam iſtæ duæ propoſitiones opponuntur contradictoriè in articulo mortis nulla eſt caſuum reſeruetio; in articulo mortis aliqua eſt caſuum reſeruatio, atqui vtraque propoſitio eſt vera in ſententia, quæ affirmat non poſſe ſimplicem Sacerdotem in mortis articulo abſoluere à cenſuris præſente Prælato: ergo in dicta ſententia darentur duæ propoſitiones contradictoriæ ſimul verę, quod implicat probatur minor, nam prima propoſitio in mortis articulo nulla eſt caſuum reſeruatio eſt vera, & concedi-

tur ab auctoribus dictę ſententię, vtpotè determinata à Concilio Tridentino dicta ſeſſione 14. cap. 7. per illa verba, in eadẽ Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis. Secunda propoſitio in articulo mortis eſt aliqua caſuum reſeruatio etiam eſt vera in dicta ſententia, quod ſic demonſtro; nam in prędicta ſententia aſſeritur, quod præſente proprio Sacerdote, ſeu Prælato, non poteſt pœnitens conſtitutus in mortis articulo ab alia abſolui; atqui hęc eſt verè, & propriè aliqua reſeruatio in articulo mortis; ergo illa propoſitio in articulo mortis eſt aliqua caſuũ reſeruatio eſt vera in dicta ſentẽtia, & conſequenter ex ſupradicta ſententia dantur duę propoſitiones contradictorię ſimul verę, quod implicat, ergo dicendum eſt poſſe ſimplicem Sacerdotem in articulo mortis etiam præſente proprio Sacerdote, ſeu Prælato abſoluere à quibuſuis peccatis, & cenſuris quantumuis reſeruatis.

417 Dixi in noſtra ſententia poſſe ſimplicẽ Sacerdotem in articulo mortis etiam præsẽte alio Sacerdote approbato, aut præſente ſuperiore ab omnibus peccatis, & cenſuris abſoluere, niſi aliàs ſit impeditus hæreſi, Apoſtaſia, aut Schiſmate, & ſimilibus impedimentis notis pœnitenti, quia ſi aliquod ex his impedimẽtis habeat, non poteſt pœnitens ab illo abſolui in articulo mortis, ſi adſit alius cenſuris carens, aut prædictis, & ſimilibus vitijs, ratio huius eſt, vt benè notat Pater Ioannes de Dicaſtillo vbi ſupra aſſertione ſecunda, tum quia eſt præceptum eccleſiaſticum euitandi tales, & communicandi cum illis in ſacris, ac proinde

præ-

præceptum non ſuſcipiendi ab illis Sacramentum, quod præceptum etiam in articulo mortis viget; niſi ſit cauſa, quæ excuſet: non eſt tamen cauſa excuſans, ſi adeſt alius Sacerdos liber ab huiuſmodi impedimentis, qui poſſit, & velit moribundum abſoluere, vnde quamuis ex alio capite daremus prædictos hæreticos, excommunicatos, &c. habere 419
iuriſdictionē ea cauſa ſufficeret, vt non liceret ab illis petere abſolutionem in eo caſu, tum quia nec cenſendum eſt habere illos iuriſdictionē pro tali caſu, maxime ſi vera eſt ſententia, quæ docet excommunicatum, atque ad eo potiori ratione hæreticum, ſchiſmaticum, &c. carere iuriſdictione, quam non cenſetur Eccleſia illis dare, quando nulla eſt neceſſitas, vt in tali caſu ſuppoſito, quod inoteſcat pœnitenti.

418 Notanter dixi nu. præc. dum ſimilia impedimenta nota ſint pœnitenti: nā ſi pœnitens ignoret talem defectum eſſe in Sacerdote quāuis adeſſet alius ſine tali defectu, qui poſſet, & vellet abſoluere, & pœnitens nihilominus petat abſolutionem ab illo, & accipiat illam, abſolutio erit valida, quia cenſetur Eccleſia pro illo caſu conferre illi Sacerdoti veram iurisdictionem: quia iuxta multorum Doctorum ſententiam non ſolum error communis populi, ſed etiam opinio probabilis aliquorum, vel alicuius cum aliquo titulo colorato ſufficit vt valeat actus iudicis: cū ergo pœnitens, vt ſupponimus probabiliter putet prædictum Sacerdotem habere iuriſdictionem, maxime pro articulo mortis, & probabiliter credatur æquè benè poſſe talem Sacerdotem abſoluere, ac poteſt alius, qui non habet tale impedimentum ſufficientem habet titulum coloratum à iure; in quo conceditur cuilibet Sacerdoti facultas in articulo mortis abſoluendi, qua facultate ille carebat per accidēs quia aderat alius, qui ſine tali impedimento poſſet abſoluere pœnitentem, & tale impedimentum ignorabatur ab ipſo pœnitente.

Ad primum argumētum primæ ſententię ex Concilio Tridētino deſumptum reſpondetur, quod Concilium vnquam dixit reſeruationē in eo articulo ideo ceſſare, ne quis ob defectum Cōfeſſarij legitimam alioquin habentis poteſtatē ſine abſolutione dicederet, ſed cum definiſſet, adſtruxiſſetque delictorum reſeruationem ſubdit: verumtamen ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis abſoluere poſſunt: longè autem diuerſum eſt (vt notat Doctus Dedicaſtillo, vbi ſupra nu. 373. carere Cōfeſſario, & ſumere occaſionem à reſeruatione, vel potius ipſam reſeruationem pro occaſione ſumere, vt pereat nimirum propter difficultatem, quæ eſſe poteſt, & ſolet aperiendi conſcientiam ſuperiori ob pudorem, aut ſimilem metū, ob quam occaſionem multi perirent potius, & ſine confeſſione morerentur, quam tali Sacerdoti, aut ſuperiori confiterentur, quod in praxi aliquando videtur accidere, vt teſtatur Diuus Thomas in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. ad 6. ergo Tridentinum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat ſuſtulit omnem caſuum reſeruationem in illo articulo, ac conceſſit poteſtatem omnibus

Sa-

Sacerdotibus (ſaltem alioquin non impeditis) abſoluendi indiſtinctè, et vniuerſaliter abſque vlla limitatione, & reſeruatione. ob quam rationem Clemens 8. in decreto expedito anno 1593. præcipiens ſuperioribus Regularium Confeſſarios pro ſubdictorũ numero aſſignare ad quos poſſent recurrere religioſi, explicans quid mouerit ipſum ad ſic ſtatuendum pro caſibus ordinarijs, reddit rationem hanc ipſam, quam intendimus eſſe ſecundum mentem Concilij Tridentini, ſcilicet conſulere infirmioribus, ne peccata ſuperiori manifeſtare formidantes incurrant periculũ damnationis. verba ſunt notatu digniſſima nonnullos infirmiores interdum ſuperiori ſuo conſcientię maculas detegere formidantes abducere poſſe in æternæ damnationis periculum hęc Põtifex. & non loquitur pro caſu quo ſit alius, ſed pro quo adſit etiam ſuperior, neque pro tam graui caſu qualis eſt articulus mortis. ſed pro caſibus, & occaſionibus ordinarijs, id quod cõfirmauit poſtea Vrbanus 8. ergo volunt Pontifices, & concilium occaſionẽ tollere infirmioribus pereundi.

420 Deinde maxime notanda eſt illa particula, atque quæ apponitur à patribus Concilij loco citato, quæ vt bene notat D. Marcus Vidal vbi ſupra num. 34. sẽper facit copulatũ ſenſum venire æquè principaliter; ergo ſi in articulo mortis nulla per Tridentinum datur caſuum reſeruatio nulla etiam daretur limitatio poteſtatis cum eodem modo, & ſub eodem periodo ſumãtur omnia iſta verba, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt: ergo ſi in tali mortis articulo nulla eſt caſuum reſeruatio, conſequens eſt, vt nullus ſit in dicto articulo reſeruator, maxime cum iſta duo ſint corelatiua, nam quidquid priuilegium diſponit in vno corelatiuo extenditur etiam ad aliud corelatiuum. ergo concluditur quemlibet Sacerdotem alioquin non impeditum impedimentis ſupra relatis in mortis articulo poſſe validè, & licitè abſoluere à quibuſuis peccatis, & cenſuris, etiam præſente approbato, vel ſuperiore volente impendere abſolutionem.

421 Suppoſita igitur hac legitima Concilij intelligentia, negandũ eſt non fuiſſe ſemper in Eccleſia Dei coſtoditum, quod præſente proprio Sacerdote poſsit quilibet Sacerdos abſoluere à quibuſuis peccatis, & cenſuris in foro conſcientiæ ad probationem autem incõtrarium ex capite preſbyter reſpõdetur ibi eſſe ſermonem de publica illa reconciliatione ſolemni publicè pœnitentium, quæ olim in Eccleſia fieri ſolebat. qua reconciliabantur pœnitentes propter publicum, & vulgatiſsimum aliquod crimẽ, quod cum publicum eſſet, imo ſæpè deductum ad forum externum, & contentioſum neceſſe erat, vt coram legitimo iudice, qui impoſuit cenſuram, vel publicam pœnitentiam res tota ageretur, & quia fortaſsè facilè, & ſumpta occaſione abſentię Epiſcopi, aut alio prę textu preſbyteri alienas partes ſibi abrogabãt, id prohibuit Concilium 3. cartaginenſe in dicto cap. preſbyteri, & ſubiunxit verba quibus indicat de eo genere reconciliationis eſſe ſermonem, cuiuſcum-

cumque (inquit) pœnitẽtis publicum, & vulgatiſsimum crimen eſt, quod vniuerſam commouet vrbem, ante abſidam id eſt ante atrium Eccleſiæ manus ei imponatur. hoc munus erat proprium Epiſcopi; idque interdicitur presbytero: cum ergo pœnitens, qui ſic publicè tenebatur pœnitere, & Prælato ſubdi præſentemque, & paratum haberet Prælatum, atque in publico delicto ſatisfacere oporteret multitudini debebat etiam publicò miniſtro pro tali ſatisfactione parere, qui miniſter ordinarius erat Epiſcopus; atqui vt ait Gloſa ibi ita ſe debebat gerere, vt non tantum proſit illi ad ſalutem, ſed alijs ſit in exemplum. atque adeo de eo qui eſt in publica pœnitentia, & publicam habet excommunicationem eſſe intelligendum prædictum cap. quod expreſsè docet Hẽriquez lib. 11. litera Z. in textu vbi citat Roias. accedit quod ſi eſſet ſermo de abſolutione in foro interno ex eo textu probaretur teneri infirmum ſi poſſet petere facultatem, vel per nuntium, vel per literas, ſi hac ratione poſſet, etiam ſi non poſſet adire Epiſcopũ, & tamen Auctores contrarij pro foro conſcientię id negãt; ita Sanchez ſupra num. 14. cum alijs.

422 Ad ſecundam probationem eiuſdem minoris deſumptam ex extrauag. capite inter cunctas paragrafo incendarios. Reſpondeo primo cum Doctiſſimo Dedicaſtillo vbi ſupra, ibi non dici, quod nõ poſſint abſoluere illud genus hominũ ſi poſſint ab alio abſolui; ſed dicitur quod abſoluant illos ſi non poſsint ab alio abſolui, quod longe diuerſum eſt: atque illa verba poſita procul dubio ſunt, vt ſcirent illi Religioſi, imo & quiuis alius Sacerdos prædictos illos inſtãte morte fore abſoluendos, & non eſſe illis negandam abſolutionem propter defectum Epiſcopi excommunicantis, cui ſemper cõpetebat ius abſoluendi illos.

423 Secundo reſpondetur textum illum loqui tantum de abſolutione extra periculum mortis dãda, quo periculo vrgente omnibus Sacerdotibus alioquin non impeditis aliqua cenſura, aut alio ſimili impedimẽto noto pœnitenti, facultatem conceditur abſoluendi, etiã præſente proprio Sacerdote, quod potius cõfirmat noſtram ſententiam, quã illam infirmat, & hoc patet ex ipſo cap. inter cunctas vbi habentur hæc verba: inconueniẽs enim exiſtimamus, vt à peccato abſoluat, qui pœnitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis pœnam ſequutam, vel excommunicationem, quæ infligitur maximè à iure quandoque pro crimine, quæuè quẽ ab Eccleſia, & per conſequens à participatione Sacramẽtorum excludit, remouere non poteſt, & paulo inferius; quod ſi forſan antequam ab eo, qui poteſtatem habet abſolui poſſint mortalium confiteri volentium veriſimiliter timeatur, etiam in prædictis caſibus ſæpe fati fratres eos confiteri volentes audiant, & ipſis beneficium abſolutionis impendant. vbi clarè videtur illum textum loqui de abſolutione elargienda extra periculum mortis, quo periculo vrgente ante quam ligati cẽſuris abſoluti ſint, ab eo, qui poteſtatem habet, tũc poſſunt cæteri alij Sacerdotes inferiores abſoluere, abſque eo quod vlla limitatio adiungatur, atqui ſimpliciter, & vniuerſaliter, illis conceditur abſolutè, & ſim-

ſimpliciter facultas abſoluendi. quod idēmet clarius deducitur ex verbis in cap.excommunicamus §. decernimus: vbi ita dicitur decernimus etiam, vt nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum, abſque ſpeciali mandato noſtro abſolutionis beneficium valeat obtinere, niſi forſan ad nos habere receſſum non poſſet in mortis articulo cōſtitutus: ergo colligitur reſeruationem illam militare tātum extra periculum mortis nō vero in illo periculo.

424 Tertio reſpondetur prædictū textum, & alios ſimiles, quos Auctores primæ ſententiæ poſſunt adducere loqui de iurisdictione exercenda quoad forum externum in ordine ad abſolutionem à cenſuris tantum extra ſacramentalem confeſſionem (vt conſtat ex cap. ſi aliquis 26. qu. 6. ex cap. monachi de ſententia excommunicationis ex capite cætero, ac etiam ex cap.noſcitur de ſent. excommunicationis) nō vero à peccatis, in quo caſu neq; etiam in mortis articulo præſente ſuperiore poteſt ſimplex Sacerdos illam abſolutionem à cēſuris tantum impendere; ac ideo dicitur (niſi forſan ad ſuperiorem habere acceſſum non poſſet in mortis articulo conſtitutus) nam quoad abſolutionem à peccatis non requiritur acceſſus ad ſuperiorem in articulo mortis, vt eſt communis Doctorum opinio, cū nulla detur in articulo mortis, caſuum reſeruatio, vt determinat Tridentinum Concilium dicta ſeſſione 14. cap. 7. imo Concilium omnibus Sacerdotibus facultatem concedit in dicto mortis articulo abſoluēdi quoſcumque pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris, vt ex ipſo Cōcilio ſupra probauimus. non tamen dicta facultas abſoluendi à cenſuris ſimplicibus Sacerdotibus conceditur etiam in articulo mortis extra confeſſionem ſacramentalem præſente ſuperiore, cum abſolutio à cenſuris tantum, etiam in mortis articulo ad ſuperiorem ſemper pertineat, ſiue in articulo, ſiue extra articulum mortis, vnde quando ſuperior ipſe eſt præſens, & nulla alia abſolutio eſt elargienda niſi à cēſuris, in tali caſu ſuperior præferendus eſt Sacerdoti ſimplici cū ad ſuperiorem de iure pertineat à cenſuris abſoluere.

425 Sed dices ſimplex Sacerdos præſente ſuperiore non poteſt abſoluere à cenſuris tantum: ergo nec præſente ſuperiore poteſt ſacramentaliter abſoluere à peccatis etiam in mortis articulo probatur conſequentia; quia abſolutio à cēſuris debet ſemper præcedere ad peccatorum abſolutionē in foro ſacramētalis pœnitentiæ: ergo ſi non poteſt in articulo mortis ſimplex Sacerdos non approbatus præſente ſuperiore à cenſuris tantum pœnitentem abſoluere, nec etiam à peccatis poterit eum abſoluere præſente ſuperiore cum eamdem facultatem ſub eiſdē verbis Tridentinum in articulo mortis cōcedat omnibus Sacerdotibus abſoluendi, tam à peccatis, quam à cenſuris reſeruatis; præcipuè cum in illo articulo nulla ſit caſuum reſeruatio, vt idem Concilium Tridentinum determinat: ergo falſa eſt reſponſio.

426 Reſpondetur quod Conciliū Tridentinum ſolum concedit omnibus Sacerdotibus in articulo mortis facultatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis in ordine tantum ad ſacramentalem confeſſionem non vero ad exercen-

dam iurisdictionem extra ſacramentalem cõfeſſionem, ſicut eſt illa quæ exercetur abſoluendo à cenſuris tantummodo, quare mirum non eſt, ſi Sacerdos non approbatus præſente ſuperiore in articulo mortis nullam poſſit exercere iuriſdictionem, quam bene quidem exercere poteſt, etiam circa abſolutionem, à cenſuris, quando iſta abſolutio eſt in ordine ad confeſsionem ſacramẽtalem, & ſimul cum abſolutione à peccatis, etiam præſente ſuperiore. Vnde quando dicitur quod in mortis articulo nulla eſt caſuum reſeruatio; intelligi debet in ordine ad forum internum, & ad ſacramentalem confeſſionem, non vero in ordine ad externum forum, & exrra confeſsionem.

427 Ad ſecundum reſpondeo cum D. Marco Vidal in ſua arca vitali tract. de pœnitentiæ Sacramẽto inquiſitione 7. num. 45. reſponſione prima, quod Catechiſmus licet ſit maximè authoritatis, nihilominus fidem non facit ſicut Concilium Tridentinum, quoniam vim, & authoritatem concilij generalis non habet, cũ omnia, quæ in illo continentur non ſint ſancita per modum ſtatuti, decreti, & legis canonicæ, vt clarè colligitur, ex motu proprio cõceſſo à Pio Quinto; quod priuilegium regiſtratur in principio Catechiſmi. Vnde licet Catechiſmus fuerit editus, et confirmatus, authoritate Pij Quinti, ex hoc inferri non licet, quod fidem Concilij generalis faciat, benè tamen, quod maximam habeat authoritatem, & quod quidquid ab illo affirmatur tutius ſit quam oppoſitum, quod cũ alijs affirmat Sanchez in ſumma lib. 2. cap. 13. num. 7.

428 Ad tertium fundamentum, quod adducit Caſtropalao reſpondetur negando antecedens ad cuius incluſam probationem reſpõdeo in articulo mortis duplicem eſſe neceſſitatem, aliam phyſicam, moralẽ alteram, phyſica neceſſitas conſiſtit in periculo mortis corporalis, ſeu corporis, moralis vero in periculo mortis ſpiritualis animæ, itaque iuriſdictio omnibus Sacerdotibus conceſſa à Concilio Tridentino in dicto mortis articulo, eſt ratione vtriuſque neceſſitatis, quarum vtraque manet, etiam præſente approbato, vel Prælato: cum ergo non ceſſet neceſſitas de qua Concilium loquitur, neque etiam iuriſdictio ceſſare videtur, vtpotè conceſſa ratione illius neceſſitatis, quod autẽ Concilium Trident. dictam iuriſdictionem abſoluendi in articulo mortis, quemcumque pœnitentem à quibuſuis peccatis, & cenſuris omnibus Sacerdotibus concedat ratione vtriuſque neceſſitatis, ſcilicet periculi mortis, tam corporalis, quam ſpiritualis animæ, ex eo manifeſtè apparet; quia etiam extra periculum mortis ille, qui in peccato mortali viuit eſt in morali neceſſitate ratione periculi mortis æternæ ſpiritualis animæ, & nihilominus Concilium non concedit omnibus Sacerdotibus dictam poteſtatem, & iuriſdictionem abſoluẽdi ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis extra mortis articulum: ſignum igitur eſt, quod neceſſitas de qua loquitur concilium ſit vtraque nẽpe tam phyſica corporis, quam ſpiritualis animæ, & vtraque ſe tenet ex parte conſtituti in periculo mortis independẽter à preſentia Sacerdoti approbati, vel ſuperioris, ſeu Prælati.

429 Ad quartum fundamentum

Pa-

Patris Antonij de Eſcobar, & Mendoza patet ex ſuperior dictis ſolutione ad ſecundum, & tertium fundamentum, itaque dico prędictum textum ex cap. eos qui de ſent. excommunicat. loqui de abſolutione elargienda extra Sacramentum pœnitentię, vt de alijs tex. ſupra dixi. quare ad argumentum in forma reſpõdeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, nam præſentia ſuperioris non tollit Sacerdoti ſimplici iuriſdictionẽ abſoluendi à cenſuris reſeruatis illi conceſſam à Concilio Tridẽtino in mortis articulo, vt ſupra diximus num. præcedenti, nec exiſtens in tali periculo tenetur tunc neceſſario comparere corã ſuperiore licet poſtquam à dicto periculo exeat comparere teneatur. Vnde neganda eſt minor ſubſumpta: nam non bene argumentatur ille, qui eſt in articulo mortis, & habet cẽſuram aliquã ſuperiori reſeruatam à qua abſoluere non poteſt etiam in ipſo periculo, niſi cum onere comparendi quamprimum coram ſuperiore tranſacto dicto periculo; poteſt in eodem periculo exiſtens præſentare ſe ſuperiori ex eo, quod ibi eſt præſens ſuperior: ergo debet tunc ſe prędentare ſuperiori. hæc conſequentia non eſt legitima cum adſit alius Sacerdos habens iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis cenſuris, etiam præſente ſuperiore, vt ſupra probatum eſt, & conſtat ex capite his qui 26. quæſt. 6. & ex cap. ſi Prędbyter 26. quæſt. 6. atque ex cap. ab infirmis 26. quęſt. 7. qui textus Canonici vniuerſaliter, & abſque vlla limitatione affirmant Prędbyteros teneri in conſcientia in mortis articulo prędidium pœnitentię, & munus recõciliationis implorantibus non denegare in cap. enim ſi prędbyter, ſic dicitur; ſi prędbyter penitentiam morientibus abnegauerit reus erit: quia Dominus dicit, quacumque die conuerſus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur, vera enim confeſſio in vltimo tempore eſſe poteſt; quia Dominus nõ ſolum temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt: ſicut Latro vnius momenti pœnitentia meruit eſſe in Paradiſo in hora vltima confeſſionis. ita ibi, & in dicto cap. his, qui habentur hæc verba: his qui tẽpore neceſſitatis, & periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorare, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere; nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniæ moras conuerſio dicẽte Dei ſpiritu per Prophetam, cũ conuerſus ingemueris tunc ſaluus eris, & cætera. & in cap. ab infirmis, ita habetur ab infirmis in periculo mortis poſitis per Præsbyteros, pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum, & cætera. tum etiam quia conſtitutus in periculo mortis habet à iure canonico, & à Concilio Trident. facultatem eligendi Confeſſariũ ad ſuum beneplacitum, & liberã voluntatem: ergo poteſt eligere ſimplicem Sacerdotem, qui eum ab omnibus peccatis, & cenſuris abſoluat, etiam præſente ſuperiore, conſequentia patet, nam ſicut quando quis per Breue Pontificium habet poteſtatem eligẽdi ſibi in Confeſſarium, quemlibet Sacerdotem ſecundum ſuam electionem, & voluntatem poteſt eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum, etiam præſente ſuperiore,

re, ita ſimiliter in articulo mortis propter rationẽ dictam.

430 Ad primum fundamentum ſecundæ ſententiæ quatenus affirmat iuriſdictionem conceſſam omnibus Sacerdotibus abſoluẽdi à quibuſuis peccatis, & cenſuris in mortis articulo eſſe de iure diuino reſpondetur concedendo antecedens; & negando cõſequentiam: nam iuriſdictio abſoluendi à peccatis, & cenſuris in foro ſacramentalis pœnitentiæ ſolum Summo Pontifici competit de iure diuino, vt latè probat Pater Ioannes Martinon tractatu de legibus, & etiam ex eo patet, quod Summi Pontifices cũ aliquos caſus ſibi reſeruant, addũt interdum ſe eos ſibi reſeruare excepto articulo mortis, quã particulam fruſtra adderent, ſi iurisdictio circa illos in mortis articulo ab ipſis nõ dependeret. Deinde, quia Sacerdos in foro ſacramentalis pœnitẽtiæ abſoluit à peccatis, etiam in articulo mortis, vt verus iudex, vt conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 2. & 5. & canone 9. ergo non poteſt niſi ſubditos habere; atqui non habet ſubditos ex vi ſolius ordinis ſacerdotalis, & verborum illorum accipite Spiritũ Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, et cætera. ergo non habent iurisdictionem abſoluendi à peccatis, & cenſuris de iure diuino etiam in articulo mortis. probatur minor: nam aliàs ſi ex vi ordinis acciperent poteſtatem abſoluendi omnes, et quoſcunque Chriſtianos, etiam pro articulo mortis: acciperent etiam iuriſdictionẽ, et ſuperioritatem, in omnes, & ſingulos, & ſicut omnes Sacerdotes ſunt inter ſe, & cum Epiſcopis, & cum ipſo Summo Pontifice æquales in hac poteſtate ordinis; ita eſſent omnes Sacerdotes iudices ſupremi, & principes æquales abſque vlla ſubordinatione inter ſe, ſaltem pro articulo mortis, quod eſſet omnino contra omnem eccleſiaſticum ordinem, quem Chriſtus Dominus in Eccleſia ſua reliquit in qua voluit alios eſſe ſuperiores, & alios inferiores. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo concedẽdo maiorem, & negando minorem quoad ſecundã partem, nempe neceſſarium medium eſſe ad adimplẽdũ præceptum diuinum confeſsionis ſacramentalis in mortis articulo habere omnes Sacerdotes ex vi ſui ordinationis iurisdictionem à iure diuino communicatã immediatè à Chriſto Domino abſoluẽdi ab omnibus peccatis, & cenſuris cum ſufficiat iuriſdictio illis communicata ab Eccleſia, quæ, vt pia mater ab Spiritu Sancto gubernata ſuis fidelibus filijs prouidit omnibus medijs ad adimplenda præcepta, tam diuina, quam eccleſiaſtica, præcepuè in mortis articulo cõcedendo omnibus Sacerdotibus iurisdictionem abſoluendi omnibus fidelibus in mortis articulo; aut periculo conſtitutis à quibuſuis peccatis, & cenſuris, vt ex Tridentino, & ſacris Canonibus aperte conſtat.

431 Ad confirmationem reſpondetur cõcedendo maiorem, minorem, & conſequentiam, & cõceſſa minori ſubſumpta, neganda eſt conſequentia; nam licèt media conſequantur naturam finis, & ei confomentur, quatenus ordinantur ad eius conſecutionem; non debent eſſe eiuſdẽ ordinis, & rationis cum ipſo præſertim in moralibus, & ita licet in articulo mortis vrgeat præceptum diuinum cõfitendi peccata

cata mortalia nunquam confeſſa, non inde ſequitur, quod omnes Sacerdotes habeant iuriſdictionem à iure diuino abſoluendi in tali articulo à quibuſuis peccatis, & cenſuris, ſed ſufficit, quod illam habeant ab Eccleſia.

432 Ad tertium reſpondetur negando antecedens quoad ſecundam partem; nam licet auctores primæ ſententiæ affirment, quod ſi incepta confeſsione cum ſimplici Sacerdote veniat proprius Sacerdos; aut ſuperior pœnitens non teneri, cum proprio Sacerdote cõfiteri; ſed ſimplicem Sacerdotem poſſe abſolutionem impendere, quia ille ſimplex Sacerdos vſus fuit iuriſdictione ſibi delegata pro illo articulo conceſſa, & dicta iurisdictio: non ſpiret, quando res non eſt integra morte concedentis, ſed extendi poſsit vſque dum perficiatur, ex cap. gratum. cap. relatum de officio delegati; hinc eſt, quod etiam extendi debeat in hoc caſu, quod intelligunt de abſolutione à peccatis, quæ non habẽt annexam excommunicationem reſeruatam; nam ſi illam habent annexam dicunt debere prius ſimplicem Sacerdotẽ petere facultatẽ à Superiori abſoluendi à cenſura, aut petere, quod ipſe ſuperior ab illa prius abſoluat; quia ratione cenſuræ reſeruatæ non poteſt ſimplex Sacerdos pœnitentem abſoluere, etiã in mortis articulo, niſi cum onere comparendi coram ſuperiore quam primum potuerit ſi exeat ab illo periculo; & cum tunc ſuperior ſit præſens, non dubitãt pœnitentem teneri ſe præſentare ſuperiori, & ſimplicem Sacerdotem non poſſe eum alio modo à peccatis abſoluere, niſi caſu quod ſuperior non vellet abſoluere, nec dare ſimplici Sacerdoti facultatem ad abſoluendum, quia tunc poteſt, & debet cum abſoluere, tam à cenſuris, quam à peccatis. in noſtra autẽ ſententia verum eſt antecedens, quoad vtramque partem, & falſa eſt cõſequentia cuius falſitas manifeſte conſtat ex ſupradictis ſolum pœnitens abſolutus in tali caſu à cenſuris reſeruatis præſente ſuperiore per ſimplicem Sacerdotem, vel per alium, qui alioquin non poterat extra mortis periculum abſoluere tenetur ſi mortem euadat ſiſtere ſe ſuperiori nõ vt ruſſus ab eo abſolutionem accipiat ab illis cenſuris; ſed vt ſe oſtendat obedientem Eccleſiæ, & paratum ad exhibendam maiorem ſatisfactionem, ſi à ſuperiore imponatur, capiendamque ab illo medicinam, quæ conueniens ipſi videbitur. debetque à Confeſſario moneri de tali obligatione, cui ſi non paret, reincidit in eaſdem cenſuras: nam abſolutio prius data propter neceſsitatem, fuit tantum ad reincidentiam iuxta capite eos, qui de ſent. excommunicat. & cap. de cætero, & cap. ea noſcitur de ſententia excommunicationis.

433 Ad tertium fundamẽtum reſpondetur concedendo antecedens, quoad primam partem, & negando quoad ſecundam, nempè poſſe omnes Sacerdotes in mortis periculo abſoluere à peccatis independenter à iurisdictione eis ab Eccleſia communicata pro tali articulo: nam Sacerdotes omnes in ſua ordinatione accipiunt poteſtatem ordinis ad efficiendum Sacramentum pœnitentiæ, & remittenda peccata, ſuppoſita aliunde iurisdictione, quæ eſt altera poteſtas diuerſa à poteſtate ordinis, ſine qua tota in-

integra poteſt dari, ſiue ante Sacramentũ ordinis, ſiue poſt. licet verũ ſit, quod poteſtas ordinis quoad effectũ remiſſionis peccatorũ pẽdeat eſſentialiter à poteſtatate, iuriſdictionis, ſine qua nõ poteſt operari: quamuis poſſit ſinè illa exiſtere, & dari, dupplex autem eſt poteſtas remittendi peccata in pœnitentiæ Sacramẽto, altera ordinis, iuriſdictionis altera, quarum neutra præcisè ſumpta ſufficit, ſed vtramque exigit neceſſario pœnitentię Sacramentum. Vnde fit, quod Sacerdos, qui vi ſuæ ordinationis habet poteſtatem ordinationis, dumtaxat, non accipit ab illa præcisè plenam, & totalem remittendi peccata poteſtatem in Sacramento pœnitentiæ, cum totalis illa poteſtas conſiſtat, in duabus illis partialibus ordinis videlicet, & iuriſdictionis, quare neganda eſt conſequentia, cum de iure diuino tantum habeant Sacerdotes ſuriſdictionem incõpletam remittendi peccata, quæ eſt poteſtas ordinis.

434 Ad vltimum fundamentum reſpondetur negando maiorem: nam Apoſtoli ex vi illorum verborum præcisè nempè accipite Spiritum Sãctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, aut ex vi ſimplicis ordinationis in Sacerdotes, vel Epiſcopos, non acceperunt vtramquè iuriſdictionem, quamuis ſimul cum ordinatione Sacerdotali, & Epiſcopali iuriſdictionem vniuerſalem in chriſtianos omnes acceperint ſpeciali priuilegio ratione neceſſitatis, & Apoſtolicæ dignitatis illis conceſſo, & cum Epiſcopis eorum ſucceſſoribus nõ communicato, nam Epiſcopi abſolutè ordinati, aut mere titulates alicuius loci, in quo nullus chriſtianus exiſtit, ſicut nullos habent ſubditos, ita neque vllã iuriſdictionem, quæ ſine ſubditis eſſe non poteſt, & idem eſt de Epiſcopis illis, qui abſolutè priuantur ſuo Epiſcopatu, aut cum Summi Pontificis venia illum renunciant, hi enim omnes ſunt quidem Epiſcopi quoad ordinationem, & poteſtatem ordinis, tamen ſi careant iuriſdictione, quam, vel nondum acceperunt, vel ea expoliati ſunt.

435 Secundo reſpondetur retorquendo argumentum in ſuum auctorem; quia per te omnes ſacerdotes in mortis articulo funguntur eadem iuriſdictione quo ad forum conſcientiæ, qua funguntur Apoſtoli: ergo etiam fũguntur omnes Sacerdotes eadẽ poteſtate etiam extra mortis articulum, & cum iſta Apoſtolorũ iuriſdictio ſit de iure diuino per te, conſequens eſt, vt omnes Sacerdotes tam in articulo mortis, quam extra illum habeant iuriſdictionem à iure diuino abſoluẽdi ab omnibus peccatis quoſcũque pœnitentes ipſis confiteri volentes, quod nemo dicit. probatur prima conſequentia; nam per te eadem poteſtas, quæ cõceſſa fuit Apoſtolis à Chriſto Domino virtute illorum verborum Ioannis cap. 20. Accipite Spiritũ Sanctum quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis, communicatur omnibus Sacerdotibus in ſua ordinatione virtute prædictorum verborum; atqui Apoſtolis fuit communicata dicta poteſtas, & iuriſdictio remittendi peccata omnibus fidelibus non ſolum in articulo mortis, ſed etiã extra illum: ergo ſimiliter omnibus Sacerdotibus in ſua ordinatione fuit communicata eadẽ poteſtas à iure diuino remittendi peccata non ſolum in mortis articulo, ſed etiam extra illum

ab-

abſque vlla exigentia, & depẽdentia ab humano iudicio, quod eſt expreſsè contra Concilium Tridentinum, & contra ſacros canones, vt de ſe manifeſtum eſt. nec valet dicere Sacerdotes omnes accipere immediatè à Chriſto Domino iuriſdictionem abſoluendi quemcumque fidelem ſolum pro articulo, aut periculo mortis non tamen extra illum, Apoſtoli autem dictam iuriſdictionẽ à Chriſto Domino accipere immediatè abſq; aliqua limitatione, hoc inquam non valet, imò potius gratis dicitur, cum neque ex aliquo concilio, neque ex ſacris Canonibus, imo oppoſitum manifeſtè colligatur, vt ſupra probauimus, neque eſt aliqua probabilis ratio, quæ hoc perſuadeat.

RESOLVTIO XXVI.

Vtrum Sacerdos ſimplex, ſiue ſecularis, ſiue regularis non approbatus à ſuo Ordinario, poſſit Regularium confeſſiones excipere de licentia ſui ſuperioris.

436 SVppono tamquam certum poſſe Sacerdotes regulares approbati à ſuis ſuperioribus Prouinciali, videlicet, vel Generali excipere confeſſiones aliorũ Religioſorum ſuæ Religionis, etiam ſi ab Epiſcopo non ſint approbati, quod idem dico de approbatione facta à ſuperioribus localibus pro excipiendis confeſſionibus ſuorum ſubditorum; (dum non adſit conſtitutio religionis incontrarium) quia omnes ſuperiores etiam locales habent iurisdictionem ordinariam in ſuos ſubditos, & conſequẽter poſſunt illam alteri delegare, vt conſtat ex cap. quibus de officio ordinarij, & communiter docẽt Doctores non obſtante decreto Cõcilij Tridentini ſeſs. 23. cap. 15. de reformatione, vbi ſic dicitur: decernit sãcta Synodus nullum etiam regularem poſſe confeſsionem ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneũ reputari, niſi aut parochiale: beneficium, aut Epiſcopis per examen; ſi illis videbitur eſſe neceſſariũ, aut alias idoneus iudicetur, & approbationẽ, quæ gratis detur obtineat: & cætera: nã ex verbis ipſius Concilij conſtat, nihil inuocari circa confeſsiones pœnitentis regularis, ſiue is ſit vir, ſiue fœmina, cum ſolum requiratur à Cõcilio Epiſcopi approbatio ad audiendas confeſsiones ſæcularium.

437 Quare tota difficultas eſt, an non obſtante præfato Tridentini decreto poſsit religioſus de licentia ſui prælati, etiam locali confiteri cuilibet Sacerdoti ſimplici etiam ſæculari. Pro negatiua ſententia citat Pater Leander à Sanctiſsimo Sacramento part. 1. tract. 5. de pœnitentia diſp. 11. quæſt. 45. Ioannem Mariam Nouarium tract. de electione fori. quæſt. 69. num. 21. ſed in hac quæſt. nihil de hoc puncto tract. ſolum vt probet milites Sãcti Ioannis hieroſolimitani, qui vulgo dicũtur equites de Malta, nec non, & equites Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ eſſe propriè, & in rigore religioſos. Aſſerit tamẽ nũ. 22. quod quemadmodũ Religioſi poſsũt ſe cõfiteri; apud Sacerdotem regularem non approbatum ab ordinario, ſic pariter, & huiuſmodi milites, ſiue æquites. Sancius in ſuis ſelectis diſp. 49. n. 11. & 13. & recẽter Pater Antoninus Diana in ſuis moralibus reſolutionibus tract. de immunitate eccleſi-

afti-

aſtica reſol. 49. circa finem vbi dicit id tãquam nouum eſſe valde notandum, qui licet loquatur de Sacerdote ſæculari, tamen credo impreſſorum in curia id accidiſſe quia aliàs falſa, & contra ſacri Concilij Tridentini mẽtem eſſet eius opino. ita Ioannes Maria Nouarius. Ex quibus verbis colligitur ipſum defẽdere nõ poſſe ſimplicem Sacerdotem ſæcularem non approbatum ab Epiſcopo confeſsiones religioſorũ excipere, etiam de licentia ſui ſuperioris. præcipuè æquites Religionum militarium fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt textum ſupra allegatum Concilij Tridentini dicta ſeſſione 23. cap. 15. vbi dicitur nullum etiam regularem poſſe confeſſiones etiam Sacerdotum audire, niſi aut parochiale beneficium habuerit, aut ab Epiſcopis per examen, aut aliàs idoneus iudicetur; atqui in Sacerdote ſimplici ſæculari nulla ex aſſignatis conditionibus à Concilio reperitur: ergo non poteſt, nec licitè, nec validè audire confeſſiones Religioſorum regularium, etiam de licentia ſui ſuperioris.

438 Dicendum tamẽ eſt poſſe Religioſum Regulaeem de licentia ſui Prælati confiteri cuilibet Sacerdoti ſimplici etiam ſæculari, ita Sà verb. Confeſſor numer. 6. Suarez tom. 4. in 3. part. diſput. 28. ſect. 4. nu. 5. Bonacina diſp. 5. quæſt. 7. num. 25. Sancius in ſelectis diſp. 49. num. 7. Granados in 3. part. tract. 10. diſp. 5. ſectione 1. num. 3. Trullench. in expoſitione bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 1. num. 5. Cãdidus tom. 1. diſquiſit. moraliũ diſquiſit. 3. cap. 39. dubitatione 1. concluſ. 2. Eminentiſsimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 21. ſect. 1. nu. 2. Pater Franciſcus Bardi in bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 2. ſect. 2. nu. 21. Machadus tom. 1. lib. 1. par. 2. tract. 5. punct. 5. num. 2. Pater Geſuald de Bonon. de miniſtro abſolutionis ſacramẽtalis tit. 7. c. 1. num. 35. Barboſa in Trident. ſect. 23. de reformatione cap. 15. quos citaui in mea quæſtione apologetica morali §. 14. nu. 115. & præter hos Doctores eam defendunt Diana part. 3. tract. 2. reſol. 3. Vaſquez tom. 4. in 3. part. quæſt. 93. art. 3. dub. 3. nũ. 5. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 1. & iterum Diana part. 8. tract. 1. reſol. 86. in fine Aegidius de Coninch. diſp. 8. dub. 7. num. 48. Thomas Hurtado tom. 2. trac. 12. cap. 1. §. 2. dub. 5. num. 207. Andreas Mendo in bullam Cruciatæ diſp. 22. cap 2. num. 24. Rodriquez tom. 1. quæſtionum regul. quæſt. 62. art. 4. & 5. Pater Gaſpar Hurtado de Sacramẽtis diſp. 10. de pœnieentia difficult. 13. Reuereudiſſimus Pater Fr. Franciſcus Bordonus Tertij Ordinis Sancti Franciſci digniſſimus Generalis tom. 1. conſiliorum regul. reſol. 2. quæſt. 11. num. 23. & reſol. 4. quæſt. 1. nũ. 1. D. Marcus Vidal in arca vitali tract. de iuriſdictione inquiſit. 6. num. 163.

439 Probatur hæc ſententia; quia Prælati regulares, tam ſuperiores, quam locales, ſeu ordinarij, ſunt proprij Sacerdotes reſpectu ſuorum ſubditorum, & habent in illos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; atqui proprius Sacerdos poteſt ſubdito ſuo concedere licentiam, vt alieno Sacerdoti confiteatur: ergo poteſt quilibet Sacerdos ſimplex, ſiue regularis, ſiue ſæcularis licitè, & validè excipere confeſſiones Religioſorum de licentia ſui Prælati

ti. Deinde; quia vt dixi in mea quæſtione apologetica loco ſuperius citato Concilium Tridēt. ſeſſione 23. de reformatione cap. 15. nihil innouauit circa confeſſiones pœnitentis regularis, cum de confeſſione ſęcularium ſolum ibi ſit ſermo. Ex quo conſtat reſponſio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

440 Ex dictis infero primo contra Rodriquez vbi ſupra art. 5. & cōtra Candidum dicta diſquiſit. 3. art. 39. dubitat. 1. concluſione 4. Religioſos regulares habētes facultatem à ſuis Superioribus cōceſſam eligendi Confeſſorem, ſiue ratione itineris, ſiue alia rationabili cauſa, poſſe eligere quemcumque Sacerdotem ſimplicem ab Epiſcopo non approbatum, ſiue talis Sacerdos ſit regularis, ſiue ſæcularis, dummodo aliàs talis Sacerdos nō ſit impeditus, & ſit ſufficiens, & idoneus, quod non difficile poteſt pœnitens Religioſus prudēti diligentia, aut interrogando, aut aliter diſcernere, cuius ratio eſt; quia Prælatus regularis poteſt ſuis ſubditis concedere facultatē eligēdi Confeſſorem non Parochum, & non approbatum: ergo quando generaliter, & abſq; reſtrictione conceditur facultas eligendi Confeſſarium verè cōceditur facultas eligendi quemlibet aliàs non impeditum dummodo ſit ſufficiens, & idoneus, ita Paludanus in 4. diſt. 17. quęſt. 3. art. 2. Gabriel quæſt. 2. dub. 5. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 3. Adrianus ibidem quæſt. 5. de confeſſione dub. 1. & alij quos citat, & ſequitur Gaſpar Hurtado de Sacramentis diſp. 10. de pœnitent. difficultate 13.

441 Secundo infero poſſe Prelatos locales, ſeu commendatores noſtræ recollectionis, aut ratione itineris, vel alia rationabili de cauſa ſuo ſubdito facultatē concedere, vt cuilibet Sacerdoti noſtræ religionis confiteatur, non obſtante diſpoſitione noſtrarum conſtitutionum diſt. 1. cap. 23. de confeſſionibus, & cōfeſſoribus, vbi prohibetur commendatoribus auctoritas cōcedendi facultatē ſimplicibus Sacerdotibus excipiendi confeſſiones noſtrorum Religioſorum etiam Sacerdotum, per hæc verba: declaramus ſimplices Sacerdotes noſtræ Religionis (illos videlicet, qui Prouincialis; vel Vicarij Generalis licentiam, & approbationem non habent) nullam habere iuriſdictionē ad audiendas confeſſiones fratrum etiam Sacerdotum, ſi tamen fortè ratione conſuetudinis (quoad hoc) aliqua tacita. Viget facultas illam præsēti decreto annullamus, decernentes, vt à nullo Prælato, pręterquam à Patre Vicario Generali, vel Prouinciali vnquam licentia cōcedatur: aliàs ſit nullius roboris, & momenti, quod intelligi volumus, ſiue intra, ſiue extra conuentū exiſtant. quia noſtra conſtitutio intelligitur ſecluſo priuilegio, cum autem ſuperiores locales poſſint ex priuilegio eis conceſſo à Sixto Quarto religioſis ſuis ſubditis concedere facultatē (ratione itineris, aut alia rationabili cauſa) eligendi in Confeſſarium quemcumque Sacerdotē ſimplicem ſaltem regularem, vt teſtatur Manuel Rodriquez tō. 1. quæſtionum regul. quæſt. 62. art. 5. non eſt cur hæc authoritas Prælatis Ordinarijs noſtræ Religionis denegetur, quod idē affirmat Magiſter Vincentius Candidus tom. 1. diſquiſitionum moralium diſquiſit. 3. artic. 39. dubitat. 2. de prioribus ordinis

diſtinct. 1. cap. 14. vbi habetur, quod ſolus Magiſter Generalis ordinis poſſit ſuis Religioſis concedere, vt confiteantur Confeſſario alterius ordinis.

442 Tertio infero poſſe Equites militares Sancti Ioannis, Diui Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & cætera confiteri ſimplici Sacerdoti non approbato ab ordinario, ſiue talis Sacerdos ſit regularis, ſiue ſæcularis de licẽtia tamẽ ſui Prælati ita ſentiũt Auctores, qui dicũt dictos Equites militares, tam Diui Ioannis Hieroſolymitani, quam Diui Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, & cætera eſſe verè, et propriè religioſos; excepto Diana, qui quãuis part. 1. tract. 2. de immunit. eccleſiaſt. reſol. 50. & part. 3. tr. 2. de dubijs Regularium reſol. 30. et part. 4. tract. 1. de immunitate eccleſiaſtica reſol. 36. affirmet prædictos Equites militares eſſe in toto rigore Religioſos, nihilominus dicta part. 3. tract. 2. de dubijs Regularium reſol. 30. poſt quam refert opinionem aſſerentium poſſe dictos Equites militares cõfiteri ſua peccata Sacerdoti ab Epiſcopo non approbato, hanc difficultatem alijs cogitandam relinquit. part. autem 8. tract. 7. reſol. 96. abſolutè partem negatiuam ſubſtinet, quia iudicat conſuetudinem eſſe in contrarium. Sed certè lõgè probabilius eſt poſſe prædictos Equites militares cõfiteri ſua peccata Confeſſarijs non approbatis ab Epiſcopo: tum quia vt dixi in mea quęſtione apologetica morali §. 16. à num. 130. prędicti Equites ordinum militarium ſunt verè, et propriè religioſi ex vi ſuæ inſtitutionis, et ideo gaudẽt priuilegio cõfitendi non approbatis ab Epiſcopo, vt docet Bordonus to. 1. conſil. Regul. reſol. 37. quęſt. 26. num. 70. quia huiuſmodi approbatio Epiſcopi ſolum requiritur pro audiendis confeſsionibus perſonarum ſæcularium; atqui prædicti Equites ordinum militarium ſunt verè, & propriè Religioſi, vt ſuppono ex dictis in mea apologetica quęſtione loco ſuperius citato: ergo non comprehendũtur in decreto Concilij Tridentini, & conſequenter poſſunt ſua peccata cõfiteri Sacerdotibus ab Epiſcopo non approbatis. quidquid in cõtrarium dicat Diana dicta par. 8. tract. 7. citato reſol. 96. & part. 10. tract. 16. & 6. Miſcellaneo reſol. 76. §. verum has ſententias vbi in ſui fauorem citat Magiſtrũ Lezana tom. 2. ſummæ regular. cap. 5. num. 45. vbi ſic ait; licet aliqui credant hos milites gaudere priuilegio aliorum regularium, de quo tom. 1. cap. 18. n. 27. quod ſcilicet poſsint confiteri peccata ſua Confeſſario etiam nõ approbato ab Ordinario, nihilominus, quia in hoc attendenda eſt conſuetudo, tam ea quæ fuit inter hos milites ante Concilium Tridentinum, quam poſt illud, & hæc ſit in contrariũ, vt ipſe Diana teſtatur nullatenus aſſentiendum eſt huic ſententiæ, ſed vt falſa reijcienda. ita Lezana, qui dictam conſuetudinem in contrarium non probat, ſed eã ſupponit; quare immerito opinionem cõtrariam falſam appellat, & vt talem eſſe reijciendam, tum etiam; quia vt bene aduertit Pater Franciſcus Bordonus vbi ſupra etiamſi prædicti milites regulares nõ eſſent propriè, & ſtrictè Religioſi adhuc gauderent priuilegio confitendi ſua peccata Sacerdotibus ab Epiſcopo non approbatis; nam præfati milites non ſunt ſæculares, neq; ſub hoc nomine veniunt in fauora-

rabilibus, aut odioſis, & conſequenter non comprehenduntur in decreto Tridentini: quia quomodo ſint religioſi gaudent priuilegijs propriorum religioſorũ, gaudent enim priuilegijs fori, & canonis, vt fatetur ipſe Diana inferre omnibus locis ſuperius citatis, & magiſter Lezana vbi ſupra nu. 38. & multis alijs citatis docet Ioannes Maria Nouarius de electione, & variatione fori quæſt. 69. & ſunt exempti à iuriſdictione Epiſcopi ſicut cæteri regulares, exceptis quibuſdam caſibus, quatenus gerunt vicẽ perſonę publicę apud ſęculares, vt docet Rodriquez to. 2. ſummæ quæſt. 59. art. 5. §. Secũdo: ergo gaudent priuilegio confitendi ſua peccata Sacerdotibus non approbatis ab Epiſcopo: ergo ſufficit quod cõfiteantur iuxta decreta ſuarum regularum de ordine tamen ſuorum ſuperiorum.

RESOLVTIO XXVII.

Vtrum ſimplex Sacerdos poſſit de licentia Parochi excipere confeſſiones ſubditorum ipſius Parochi abſq; Epiſcopi approbatione.

443 HAnc difficultatem latè tractaui in mea quæſt. apologetica morali in defenſionem Doctoris D. Marci Serio §. 22. per totum vbi tres retuli ſententias, duæ ex Diametro oppoſitę, & alia quaſi media via tenens: ſed quia nunc inueni affirmatiuam ſententiam nouiter acriter defẽſam à quolibet erudito Doctore moderno, ideò eamdem difficultatem iterum examinare decreui. partem igitur affirmatiuã prẽter auctores à me citatos dicto §. 22. nouiſsimè defendit erudi-

444 tus Pater Petrus Demurga monachus Benedictinus Emilianẽſis in ſuis quæſtionibus paſtoralibus, ſeu de iure, & poteſtate Parochi vnitarum Eccleſiarum part. 3. quæſt. 17. concluſione prima. quam probat primo ex cap. omnis vtriuſque ſexus 12. in quo Concilium Lateranenſe, ſub Innocentio Tertio, ita definit. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua ſolus peccata ſaltẽ ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. & infra ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuxta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote; cum aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, vel ligare.* Atqui hæc iuriſdictio in dicto cap. conceſſa Parocho deligandi alteri Sacerdoti ſuam iuriſdictionem ad excipiẽdas cõfeſsiones ſuorum ſubditorum non fuit derogata per Concilium Tridentinum tunc, quia cum hęc decretalis ſit inſerta in corpore iuris, ſitque ius commune non intelligitur derogata, niſi ſit expreſſa mentio de illa: tum etiam, quia Concilium ſolum derogat priuilegia, & conſuetudines: ergo cum Parochi non habeant ex conſuetudine, ſed à iure poteſtatem hanc delegandi ſuam iuriſdictionenem alteri Sacerdoti ad ſuarum ouium confeſſiones audiendas vtique poterunt eam delegare non obſtante Concilio Tridentino, poteritq; Sacerdos ſimplex ab Epiſcopo non approbatus dictas confeſsiones audire licitè, & validè de licentia Parochi.

Secundo probat, quia Parochus iure ordinario, & ratione ſui officij, & proprij muneris poteſt & debet ſuis ſubditis pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, &

ipſi ſubditi tenẽtur ſaltem ſemel in anno omnia ſua mortalia peccata ſuo Parocho confiteri; atqui qui ex iure ordinario, & ex proprio munere, et officio poteſt per ſe ipſum aliquid exercere poteſt, et per idoneam perſonam id efficere ſuam vtique poteſtatem, et iurirdictionem delegando: ergo poterit Parochus ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo ſuã delegare iuriſdictionem ad ſuarum ouium cõfeſsiones excipiendas. conſequẽtia eſt formalis, et maior manifeſtè cõſtat, tum ex dicto cap. omnis vtriuſque ſexus, tum etiam ex cap. placuit 3. de pœnitentia diſtinct. 6. ibi enim Vrbanus Secundus ſic definit *Placuit, vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quẽlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine eius conſenſu, cui prius ſe commiſit.* vbi Gloſſa verbo cõmiſit, ita ait, *cõmiſit ideſt, cuius Parochianus eſt, ab alio enĩ nõ poteſt ligari, vel ſolui, & verbo pro ignorãtia ſic inquit. Sed nũquid eſt vtilis talis confeſſio quam quis accipit à non ſuo Iudice contra hanc cõſtitutionem*, minor autem nota eſt in iure, nihil in eo clarius inuenitur, quam quod Ordinarius ſuam valeat. Iuriſdictionẽ delegare, in cap. his quibus 20. & fin. eod. ſic Gregorius Papa Nonus adhuc ad rem definit præſentem, *his quibus ex officio incertis caſibus competit illos abſoluere, qui pro violenta manũ iniectione, incidunt in canonem ſententiæ promulgatæ, licet aliis huiuſmodi abſolutionem committere cum videtur expedire*, & Gloſſa verbo caſibus poſtquam dixit Epiſcopum, Abbatem, & quemlibet Sacerdotem poſſe ab hac excommunicatione certis caſibus abſoluere, addit, *& in omnibus his caſibus perſonæ ſuperius nominatæ, cum viderint expedire, poſſunt ſuper his iure ordinario committere vices ſuas auctoritate huius canonis.* vbi notari debent illa verba iure ordinario cõmittere vices ſuas: quibus quidem comprobatur veritas huius minoris propoſitionis à D. Marco Vidal in ſua Arca vitali tract. de iuriſdict. inquiſit. 2. num. 1. vbi ait, pro maiori intelligentia notandum eſt primo certum eſſe, vt alibi diximus hanc iuriſdictionẽ in foro poli delegare poſſe omnes illam habentes ordinariam ex cap. inter cætera ex officio ordinario, & ex cap. omnis vtriuſque ſexus, delegatio enim eſt vnus ex proprijs actibus iuriſdictionis ordinariæ, & in capite cũ Epiſcopus 7. de officio ordinarij lib. 6. Bonifacius Papa Octauus decernit: *cum Epiſcopus in tota ſua diœceſi iuriſdictionem ordinariam noſcatur habere: dubium non exiſtit, qui in quolibet loco ipſius diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium poſſit pro tribunali ſedere; cauſas ad Eccleſiaſticum forum ſpectantes audire; perſonas eccleſiaſticas cum earum exceſſus exeãt officium liberè exercere.* Cuius Gloſſa verbo per aliũ ſic ait, *quod enim poteſt per ſe, & per alium*, & in regulis iuris in 6. Regula 68. ita habetur: *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*, atqui Parochus habet à iure per ſe ipſum ſuis ouibus pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare: ergo hãc propriã ſui ipſius iuriſdictionem poterit alteri Sacerdoti delegare. Vnde, vt bene dixit Nicolaus Brauo tractatu monaſtico, cap. 18. nu. 12. de monacho ab Epiſcopo approbato ad audiendas confeſſiones, & ab Abbate pro exercitio curæ Eccleſiæ monaſterio annexæ poſito, quod & ſi ad nutum

tum amouibilis ab Abbate positus sit tamen dum gerit officium est verè Parochus, non commissarius alterius, sed qui vt talis proprius, possit committere vices alteri; hæc sunt fundamẽta Patris Petri de Murga pro hac sententia.

445 Sed quamuis hæc sententia valde probabilis sit (quidquid in contrarium cum Suarez disp. 28. sect. 4. num. 12. & 13. Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 43. & alijs dicat Diana part. 10. tract. 16. resol. 75.) dicendum tamen existimo longè probabiliorem esse sententiam asserentẽ parochum post Concilium Tridentinum nullo modo posse suã iurisdictionem simplici Sacerdoti ab Episcopo non approbato delegare ad suarum ouium confessiones audiendas, ita sentiunt præter auctores à me allegatos dicta quęstione apologetica Magister Candidus tom. 2. disquisit. 24. arr. 65. nu. 4. Hurtado disp. 10. difficult. 16. Petrus Fray in additionib. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. disp. 1. Granados tract. 10. disp. 5. num. 4. Campanilis rubrica 12. cap. 3. num. 61. quos inter alios citat, & sequitur Leander à Sanctissimo Sacramento part. 1. tract. 5. de pœnitentia disp. 11. quæst. 56. quam sententiam latè probaui in mea quæstione apologetica loco supra citato à num. 245. videantur, quæ ibi dixi.

446 Ad fundamenta Patris Petri de Murga respõdeo, quod sicut dixi in dicta quæstione Apologetica §. 23. licet Concilium Tridentinum non priuet Parochis iure suo, imo reliquat eis potestatem antea; tamen Concilium per illa verba generalia nempe nullus Sacerdos etiam Regularis potest sęcularium confessiones audire, neque ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quę gratis detur obtineat. aliquos Sacerdotes, nempè ab Episcopo non approbatos ad confessiones audiendas fecit incapaces, vt à Parochis sua iurisdictio, delegaretur, neque ad hoc facere (vt suprà dixi) oportuit specialem mẽtionem de Parochis: nam redita in habili persona ad recipiendam iurisdictionem. iam indirectè Parochus nõ potest ei delegare suam iurisdictionem. quare ad primum argumentum respondetur concedẽdo maiorem, & minorem, & negando suppositum cõsequentiæ, & ipsam consequentiam, supponit enim falso simplicem Sacerdotem esse capacem recipiendi à Parocho iurisdictionem excipiendi confessiones suorum subditorum, & eodem modo respõdetur ad secundum argumentũ: nam aliud est, quod Parochus possit ratione sui officij delegare alteri Sacerdoti suam iurisdictionem ad suarum ouium cõfessiones audiendas, aliud vero quod simplex Sacerdos sit capax recipiendi talem iurisdictionem, primum est verum, & secundum falsum: & ob hanc rationem nõ potest Parochus suam delegare iurisdictionẽ simplici Sacerdoti ad suorum subditorum confessiones audiendas.

RE-

RESOLVTIO XXVIII.

Vtrum Parochus poſsit ſuam iuriſdictionem delegare ad ſuorum ſubditorum confeſsiones audiendas cuicumque Parocho alterius Diœceſis, aut cuicumque Sacerdoti à quocumque Epiſcopo approbato extra Diœceſim.

447 IN præſẽti nõ poteſt eſſe cõtro uerſia cũ Doctoribus aſſerẽtibus poſſe Parochos ſuã delegare iurisdictionem ad ſuarum ouiũ cõfeſſiones audiẽdas ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, nam ſi ſemel poſſunt Parochi (vt eſt valdè probabile) ſimplici Sacerdoti non approbato dictam iuriſdictionem delegare potiori iure eam delegare poſſunt Parocho alterius Dięceſis; aut Sacerdoti à quocũq; Epiſcopo approbato. Difficultas igitur ſolum eſt cũ Auctoribus, qui negant poſſe Parochum ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo ſuam delegare iuriſdictionem ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſsiones; Anſcilicet hoc non obſtante poſſint Parochi exponere alium quemcumque Parochum ad cõfeſſiones in ſua parochia audiendas, & etiam Sacerdotes à quocumque Epiſcopo etiam extra dięceſim approbatos, quoad primam partem huius difficultatis negatiuè reſpõdent Petrus de Leone de officio, & poteſtate Confeſſoris tom. 2. recoll. 4. num. 79. vt ex Diana part. 3. tr. 4. reſol. 146. refert Leander à Sanctisſimo Sacramẽto part. 1. tract. 5. diſp. 11. quęſt. 58. Guttierrez lib. 1. quæſt. canon. cap. 17. loquendo de Parocho extra Dięceſim Parochi exponentis exiſtente.

448 Sed communis, & vera Doctorum ſententia eſt Parochum poſſe exponere alium Parochũ ad confeſſiones audiendas in ſua parochia. ita Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcep. 2. lib. 7. cap. 1. num. 36. Filliucius tom. 1. tract. 7. num. 257. Suarez tõ. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 4. Toletus lib. 3. cap. 13. num. 6. Trullench. in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 4. num. 3. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 146. Ludouicus à Cruce de expoſit. Bullæ Cruciatæ diſp. 1. cap. 2. dub. 24. num. 1. Leander loco ſuperius citato, Pater Franciſcus Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. trac. 5. cap. 2. ſect. 2. num. 14. quos retuli in mea apologetica quęſt. morali §. 23. num. 261. D. Marcus Vidal in arca vitali tract. de iuriſdictione inquiſit. 2. num. 11. vbi ſic ait notandum octauo, quod Parochi habentes Beneficium cum cura animarum, cenſentur iure ipſo approbati pro omni loco, & poſſunt eligi ab omni eo, qui facultatem habet eligendi Confeſſariũ; vnde poſſunt eligi in iubilæis, in quibus quamuis dicatur (vt quis poſſit eligere Confeſſarium ab ordinario approbatum) per illam particulam, enim, ab ordinario non cenſentur excluſi approbati ab ipſo iure, ſed potiori ratione comprehendi, vt intelligenti patet. & inter alios Doctores notauit Ioannes Præpoſitus quæſt. 8. de approbatione dub. 2. num. 5. Pater Petrus de Murga de poteſtate Parochi part. 3. quæſt. 2. de pœnitentia num. 8. Et probatur; quia Parochus habet à iure facultatem delegandi Sacerdoti idoneo ſuam iuriſdictionem ad ſuorum ſubditorum cõfeſsiones audiendas, vt conſtat ex dictis reſolutione præcedenti; atqui

qui-

quilibet Parochus, etiam exiſtẽs extra propriam Diœceſim,& capax recipiendi prædictam iuriſdictionem à Parocho potẽte dictam iuriſdictionem delegare: ergo, & cætera. Probatur minor quia ille declaratur idoneus Sacerdos ad ſæcularium confeſſiones audiendas à Concilio Tridẽtino ſeſſione 23. cap. 15. qui aut beneficium parochiale, aut ab Epiſcopo per examẽ ſi illi videbitur expedire, aut idoneus iudicetur approbationem obtineat: ergo Parochi habẽtes beneficium cum cura animarum cẽſentur iure ipſo approbati pro omni loco; ergo Parochus poteſt exponere alium quemcumque parochum ad audiendas cõfeſſione in ſua parochia.

449 Quantum ad ſecundam reſolutionis partem negatiuam ſententiam ſuſtinent Petrus de Leone, & Guttierrez locis citatis, Nugnus 3. parte quæſt. 8. art. 5. dub. 7. ad 4. Gaſpar Hurtado de ſacramentis diſp. 10. difficult. 17. Vaſquez tom. 4. in 3. part. quæſt. 93. art. 3. dub. 4. Ochagauia de Sacramentis tract. 2. quæſt. 40. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 100. in fine, & part. 10. tract. 16. reſol. 75. vbi affirmat, quod poſt bullam Innocẽtij 10. datam ſub die 9. Maij 1648. oppoſitum eſt improbabile, Pater Andreas Mẽdo in bullam Cruciatæ diſp. 22. cap. 10. Corollario 6. numer. 107. Rodriquez in additione ad §. 9. Bullæ Cruciatæ numer. 13. probatur primo hæc ſententia à Ochagauia loco citato num. 4. ex verbis Concilij Tridẽtini dicta ſeſſione 23. cap. 15. vbi dicitur, nullum Sacerdotem poſſe audire confeſſiones, niſi ab Epiſcopis iudicetur idoneus, atqui ſi approbatio vnius Epiſcopi pro omni loco ſufficeret, non diceretur ab Epiſcopis, ſed ab Epiſcopo: ergo ad hoc vt aliquis Sacerdos audiat confeſſiones ſæcularium etiam de licentia Parochi debet eſſe approbatum ab Epiſcopo illius diœceſis, vbi cõfeſſiones audit. Secundo probatur ex quodam decreto Cõgregationis Cardinalium in fauorẽ Archiepiſcopi Valentini, vbi dicto Archiepiſcopo ſic fuit reſpõſum. Congregatio Cardinalium Concilij reſpondet approbatos ab alio, quam ab ab Epiſcopo Valentino in diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab ordinario, & idem reſpondet Cõgregatio Cardinalium domino Ludouico Fernãdez de Cordoua Epiſcopo Salmantino; atqui nemo poteſt audire cõfeſſiones, niſi ſit approbatus ab ordinario; ergo cum ordinarij nomine intelligatur ille in cuius diœceſi quis audit confeſſiones, non poteſt approbatus ab vno Epiſcopo in omni loco audire confeſſiones, nec virtute bullæ cruciatæ; nec ratione approbationis proprij Parochi eorum pœnitẽtium quorum cõfeſſiones audit. Tertio probatur, quia Gregorius 13. conceſſit Patribus Societatis Ieſu priuilegium, vt ſemel approbati, & à Superioribus expoſiti, quando interfaciunt per alias diœceſes, quod poſſint ibi audire confeſſiones fidelium: ergo ſine eo priuilegio hoc facere non poterant. Quarto probatur, quia ex oppoſita ſentẽtia ſequeretur non poſſe Epiſcopum alienum ſubditum approbare ad audiendas confeſſiones in ſuo Epiſcopatu, qui non eſſet approbatus à proprio Epiſcopo; atqui hoc eſt falſum, & contra praxim Eccleſiæ: ergo & illud ex quo ſequitur: probatur ſequela, nam ſicut Epiſcopus habet à iure ordi-

dinariam iuriſdictionem in ſuos ſubditos in ordine ad Sacramentorum adminiſtrationem; ſimiliter parochus habet à iure iuriſdictionem ordinariam in ſubditos ſuę parochiæ in ordine ad ad miniſtrationem ſacramentorum atqui Parochus nõ poteſt ſuam; delegare iuriſdictionem ſimplici Sacerdoti non approbato à ſuo Epiſcopo ad ſuorum ſubditorũ confeſſiones audiendas, aut diximus reſolutione præcedenti. Ergo nec Epiſcopus poterit exponere alienum Sacerdotem nõ approbatum à ſuo Epiſcopo ad audiendas confeſſiones in ſuo Epiſcopatu, quod eſt falſum: ergo vt aliquam conſtituamus differentiam inter Epiſcopos, & Parochos aſſerere debemus Epiſcopos poſſe approbare alienum Sacerdotem, ſiue approbatus ſit ſiue non à proprio Epiſcopo, ad audiendas confeſſiones in ſuo Epiſcopatu; parochus vero non ita niſi Sacerdos ſit approbatus in ea dięceſi in qua audit confeſſiones. Quinto probatur, quia valdè conueniens videtur, quẽlibet Epiſcopum approbare eos Sacerdotes, qui in ſua Diœceſi audituri ſunt confeſſiones ſuorum ſubditorum, vt videat an habeant ſcientiam, & prudentiam neceſſariam ad Sacramentum pœnitentiæ ſuis ſubditis ad miniſtrandum: ergo neceſſario requiritur hæc approbatio Epiſcopi diœceſani, vt Parochi poſſint Sacerdoti facultatem cõcedere audiendi confeſsiones in ſuis Parochijs.

450 Dicendũ nihilominus eſt poſſe Parochum exponere ad confeſsiones audiendas in ſua parochia quoſcumque Sacerdotes à quocũque Epiſcopo extra Diœceſim approbatos. ita Nauarrus in cap. placuit à num. 49. Henriquez lib. 7. cap. 12. num. 4. Aegidius de Coninch. diſp. 8. dub. 7. num. 57. Ioannes de Cruce in ſumma part. 2. de pœnitentia qu. 5. dub. 6. concluſ. 3. Magiſter Vincentius Candidus tom. 2. diſquiſit. moral. diſquiſit. 24. art. 65. dub. 8. num. 10. & alij quos citat, & ſequitur Leander à Sãctiſſimo Sacramento tom. primo tract. 5. de pœnitentia diſp. 11. quæſt. 59. Eruditiſſimus Pater Ioannes de Dicaſtillo tom. 2. tract. 8. de pœnitentia diſp. 10. dub. 9. numer. 245. Franciſcus Amicus in curſu Theologiæ tom. 8. diſp. 15. ſect. 3. num. 119. & probatur vnico, ſed validiſſimo fundamento, vt aliquis Sacerdos poſſit licitè, & validè pœnitentiæ Sacramentũ fidelibus adminiſtrare, ſatis eſt, quod habeat approbationem, de idoneitate requiſitam à Concilio Tridentino ſeſſione 23. cap. 15. & quod habeat iuriſdictionẽ ſaltem delegatam adminiſtrandi pœnitentiæ Sacramentum à ſuperiore Ordinario potente dictam iuriſdictionem delegare; atqui Sacerdos approbatus à quocumque Epiſcopo ad audiendas fidelium confeſsiones cenſetur idoneus ad dictum munus præſtandum pro omni loco iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini; ergo ſi accedat delegatio iuriſdictionis facta à Parocho pro audiendis confeſsionibus ſuorum ſubditorum in ſua parochia licitè, & validè poterit eis pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, ſicut de licentia eiuſdẽ parochi poteſt in ſua Parochia alia Sacramenta adminiſtrare, vt omnes cõcedunt. Maior ex ſe eſt manifeſta, minor autem in qua poteſt eſſe difficultas probatur ex verbis ipſius Concilij Tridẽtini dicta ſeſſione 23. cap. 15. ibi enim dicitur nullũ etiam regula-

larem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat: quæ verba solum exigunt approbationem Episcopi; qui vero ab vno Episcopo approbatus est simpliciter; verè dicitur approbatus, Concilium autem tantum approbationem requirit. Neque obstat, quod Concilium dicat esse approbandum ab Episcopis in plurali; nã vt benè notat Doctus Pater Ioannes de Dicastillo, id enim non debet intelligi ita vt vnisquisq; sit approbandus à pluribus Episcopis, sed verbum pluralis vsurpat Concilium, quia sunt multi Episcopi, qui approbent, etiam si sufficiat vnus, sicut dicitur etiã pro extrema vnctione ex diui Iacobi Apostoli doctrina inducat præsbyteros Ecclesiæ, & cętera vngentes oleo Sancto, & tamen vnctio vnius satis est, ergo non est cur opposita sententia vim ponat in verbo pluralis numeri, sed oportet probare non posse intelligi Concilium Tridentinũ de quouis dictorum Episcoporum, quod nullo argumento efficaci, siue petito ex rei natura, siue ex verbis ipsius Concilij, vel alicuius Pontificis, aut alio ex capite probat sententia contraria, quod magis constauit ex solutione argumentorum dictæ oppositæ sententiæ: consequentia nostri argumenti sufficienter constat ex præmissis, nam Parochus, vt supra diximus habet à iure facultatem delegandi alteri Sacerdoti idoneo suam iurisdictionem ad audien-

451 das suarum ouium confessiones, vt constat ex cap. omnis vtriusque sexus, & ex cap. placuit, ergo cum approbatus simpliciter à quocumque Episcopo ad confessiones audiendas, iudicetur idoneus pro omni loco poterit optimè Parochus prædictũ exponere ad audiendas confessiones in sua parochia.

Ad primum fundamentum appositæ sententiæ patet ex dictis in fundamento nostrę sentẽtiæ: num. præcedenti; nam vt ibi diximus verba illa Concilij, aut ab Episcopis per examen, & cætera non debent intelligi taliter, quod faciant hunc sensum, quod vnusquisque Sacerdos ad audiendas fidelium confessiones sit approbandus a pluribus Episcopis, sed verbum pluralis vsurpat Concilium; quia sunt multi Episcopi, qui approbent, etiam si sufficiat vnus, quam explicationem sustinent multi, & graues Doctores, & in primis Henriquez, qui hunc modum dicendi cum multis à se relatis amplectitur lib. 3. de pœnitentia cap. 6. num. 7. & ex Glosa litera A. & lib. 7. de indulgentijs cap. 12. nu. 4. inter cæteros vero refert duos præstãtissimos doctrina, & vitæ sanctimonia conspicuos, qui Tridentino interfuerunt, & Concilij mentem nosse eam maximè poterant, hi sunt Archiepiscopus Compostellanus Doctor Blancus, & Archiepiscopus Granatensis, Guerrerus, quibus adiungit ex inclitis ordinibus Sancti Dominici, Sancti Francisci, & Sancti Augustini, doctissimos, & celebres viros Magistrum Mancium, Gallum, Gueuaram, Medinam, & alios Theologos.

452 Ad ſecundum reſpondet Pater Ioannes de Dicaſtillo vbi ſupra num. 251. reſponſum datum Archiepiſcopo Valentino etiam ſi concederetur ſatis authenticè de illo conſtare, & de circumſtantijs ſub quibus datum fuit, & de quæſito ex parte Archiepiſcopi, ſecundum quod explicari debet reſponſio (quod tamen non conſtat) verba non cogere nam cum in dioeceſi Valentina ſicut in pleriſque alijs ſint multæ perſonæ exemptæ, & indignitate quaſi Epiſcopali conſtitutæ, quæ ſunt ſuperiores ordinarij ſuorum ſubditorum, & in iubileo, ſicut & in bulla cruciata (quæ maximè reddebat ſollicitum Archiepiſcopum Valentinum, quia toto anno durat, & ſingulis annis habetur) dicatur poſſe eligi approbatum ab ordinario, poterat quis putare, quod ſufficeret, ſi aliquis regularis eſſet approbatus à ſuo ſuperiore, qui eſt ordinarius illius, vt cenſeretur ibi approbatus, & de tali dicitur non cenſeri approbatum.

453 Sed ſalua pace tanti viri hæc reſponſio mihi non probatur; nam ſi ſemel concedatur de tali declaratione autenticè conſtare reſponſio data manifeſtè aduerſatur verbis ipſius declarationis, vt de ipſis conſtat, quę hęc ſunt. *Congregatio Concilij reſpondet approbatum ab alio, quam à Valentino Epiſcopo non cẽſeri approbatum in dioeceſi Valentina*, cum enim illa propoſitio approbatum ab alio, quam à Valẽtino Epiſcopo, & cętera ſit propoſitio indefinita equiualet propoſitioni vniuerſali, & facit hũc ſenſum approbatum à quocumque alio, quam ab Epiſcopo Valentino non cenſeri approbatũ ab ordinario in dioeceſi Valentina; ergo non debent limitari illa verba ad approbationem factam à Superioribus regularium ſuis ſubditis, quod iſti non intelligantur approbati ab ordinario in dioœceſi Valentina, ſed intelligi debent generaliter pro approbatione facta à quocumque ordinario, ſiue Epiſcopo, ſiue Archiepiſcopo, aut ab alia quacumque indignitate quaſi Epiſcopali conſtituta; ob quam rationem Diana par. 1. tract. 11. cum alijs quos ibi citat reſpondit de dicta declaratione congregationis Concilij autenticè non conſtare, & ideo nullam fidem facere prout declarauit Sacra Congregatio die 11. Auguſti 1632. ex ſpeciali Vrbani Octaui iuſſu, & mandato per hæc verba, cum ad notitiam ſacræ Congregationis peruenerit, quamplures declarationes, decreta, ſeu deciſiones ſub nomine eiuſdem Sacræ Congregationis abſque illius authoritate impreſſas in libris, ſeu alijs operibus circumferri, & allegari, multaſque ex declarationibus decretis, ſeu deciſionibus, iuxta cõtingentiam caſuum, illorumque qualitates, & circumſtantias, à ſe, diuerſis temporibus factas, ſecundum ea, quæ proponebantur, fuiſſe alteratas, immutatas, diminutas, ac forſan aliàs mentito Sanctæ Congregationis nomine confectas, nulloque propterea authentico ſigillo munitas, illaſque per tribunalia tam in vrbe, quam per orbem circumferri, & allegari conſiderans eadem Sacra Congregatio rituum, quantum detrimenti recipi poſſit, ſi aliqua fides illis adhibeatur ex ſpeciali Sanctiſſimi Domini no-

ſtri

noſtri Vrbani Octaui iuſſu mandat, & præcipit huiuſmodi declarationibus, decretis, ſeu deciſionibus, tam impreſſis. quam imprimendis, ac etiam manuſcriptis nullam fidem in iudicio, vel extra eſſe adhibendam, ſed tantum illis, quæ in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint, & cętera: vt videri poteſt apud ipſum Diana part. 5. tract. 12. reſol. 52. & apud Angelum Maria Verricelli in ſuis quæſtionibus moralibus, & legalibus tract. 2. quæſt. 6. num. 1.

454 Ad argumentum igitur reſpõdeo illas declarationes ſacrę Cõgregationis in argumento allegatas fidem non facere, cum de illis autenticè non conſtet. Et quamuis de illis autenticè conſtaret. nihilominus non tollerẽt probabilitatẽ noſtræ opinionis: nam delectationes Sacræ Congregationis Concilij interpretũ non ſunt leges; neque vim obligandi inducũt etiam factę in authentica forma; ſed tantummodo ſunt magnę authoritatis, tãquam grauiſſimi Doctoris, & ſic non tollũt probabilitatem opinionis oppoſitæ illi, quam determinant, vt docent Petrus de Ledeſma in ſumma tom. 1. de Sacramento pœnitentiæ cap. 13. difficult. 7. Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 2. num. 10. Vaſquez 1. 2. diſp. 177. cap. vltimo Serarius in prolegomenis Bibliacis cap. 19. quæſt. 11. Bonacina de legibus diſp. 1. quæſt. 1. pũcto 8. num. 4. Portel. verb. Cardinalium declarationes, qui citat Nauarrum; Vega part. 1. ſummæ cap. 62. caſu 41. Valerus de different. vtriuſque fori verbo abſolutio difficult. 1. num. 20. & verbo nullitas difficult. 5. nu. 2. Molfeſius in ſumma tõ. 1. tract. 9. cap. 13. num. 43. Zipeus in nouo iure Pontificio lib. 5. titulo de pœnitentia num. 9. Mendoza 2. 2. volum. 1. diſp. 84. ſect. 2. §. 25. Villalobos tom. 1. tract. 2. difficult. 7. num. 5. Baſilius Pontius lib. 5. de matrimonio ca. 13. §. 2. num. 7. Delrius diſquiſit. magicarum part. 3. lib. 6. cap. 1. ſect. 3. Baldellus tom. 1. Theologiæ moralis lib. 5. diſp. 14. num. 15. Merolla tom. 2. Theologiæ moralis diſp. 4. cap. 4. dub. 12. num. 174. Diana part. 1. tract. 10. reſol. 29. Angelus Maria Verricellus in ſuis quæſtionibus moralibus, & legalibus tract. 2. quæſt. 6. nu. 15. Ioannes de Dicaſtillo vbi ſupra num. 256. Boſius de iubilæo ſect. 3. caſu 2. numer. 225. Pater Petrus de Murga de poteſt. Parochi par. 3. quæſt. 3. num. 20. & probabilem putat Caſtropalaus part. 1. tract. 3. diſp. 5. pũct. 3. §. 1. num. 5. & ratio eſt, quia publicatio, eſt de eſſentia legis adeò, vt ante illam nequeat lex obligare, vt eſt text. in §. 1. authentica vt factæ nouæ conſtitutiones: collat. 5. & ex lege leges ſacratiſſimæ C. de legibus cap. 1. & docet Diuus Thom. 1. 2. quæſt. 90. art. 4. in corpore his verbis: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, lex imponitur aliꝭ per modum regulæ, & menſuræ. Regula autem, & menſura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur, & menſurantur. Vnde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent, talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione*; vnde promulgatio ipſa neceſſaria

eſt ad hoc, quod lex habeat ſuam virtutem, & ſic ex quatuor prædictis poteſt colligi diffinitio legis, quæ nihil aliud eſt, quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. ergo iſtæ declarationes ſacrę Congregationis, vt vim legis habeant debent promulgari, & non ſufficit, quod ſint ſigillatæ, ſeu ſignatæ ſigillo ipſius congregationis, ſed inſuper requiritur, vel quod Summus Pōtifex det Breue, quo iubeat illas ſeruare, vel quod Auditor Cameræ Apoſtolicæ det monitorium in earum executionem, ſeu ſub cenſura mandet ſeruari.

455 Nec valet ſi dicas publicationē eſſe neceſſariam ad legis cōſtitutionem, non autem ad illius declarationem; quia declaratio cum ipſa lege à principio ineſt leg. ita fidei ff. de iure fiſci, hoc inquam non valet: nam vt optimè docent Suarez de legibus lib. 6. cap. 1. num. 3. Salas de legibus diſp. 2. ſect. 9. in fine, & diſp. 10. ſect. 9. num. 68. ac diſp. 12. ſect. 9. in fine, & diſp. 10. ſect. 9. nu. 68. ac diſp. 12. ſect. 1. num. 8. & diſp. 21. ſect. 12. num. 5. Bonacina de legibus diſp. 1. punct. 8. num. 4. Lorca 1. 2. diſp. 18. in appendice circa finem lex declaratiua iuris antiqui ad id quod obliget neceſſario eſt promulganda alioquin nō erit obligatoria. & ratio eſt, quia quando lex eſt dubia, & variæ ſunt opiniones probabiles, tunc vnuſquiſque liber eſt ab obligatione legis, cū poſſit ſequi opinionem probabilem non obligantem: ergo vt noua lex declaratiua obliget ea debet de nouo promulgari: cum autem dicitur, quod declaratio cum ipſa lege à principio ineſt intelligendum eſt de declaratione clara, & euidenti, hæc autem eſt, quæ ineſt ipſi legi à principio, non autem declaratio in re dubia, & ambigua, & pro qua ſunt variæ opiniones.

456 Nec denique valet ſi dicas Rotam Romanā ſequi omnino declarationes Cardinalium, etiam ſi promulgatæ, ſolemniter non ſint, vt conſtat ex pluribus deciſionibus Rotæ, quas referunt Salas 1. 2. diſp. 21. Emanuel Rodriquez in quæſtionibus regul. quæſt. 11. art. 2. Bonacina vbi ſupra, & Petrus de Murga in deciſionibus Rotæ Romanæ, quę habētur in fine ſui operis de poteſtate parochi: nam reſpondeo id fieri ab Auditoribus Romanæ Rotæ, quia iudicant maximi ponderis, & authoritatis eſſe, vt verè ſunt non vero quia vim legis habeant.

457 Ad tertium reſpondetur conceſſo antecedenti diſtinguendo conſequens: ergo ſine priuilegio hoc non poterant abſque licentia proprij Parochi concedo conſequentiam; de licentia proprij Parochi nego conſequentiā, aliud enim eſt, quod Confeſſor Regularis approbatus ab vno Epiſcopo, ſeu ordinario poſſit in alia quacumque diœceſi audire cōfeſſiones fidelium abſque noua approbatione illius Epiſcopi in cuius diœceſis confeſſiones audit ſecluſo priuilegio bullę cruciatę, aut approbatione Parochi in cuius parochia confeſſiones audit, aliud verò, quod poſſit audire fidelium confeſſiones in tota Dei Eccleſia virtute priuilegij bullę Cruciatæ, aut de licentia proprij Parochi, qui talem Sacerdotem Regularem approbatum à quocumque Epiſcopo eligit, & approbat ad audiendas cōfeſſiones ſuorum ſubditorum in ſua parochia delegā-

do

do illi ſuam iuriſdictionem, quã de iure habet, & licet quo ad primum communis ſit hodie sẽtentia theologorum non poſſe Religioſos regulares, etiam ordinum mendicantium approbatos ſimpliciter ab vno Epiſcopo in aliena diœceſi confeſſiones fidelium audire, ſecluſo priuilegio bullæ cruciatæ abſque Epiſcopi diœceſani licentia, & approbatione, ſtante conſtitutione Vrbani Octaui ædita in forma breuis die Septembris 1628. quę incipit ſicut accepimus, & ſtante Bulla Innocentij Decimi, quæ incipit Innocentius Papa Decimus ad futuram rei memoriam aliàs à nobis emanarunt literæ data Romæ die 16. Aprilis 1648. non obſtantibus Clemẽtina dudũ de ſepulturis, & extra vagant. Bonifacij Octaui ſuper Cathedram de ſepulturis, quæ bullæ confirmatę fuerunt à Ioanne 22. in extrauagant. frequentes. nihilominus etiam hodie non pauci Theologi probabilem iudicant opinionem affirmantem poſſe regulares, præcipue ordinum mendicantium ſimpliciter approbatos ad audiendas confeſſiones fidelium à quocumque Epiſcopo in tota Dei Eccleſia cõfeſſiones audire abſque noua alterius Epiſcopi approbatione eſſe valde probabilem, & in conſcientia tutam non obſtantibus bullis Vrbani Octaui, & Innocentij Decimi, Ita Ludouicus Calogius lib. 5. de hierarchia ca. 25. Baun. tom. 1. Theologiæ moralis tract. 4. de pœnitẽtia quæſt. 4. de miniſtro pœnitentiæ, Ioannes Præpoſitus in 3. part. qu. 8. de pœnitentia dub. 4. num. 21. Laurẽt. de Aluar. in allegat. quã edidit anno 1647. ſuper quadam lite exorta in Prouincia Mexicana, vt refert Mendo in bullam Cruciatæ diſp. 22. cap. 3. nu. 48. Leander de Murcia in regul. Sãcti Franciſci cap. 7. quæſt. 8. cõcluſ. 3. & probabilem iudicat Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 1. tract. 5. de pœnitent. diſput. 11. quæſt. 6. quatenus oppoſitam opinionem longè probabiliorem appellat. Vide ea, circa hoc dixi in mea quæſt. Apologetica morali §. 23. à nu. 269. vſque ad num. 274.

458 Quo ad ſecundum vero nempè quod Sacerdos, ſiue ſæcularis, ſiue regularis approbatus ad confeſſiones audiendas ab vno ordinario poſſit confeſſiones audire per delegationem factam à Parocho, non dependet à ſpeciali priuilegio ad hoc conceſſo à Summo Pontifice, nam illo ſecluſo ſuppoſita approbatione Sacerdotis ab vno ordinario ad confeſſionet audiendas. & approbatio facta à Parocho per delegationem ſuæ iuriſdictionis poteſt licitè, & validè talis Sacerdos confeſſiones ſub dictorũ dicti parochi ſuam illi iuriſdictionem delegantis audire: quia vt ſupra diximus in fundamento noſtræ ſententiæ duo requiruntur ex diſpoſitione Concilij Tridentini ad fidelium confeſſiones audiendas; ſcilicet approbatio, & iuriſdictio: per approbationẽ declaratur ab ordinario idoneitas Sacerdotis ad pœnitentiæ Sacramentum fidelibus adminiſtrandum, quæ approbatio eſt actus intellectus quo Sacerdos ab Epiſcopo declaratur idoneus ad prædictum miniſterium adminiſtrandi fidelibus Sacramentũ pœnitentię; delegatio autem iuriſdictionis eſt actus voluntatis quo ille, qui habet à iure ordinariam iuriſdictionẽ ſuis ſubditis pœnitentię Sacramentum adminiſtrandi, eam delegat alteri

teri perſonæ capaci dictum pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandi: ergo cum adſit approbatio ab aliquo Epiſcopo facta, poterit iurisdictio delegari à Parocho, ſicut poterat ante Concilium. Probatur conſequentia, tum quia quamuis Archiepiſcopus Panormitanus non poſſit cõſtere iuriſdictionẽ pro Neapolitanis; tamen cum ſimpliciter declaret Sacerdotem eſſe idoneum, iſte ſimpliciter dicitur approbatus; & deinde iurisdictionem accipit per delegationem Parochi Neapolitani; tum etiã quia correctio iurium vitanda eſt: ergo cum beneita explicetur Tridentinum, non eſt dicendũ abſtuliſſe à Parocho auctoritatem delegandi ſuam iurisdictionem Sacerdoti ab aliquo Epiſcopo approbato. neque obſtat Tridentinum dicere approbatum ab Epiſcopis non ab Epiſcopo, tũ quia vt ſupra diximus ſolutione ad primum argumentum num. 460. verbum illud ab Epiſcopis non debet intelligi, ita vt vnusquiſque Sacerdos ſit approbandus à pluribus Epiſcopis, ſed Concilium verbum pluralis vſurpat, quia ſunt multi Epiſcopi, qui approbent, etiam ſi vnus ſufficiat, tum etiam quia licet ab Epiſcopo cuiuſque Diœceſis approbandus ſit Sacerdos ad audiendas confeſſiones fidelium, hoc eſt intelligendum, quando non habet aliunde delegatam iuriſdictionem, nequit enim Archiepiſcopus Panormitanus delegare iuriſdictionem in diœceſi Neapolitana, ſed neceſſarium eſt, quod vel Archiepiſcopus, vel Parochus Neapolitanus deleget iurisdictionem. Nec huic doctrinæ opponitur bulla Innocentij Decimi, vt bene contra Dianam notat Leander à Sanctiſſimo Sacramento, vbi ſupra quæſt. 59. nam non loquitur in caſu præſentis quæſtionis ſed in alio caſu longe diuerſo, vt num. præcedenti diximus, hoc eſt quando non adeſt delegatio Parochi.

459 Sed contra obijcies cum Angelo Maria Verricelii de Apoſtolis miſſionibus tract. 9. de pœnitentia quæſt. 161. num. 5. §. ſed his non obſtantibus: quia vel delegatio diſtingũtur ab approbatione, vel non diſtinguitur; ſi non diſtinguitur: ergo requiritur delegatio Epiſcopi Diœceſani prout declarauit Innocentius Decimus in Bulla die 9. Maij. 1648. vel diſtinguitur; ſi diſtinguitur: ergo cum Innocentius Decimus declaret non ſufficere approbationem, niſi Epiſcopi Diœceſani, etiam ſi ab alieno Epiſcopo fuerit approbatus, conſequenter deficit legitima approbatio. Reſpondetur concedendo ſecũdam partem dilematis, ſcilicet approbationẽ diſtingui à delegatione iuriſdictionis; nam hæc eſt differentia inter iuriſdictionem, & approbationem, nam approbatio vt diximus eſt actus intellectus, collatio vero iuriſdictionis eſt actus voluntatis, quæ duo ſunt defacto ſeparabilia vt dixi in mea quæſtione apologetica §. 18. num. 151. quia poteſt Epiſcopus iudicare, & approbare aliquem idoneum miniſtrum ad excipiendas confeſsiones, & tamen illi non conferre iuriſdictionem ad abſoluendas oues ſuas. itaque neganda eſt cõſequentia, neque Innocentius Decimus in dicta Bulla allegata ſuperius declarat Sacerdotem approbatũ ab vno Epiſcopo ſimpliciter non cenſeri approbatum in alia diœceſi, ſed ſolum declarat dictam approbationem non ſufficere ad excipien-

das

das confeſſiones in quacumque alia diecæſi abſque Epiſcopi diæceſani licentia, & facultate: nam licet approbatus ſimpliciter ab vno Epiſcopo cenſeatur approbatus in omni loco loquendo de approbatione idoneitatis ad excipiendas fidelium confeſſiones non tamen cenſetur approbatus in omni loco approbatione iuriſdictionis delegatæ, cum vnus Epiſcopus non poſſit delegare iuriſdictionem Sacerdoti à ſe approbato ad abſoluendum ſacramentaliter oues alterius Epiſcopi, in quas ipſe non habet ordinariam iuriſdictionem; & ita eget dictus Sacerdos noua approbatione Epiſcopi diæceſani, non approbatione, qua declaretur idoneus ad audiendas confeſſiones fidelium, ſed qua ei concedatur ab Epiſcopo diœceſano iuriſdictio ad abſoluendas ſacramentaliter oues ſuas delegando illi ſuam iuriſdictionem, & in hoc ſenſu loquitur bulla Innocentij Decimi, cum autẽ Sacerdos ſimpliciter approbatus ab vno Epiſcopo cenſeatur idoneus pro tota Eccleſia Dei ad audiendas fidelium confeſsiones iuxta formam Concilij Tridentini poterit optimè Parochus eiſuam delegare iuriſdictionem ad ſuarum ouium confeſſiones audiendas, in quas habet ordinariam iuriſdictionem in ordine ad adminiſtrationem Sacramentorum.

460 Notandum eſt tamen, quod virtute privilegij Gregorij 13. nõ poſſunt Patres Societatis Ieſu approbati ab aliquo Epiſcopo audire confeſſiones fidelium aliarum diœceſum præſentibus Epiſcopis, aut eorum Vicarijs Generalibus abſque eorum licẽtia, & illis abſentibus non contra dicentibus Parochis, vt cõſtat ex ipſa bulla Gregorij XIII. quæ incipit, docet Romanum Pontificem, & habetur in bullario Societatis fol. mihi 137. vbi habentur hæc verba: *Omnibus, & ſingulis ipſius Societatis prædicatoribus, ac Confeſſarijs ab aliquo ordinario ſemel approbatis, & à ſuis ſuperioribus ad huiuſmodi munera deputatis, vt quãdocumque, ſiue mari, ſiue terra iter fecerint, populos non repugnantibus tamen curatis Parochialium Eccleſiarum, prædicatione verbi Dei inſtruere, ac conſolari, & quorumcumque Chriſtifidelium, præſertim ægrotorum, & eorum, qui in viuculis detinentur, confeſſiones audire, dummodo id non faciant in ipſis oppidis, aut locis, in quibus ordinarij exiſtunt, niſi eorum licentia deſuper obtenta, libere, & licitè valeant.* Et hoc priuilegio gaudẽt regulares habentes communicationem priuilegiorum, ita Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 7. num. 13. Molfeſius to. 1. ſummæ tract. 7. cap. 14. nu. 65. Portel. de dubijs Regul. verb. Confeſſor regularis. num. 7. & 8. Emanuel Rodriquez in expoſit. Bullæ Cruciatæ §. 9. nu. 144. pagina mihi 354. concluſione 10. vbi citat Guttierrez lib. 1. quæſtionum Canonic. cap. 27. num. 21. Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 85. Caſtropalaus to. 4. tract. 23. de Sacramento Pœnitentiæ diſp. vnica punt. 14. n. 13. D. Marcus Vidal in area vitali tract. de iuriſdictione inquiſit. 6. num. 148.

461 Non me latet ſententia patris Lezanæ tom. 1. ſummæ regul. c. 19. num. 5. aſſerentis dictum priuilegium hodie eſſe reuocatum per conſtitutionem 92. Vrbani Octaui edita die 17. Septembris 1628. quæ incipit cum ſicut accepimus. quem nouiſſimè ſequitur Pater Fr. Pertus de Murga.

de

de poteſt. Parochi part. 3. quæſt. 14. num. 11. §. ego autem quod ſic probat dictus de Murga: quia priuilegij indultum æque opponitur diſpoſitioni Tridentini Cõcilij ſpeciale illo exiſtente, ac ſi generale eſſet. Abſolutè enim ſtatuit Concilium, & declarauit, nullum idoneum ad confeſsiones excipiendas ſæcularium perſonarum eſſe, qui, vel beneficium parochiale, vel ordinarij approbationem non obtinuerit, atqui ratio Vrbani Octauiin reuocatione indulti adducta, ea eſt, quia hinc, hoc eſt illo exiſtente, *Saluberrimum Sacri Concilij Tridẽtini decretum deſuper ſancitum penitus euertatur*. Ergo ſiue indultum Gregorij XIII. generale ſit, ſiue ſpeciale, reuocatum per Vrbanum, quam conſequentiam probat ex verbis ipſius conſtitutionis Vrbani Octaui, vbi ſic ait. *Cum ſicut accepimus aliquibus Religioſis quorumdam ordinum, ſeu congregationum à ſede Apoſtolica indultum fuerit, vt ſacramentales perſonarum ſæcularium confeſſiones, audire valeant, etiam ſi ab Epiſcopis Diœceſanis ad id examinati, & approbati non fuerint; ne deſerint, qui temere aſſeuerent, hoc ipſum priuilegium cæteris quoque aliorum ordinum regularibus competere, ex ampliſſimis priuilegiorum communicationibus, quas ab eadẽ ſede apoſtolica obtinuerunt, et hinc ſaluberrimũ ſacri Cõcilij Tridentini decretum deſuper ſancitum penitus euertatur; nos huic malo opportunæ prouidere volẽtes, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium præpoſitorum Conſilio omnia, & ſingula indulta huiuſmodi, audiendi ſæcularium confeſſiones, abſque ordinarij examine, & approbatione, quibuſuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societatis Ieſu, congregationibus, & ordinibus, tam mẽdicantium, quam nõ mendicantiũ, nec non monachorum quorumque, etiam Sancti Benedicti Cirtecien. & Carthuſien. ac etiam quibuſuis militijs etiam hoſpitalis S. Ioan. Hieroſolym. ac quibuſcumque Eccleſijs, etiã parochialibus, & metropolitanis monaſterijs, cæteriſq; locis pijs, ſiue eorum, & earum reſpectiue Abbatibus, præpoſitis, Decanis, magiſtris, miniſtris prælatis, prioribus, rectoribus, etiam generalibus, vel prouincialibus, cappellanis, confeſſarijs, aut alijs, quocumque nomine nuncupatis, ſuperioribus, & perſonis, quibuſcũque, etiam, quomodolibet exemptis, ac ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumque dignitatis, præminentiæ, & conditionis exiſtentibus, & quouis priuilegio munitis, & tam ad ſupplicationem partiũ, quam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hactenus, quandocumque, & qualitercumque, ex quauis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, & alias quomodolibet cõceſſa, apoſtolica auctoritate tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribuſque, et effectu euacuamus, ac reuocata, caſſata, ſublata abrogata, et annullata, viribuſque, et effectu vacua eſſe, et fore, nec Religionibus, ſocietatibus, etiã, ſocietatis Ieſu, congregationibus, ac militijs, & Eccleſijs, monaſterijſque prædictis, eorumque ſuperioribus, & perſonis quibuſcumque in poſterum vllo modo ſuffragari, minuſque illos, & illas etiam ſijs ſpecialis, ſpecifica, expreſſa ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiuſmodi vti poſſe.* & cætera, ergo ex hac conſtitutione manifeſtè cõſtat Gregorij XIII. indultum quoad facul-

cultatem confeſſiones excipiendi eſſe ab Vrbano VIII. reuocatum.

462 Reſpõdetur negando dictum priuilegium manere reuocatum perdictam conſtitutionem Vrbani Octaui, tum quia vt aſſerit Vidal vbi ſupra num. 151. ibi eſt ſermo de facultate generali audiendi confeſſiones ſæcularium abſque approbatione ordinarij, non autem de indulto, & priuilegio particulari conceſſo religioſis, dum iter agunt, & per alienas diœceſes diſcurrunt, nec commode ſe poſſunt ordinarijs præſentare, & ideò non eſt reuocatum dictum priuilegium, tum tum etiam; quia vt bene docet Thomas del Bene tom. 1. de immunit. Eccleſiaſt. cap. 5. dub. 14. ſect. 8. num. 10. lex vniuerſalis poſterior nõ derogat priuilegio ſpeciali anteriori, atqui Vrbanus Octauus reuocat priuilegia audiendi confeſsiones abſolutè, ſine vlla approbatione ordinarij, aut audiendi confeſſiones abſolutè, ſine approbatione ordinarij, ſto hìc præſens eſſet: cum autem priuilegium noſtrum ſit in ſpeciali, & particulari caſu, nempè primo ſuppoſita approbatione vnius ordinarij. Secundo ſuppoſita abſentia ordinarij. Tertio ſuppoſita tolerantia Parochorũ: ergo cum priuilegium ſit in particulari caſu, non reuocatur per legem vniuerſalem. Tum denique quia Vrbanus Octauus ſupponit in ſua conſtitutione temere Religioſos Contra Concilij Tridentini decretũ audiſſe confeſsiones; atqui in caſu noſtro non temere audiunt, cum priuilegium Gregorij XIII. ſit cum clauſula derogatoria Concilij Tridentini, vt de illo conſtat: ergo Vrbanus Octauus non loquitur in caſu poſito. ita ſentiunt Eminentiſsimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp. 21. ſect. 2. num. 29. Pellizzarius in manuali regular. tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. ſub ſect. 1. num. 52. Alfonſus de Leone tract. de officio, & poteſtate Confeſſoris tom. 2. recollect. 16. num. 56. Diana pa. 3. tract. 2. reſol. 123. Thomas del Bene, vbi ſupra num. 3. Filiucius tract. 7. num. 263.

463 Ex quibus infero, quod regularis non debet petere, in caſu poſito, licentiam à Parocho, ſatis enim eſt Parochum non contradicere, ſi tamen contradiceret inualida eſſet confeſſo: quia facultas datur ſub hac conditione. Pellizzarius in manuali regul. tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. ſub ſect. 1. num. 49. vbi citat Rodriquez, & Henriquez.

464 Ad quartum reſpondetur negando ſequelam, & ad eius probationem diſtinguenda eſt maior Parochus habet à iure iurisdictionem ordinariam in ſuos ſubditos eodem modo quo illã habet Epiſcopus in ſuas oues nego maiorem diuerſo modo, Cõcedo maiorem: nam Epiſcopus habet à iure facultatem delegandi ſuam iuriſdictionem alteri Sacerdoti ad excipiendas confeſsiones ſuarum ouium; & deinde habet à Concilio Tridentino authoritatem approbandi, declarandi Sacerdotem eſſe idoneum ad adminiſtrandum pœnitentiæ Sacramentum per examen, ſi ei videbitur neceſſariũ. Parochus autem habet quidem à iure facultatem delegandi alteri Sacerdoti ſuam iuriſdictionem ad audiendas confeſsiones in ſua Parochia, non autem poteſt declarare aliquem Sacerdotem idoneum ad pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrationem, ſed debet ſupponere illum declaratũ

idoneum ab aliquo Epiſcopo, quare conceſſa minori neganda eſt prima, & ſecunda conſequẽtia, quia ad conſtituendam differentiam, quoad hoc inter Epiſcopum, & Parochum ſatis eſt, quod Epiſcopus poſsit approbare quẽcumque Sacerdotem, etiam nõ approbatum ab aliquo Epiſcopo ad excipiendas confeſsiones in ſua diæceſi, cum habeat facultatem à iure non ſolũ delegandi ſuam iuriſdictionem ad audiendas confeſsiones ſuarũ ouium, ſed etiam approbandi, & declarandi Sacerdotem eſſe idoneum ad tale miniſterium exequendum, quod non habet Parochus, vt præcedenti reſolutione diximus.

465 Ad quintum reſpondetur cõcedendo valdè conueniens eſſe quemlibet Sacerdotem habere approbationem ab Epiſcopo diæceſano ad audiendas cõfeſsiones ſuorum ſubditorum in ſua diœceſi, ſed hoc debet intelligi ſecluſo priuilegio, Bullæ Cruciatæ, aut delegatione facta à Parocho ad audiendas confeſsiones in ſua parochia ſuppoſita ex parte Sacerdotis approbatione alicuius ordinarij, vt dixi, in mea apologetica quæſtione morali §. 19. à num. 181.

RESOLVTIO XXIV.

Vtrum Sacerdos approbatus ab vno Epiſcopo poſſit vbique in toto orbe audire confeſsiones ſæcularium Sacerdotum?

466 IN hac difficultate communis Theologorum ſententia eſt non poſſe Sacerdotem ab vno Epiſcopo approbatum vbique in toto orbe Sacerdotũ ſæcularium confeſsiones audire abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione: ita Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 6. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſ. 21. num. 32. Diana part. 10. tract. 14. & 4. miſcell. reſol 23. & tract. 16. & 6. miſcell. reſol. 75. §. verũ contra Leandrum, & part. 11. tract. 4. reſol. 16. §. ſed quæro, Pater Petrus de Murga de poteſtate Parochi part. 3. quæſt. 2. n. 6. Angelus Maria Verricellus de Apoſtolicis miſſionibus tract. 9. de pœnitentia quæſt. 153. num. 3. fundamentum huius ſententiæ deſumitur ex Concilio Tridentino ſeſſione 23. de reformatione cap. 15. vbi Concilium eodem modo loquitur de Sacerdotibus ſæcularibus, ac de Laicis dicens nullum etiam regularem poſſe confeſsiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, niſi, aut parochiale beneficiũ, aut ab Epiſcopis approbationẽ obtineat, priuilegijs, & cõſuetudine quacũq; etiã immemorabili non obſtantibus; atqui quo ad Laicos nemo cẽſetur idoneus, niſi approbatus ab Epiſcopo, Diœceſano; ergo Sacerdos approbatus ab vno Epiſcopo non poteſt vbique audire confeſsiones ſæcularium Sacerdotum. Deinde quia oppoſita opinio expreſſe aduerſatur bullæ Innocentij 10. edita anno 1648. die 16. Aprilis, quam ego retuli in mea quæſt. Apologetica morali §. 23. num. 271. & bullæ Vrbani Octaui edita die Septembris 1628. quæ incipit, ſicut accepimus, quam retuli ibidem num. 269. in quibus bullis prædicti Sũmi Pontifices prohibẽt Confeſſoribus, etiam regularibus ſęcularium perſonarum confeſsiones audire abſque Epiſcopi diœceſani approbatione, etiã ſi ab alio Epiſcopo antea fuerint approbati ad fidelium confeſsiones audiendas.

Se-

467 Secũda ſententia affirmat poſſe Sacerdotem, ab vno Epiſcopo ſimpliciter approbatum ad audiendas confeſſiones, vbique in toto orbe excipere confeſiones ſæcurarium Sacerdotum ex conſuetudine antiqua, à qua cõſuetudine antiqua, ſicut, & à iure antiquo non eſt recedendum: niſi quatenus inuenitur expreſsũ in nouo iure, cap. 2. de poſtulatione Prælatorum. ita Magiſter Vincentius Candidus tom. 2. diſquiſitionum moraliũ diſquiſ. 24. art. 55. dub. 7. vbi ſic ait: dico nono Sacerdotes quilibet ſæculares ante Cõciliũ Tridẽtinũ ex conſuetudine omniũ Eccleſiarũ Sacerdoti ſimplici non approbato confitebatur, ſiue eiuſdem, ſiue alienæ eſſet diœceſis. prima conſuetudo fuit per Concilium Tridentinum ſublata: ſecundam vero non ſuſtulit, neque de ea quidpiam egit, & à iure, & conſuetudine antiqua non eſt recedendum, niſi quatenus inuenitur expreſſum in nouo, cap. 2. de poſtul. Prælat. licebit igitur Sacerdotibus ex vbique Confeſſarijs approbatis confiteri, quia varijs in locis ſæpè ſacrificantes eiuſmodi facultate opus habere videntur; ideo Prælati omnes, ac Parochi in talem facultatem libenter conſentire debent. ita Candidus, & ante eum Nauarr. in cap. placuit de pœniten. diſt. 6. num. 43. vbi poſt relatum decretum Concilij Tridentini, ſic inquit: perdictum decretum ſæcularibus Clericis non adimitur poteſtas deligendi Confeſſariũ approbatum, vel curæ animarũ præfectum, quamuis alioqui eſſet alienus Beia part. 4. reſponſorũ. caſu 5. verſu, & cõſuetudinẽ iſtã. Layman lib. 5. tract. 4. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 10. num. 4. vbi poſtquam dixit Epiſcopis, & alijs exemptis Prælatis ipſo iure conceſſum eſſe quemuis prouidum, & diſcretum Confeſſorẽ ſibi deligere. vt conſtat ex cap. vult. de pœnitẽt. & remiſſion. & notat Paludanus in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 2. Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 27. ſect. 2. num. 4. ſubdit denique idem priuilegium deligẽdi ſibi idoneum, & approbatum Confeſſarium Parochi, etiã participant, vt notauit Emanuel Sà, verb. Confeſſor. num. 1. imo fermè omnium Eccleſiarum conſuetudine introductum eſt, vt Sacerdotes quilibet ſæculares cuiuis approbato, & expoſito confiteantur: propterea quod ipſi varijs in locis ſæpè ſacrificantes, eiuſmodi facultate opus habere videantur: ideoque Prælati omnes, ac Parochi talem facultatẽ libenter conſentiant. hæc Layman. eamdem ſententiam ſequũtur Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 27. ſect. 3. num. 4. Coninchius de pœnitent. diſp. 8. dub. 8. num. 61. Viualdus in Candelabro aureo tit. de confeſsione num. 28. concl. 4. Rodriquez tom. 1. ſummæ; cap. 60. num. 5. concluſ. 5. per hæc verba: *La quinta cõcluſion los Clerigos a vnque ſe an curas de almas, no ſe pueden confeſſar, ſi no eſcon los approbados expreſſa, ò tacitamente por ſu ordinario, como eſta determinado en el Concilio Tridentino dixe tacitamente porque los curas, y Clerigos, que eſt tan cerca, y ſon vecinos de los Clerigos de otro obiſpado ſe pueden confeſſar vnos con otros, pidiendolo la neceſſidad, porque en eſto parece, que conſienten los obiſpos: y aſi eſta pueſto en vſo.* ita ille Henriquez lib. 6. cap. 8. num. 2. Boſsius de iubilæo ſect. 3. caſu. 2. nu. 126. Caſtropalaus, part. 4. tract. 23. de Sacramento pœnitentiæ diſp. vnica punt. 17.

num. 8. in fine; vbi ait: quod decretum Tridentini non obstat consuetudine recepta, qua Parochi, imò simplices Sacerdotes, modo approbati sint ab ordinario, sibi inuicem confiteri possunt.

468 Fundamentum huius sententiæ est: quia ante Concilium Tridentinũ, duę erant consuetudines; vna quoad Sacerdotes, in aliquibus locis, vt cuicũque simplici Sacerdoti, à nullo Episcopo approbato, confiterentur: & hanc sustulit Concilium, & de hac manifestè loquitur: altera erat consuetudo, vt Sacerdotes sæculares cũ quotidiè celebrent, & cõcij mortalis peccati nequeãt dignè celebrare, proinde consueuerũt cõfiteri cuicumque approbato, aut exposito Confessario, & de hac consuetudine non loquitur Cõcilium, neque de ea quidpiam egit, vt affirmant Doctores supra citati num. præcedenti: ergo optime possunt Sacerdotes ab aliquo Episcopo approbati, vbique in toto orbe Sacerdotum sæcularium confessiones audire. Ex quibus patet solutio ad fundamentum oppositæ sententiæ ex Concilio Tridentino desumptum, neque obstat bulla Vrbani Octaui, & Innocentij Decimi: nam vt dixi in me quæstione apologetica morali §. 23. num. 270. & 272. Vrbanus Octauus, & Innocentius Decimus in supradictis bullis loquũtur in terminis Concilij Tridentini, vt ex ibi dictis constat, cum autem Conciliũ Tridentinũ nõ deroget illa sessione 23. c. 15. supradictam consuetudinem, vt supra probatum est, consequens est, quod nec maneat dicta consuetudo derogata per prædictas bullas Vrbani 8. & Innocẽtij Decimi.

RESOLVTIO XXX.

Vtrum vi notitiæ habitæ in confessione sacramentali possit Prælatus pęnitentẽ amouere ab officio ad nutũ amouibili?

469 PRima sententia in hac difficultate, quæ hodie grauissima est absolutè affirmat posse Prælatum tam sæcularem, quam regularem suum subditum amouere ab officio ad nutum a mobili ex vi notitiæ habitæ in cõfessione sacramentali, dummodo hoc faciat absque fractione directa, aut indirecta sigilli confessionis. ita Portell. in dubijs regul. verb. electio num. 9. Castellin. de elect. cap. 5. num. 103. Vasquez tom. 4. in 3. part. quæst. 93. art. 4. dub. 8. Nugnus in addit. ad 3. part. quæst. 11. art. 1. difficultate 1. ad 6. & ad 7. & alij quos citat Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio disput. 16. num. 2. Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 3. cap 2. num. 16. Lublinus vers. secretum numer. 10. Ludouicus quæst. 7. art. 3. difficult. 3. conclus. 2. Villalobos tract. 9. difficult. 75. num. 1. Molfesius part. 1. sũmæ tract. 7. cap. 23. nũ. 39. & 40. vbi ait esse cõmunem D. Thomæ, & Thomistarum doctrinã Vega prima part. sũmę cap. 63. casu 24. Cõradus 1. part. respõs. casuũ qu. 335. quem citat Amadeus Guimenius in suo opusculo morali in defensionem aliquarum propositi. Patrum Societatis Iesu tract. de pœnitentia propositi. 15. qui affirmat apud prædictum Doctorẽ loco citato haberi hęc verba; ingratuitis vbi habet liberam potestatem, & priuare, & non admittere, & ita dicendum de omnibus, qui habent officiũ ad nutum amobile hæc diximus

te-

tenenda esse, quia assertio est D. Thomas, Soti, aliorumque doctorum eum sequentium.

470 Probatur primo hæc sententia: nam liberum erat Confessario ante confessionem pœnitentem eligere, aut non eligere: ergo etiam post confessionem auditam. probatur consequentia: quia ista sicut non tribuit illi nouum ius, ita neque aufert. Secũdo quia ante auditam confessionem pœnitens irrationabiliter quæreretur de Confessore, si suffragium non ferret: ergo post auditam etiam est irrationabilis quærela. Tertio probatur; quia si ob aliquam rationem non posset superior amouere subditum ab officio ad nutum amouibili propter notitiam habitã in cõfessione sacramentali, maximè esset, quia per talem actionem frangeret sigillum sacramentale; atqui hoc est falsum: ergo & quod superior ex vi notitiæ habitæ in confessione sacramẽtali non possit subditum pœnitentem amouere ab officio ad nutum amouibili. minor in qua est difficultas probatur: quia semper, quod non manifestatur persona alicui tertio non frangitur confessionis sigillum: ergo si superior vtatur notitia peccati confessi ad amouendum subditum ab officio ad nutum à mobili non peccat contra sigilli fractionem, cum hæc notitia sit subiecta intellectui humano, etiam si Confessor eam acquisierit, vt minister Dei, & consequenter poterit ea, vti in quantum eius ministerio non opponitur, vnde Prelati videntur posse leges generales imponere ad suum regimen pertinentes, & Prædicatores reprehendere peccata, moti ex notitia confessionis, vt docet Ledesma 2. part. 4. quæst. art. 5. dub. 4.

471 Quarto probatur, quia infractione sigilli confessionis datur materia parua in probabili aliquorum Doctorum, opinione, vt Martinus de Ledesma 2. p. 4. quæst. 10. art. 5. vbi postquam sibi obijcisset hoc argumentum in aliquo quocumque genere peccati potest contingere peccatũ veniale ratione paruitatis materiæ: ergo proderere pœnitentem, quod mentitus est iocosè nõ erit nisi peccatum veniale. Respondit si corã illis quibus notus est dico eum feciſſe peccatum veniale non tamen suspicantur me audiuisse in cõfessione, probabile est, quod talis reuelatio illius venialis nõ est peccatum mortale, quia est in re minima. idem docet Corradus 1. part. resp. quæst. 331. in additione, atqui quãdo superior motus ex notitia habita in Sacramentali confessione amouet pœnitentem, subditum ab officio ad nutum à mobili, licet subditus possit suspicari hoc fieri à Prælato propter notitiam sui peccati habitam in confessione, tamen. qui illi vident ab officio amoueri hoc suspicari non possunt: ergo vel Prælatus in tali casu non frãgit confessionis sigillum, vel tãtum peccat veniliter, propter materiæ leuitatem.

472 Doctor autem D. Petrus de Ochagauia de Sacramẽtis tract. 3. de sigillo quæst. 7. num. 7. limitat prædictam sententiam in ordine tantum ad Prælatos seculares, cum solis Prælatis Regularibus huiusmodi vsus confessionis, in ordine ad gubernationẽ exteriorem sit absolute, & simpliciter prohibitus à Clemente 8. in motu proprio anno 1594. die 26. Maij per hæc verba, tam superiores pro tempore existentes,

quam

quam Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradũ fuerint promoti, caueant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtãtur, atque ita per quoſcumque regularium ſuperiores, quicumque illi ſint obſeruari mandauit, quæ tam ſancta declaratio (inquit Ochagauia) ex eo tantum circa Religioſos edita eſt, quia ſuperiores Religionum plures caſus ſolent ſibi reſeruare, quam alij ſuperiores, & eorum gubernatio circa ſubditos eſt magis immediata, & poteſt eſſe periculoſum, & oneroſum ſubditis ſuperiores notitia confeſſionis, vti ad ſuum regimen.

473 Pater Thomas Hurtado part. 2. reſolutionum moralium tract. 5. cap. 11. reſol. 32. diſtinctis cõcluſionibus ad hãc grauiſsimam difficultatem reſpondet. In prima cõcluſione §. 3. affirmat, quod ſi vera eſt opinio ſuperius relata, ſcilicet poſſe ſuperiores Regulares, aut Epiſcopos vti ſcientia acquiſita in cõfeſsione in ordine ad regimen externum, nõ ſolum poſſunt, ſed tenentur ſub peccato mortali, ea vti; quando ex nõ vſu poteſt ſequi damnum notabile, vel ſibi ipſi, vel alicui tertio, communitati, aut Reipublicæ, ſequiturque iniuria alicui Sacramento. pro hac concluſione citat Sylueſtrum verb. confeſsio 3. num. 9. quæſt. 14. D. Thomam in 4. diſt. 9. quæſt. vnica art. 5. quæſtiuncula 1. in corpore, Tabienam, verb. communicare nu. 59. Ledeſmã 1. part. 4. quẽſt. 21. art. 6. dub. 3. & alios. quam concluſionem probat ratione ſuo iudicio euidenti; quia vel ſuperior Parochus eſt, aut alius, qui ex officio incumbit euitare damnum, ſiue ſpirituale, ſiue temporale, & ſic euidens eſt concluſio, cum hic ex iuſtitia teneatur hoc damnũ euitare, quando eius euitatio nõ eſt incompoſsibilis cum obligatione alterius præcepti, quę in preſentarum non eſt, cum ſupponamus licitè poſſe vti ſcientia habita in confeſsione, vel talis Confeſſor non eſt ſuperior, & ſic lege charitatis, aut iuſtitię legalis tenetur obuiare damno proximi, quando ſine magna ſuo incommodo poteſt illud obuiare cum hoc incommodo, quãdo damnum imminet propriæ communitati, aut reipublicę, aut perſonæ maximæ authoritatis, & neceſſariæ ad illius conſeruationem, vt eſt apud omnes fere indiebitatum: ergo ſi ſaluo ſigillo Sacramenti, eiuſque reuerentia poteſt, quis vti ſcientia habita in confeſsione tenebitur ea vti in caſibus poſitis in concluſione, & ſi enim hoc medium difficile ſit, eius difficultas in eo ſita eſt, quod quis poſsit prędicta notitia vti ſaluo ſigillo, & reuerentia Sacramenti: ergo ſi his ſaluis poteſt, quis vti ſcientia prædicta tenebitur vti, aut ſi non poteſt illis ſaluis non poteſt vti tali ſcientia.

474 In paragrafo autem ſeptimo apponit Pater Thomas Hurtado ſecundum cõcluſionem in hunc modum. dicendum eſt ſecundo non eſt contra ſigillũ Sacramenti pœnitentiæ, quod quis vtatur ſecreto ſcientia habita in confeſsione ad regimen externum ſuarum actionum, reipublicæ, aut communitatis, & ſic ex vi Sacramentalis ſecreti non eſt ſecundũ illicitum tali ſcientia vti; quando nec directè, nec indirectè manifeſtatur confeſsio pro qua concluſione plures authores citat, qui apud ipſum videri poſſunt probatur hæc concluſio, à dicto Auctore num. 169. quia illud ſolum

up

lum ob eſt ſtrictiſſimo ſecreto Sacramenti pœnitentiæ, quod ob eſt occultationi, quam ipſum Sacramentum ex vi præſentis inſtitutionis exigit; atqui vti ſcientia habita in confeſſione non manifeſtando, nec reuelando aliquo modo, nec directè, nec indirectè ea, quæ ſunt audita non obeſt ſigillo; ergo ſecundum ſe talis vſus non eſt illicitus. Conſequentia eſt euidens, minor autẽ probatur manifeſtè; quia vſus huius ſcientiæ, aut eſt negando aliquid, quod aliàs non negaret, ſi talis ſcientia non adeſſet, aut eſt faciendo aliquid, quod ſine tali ſcientia non faceret; atqui negationes iſtæ, aut non ferre ſuffragium, ſiue occultum, ſiue publicum, non tribuere beneficium, non conſtituere hęredem, nõ præbere ſacram Synaxim in ſecreto, & alia huiuſmodi, non ſunt per ſe ſignificatiuæ talis ſcientiæ, ſed ſecundum ſe ſunt indifferentia ſigna, nec determinata ad eam ſignificandam, ſicut erant antequam ſciret in confeſſione Confeſſor pœnitẽtis peccata: ergo ex talibus negationibus non frangitur ſigillum per ſe cũ ex eis non reueletur per ſe id, quod eſt in confeſſione: ſicut nõ eſt hæreticus formaliter in foro externo ille, qui profert hæreſim per ſigna de ſe indifferẽtia; quod enim pœnitens ſuſpicetur has negationes oriri ex ſcientia confeſſionis, hoc eſt per accidens cũ id per ſe non ſignificetur, & ſigillum ſolum per ſe prohibet, quod per ſe reuelat, & manifeſtet.

475 Ex dictis in hac concluſione infert Pater Thomas Hurtado §. 15. probabile eſſe Epiſcopos, & alios Sacerdotes non Regulares licitè poſſe vti ſcientia habita in confeſsione in ordine ad regimen externum, & reddit rationem: quia ex dictis ab ipſo concluſione præcedenti, id eſt licitum. Secundum ſe, & ſolum prohibitum præcepto Summi Pontificis; atqui hoc præceptum ſolum datum eſt pro Regularibus, & cum ſit reſtrictum poteſtatis licitæ, & honeſtæ non debet extendi ad non regulares. Vndè Epiſcopus licitè poteſt nõ conferre beneficium, aut dimiſſorias illis, qui ſunt indigni cogniti in confeſsione. Similiter ſacerdos poteſt non reſignare beneficium, aut conſtituere hæredem illum, quem vſurum cognouit ex confeſsione, & alia plura ſimilia de quibus poſtea.

476 His tamen nõ obſtantibus dicendum eſt primo, adhuc ſi ſententia ſuperius relata eſſet probabilis, quod poſsit Sacerdos ſuperior regularis, aut Epiſcopus vti ſcientia acquiſita in confeſſione ad regimen externum, licèt poſsit tali ſcientia vti, non tamẽ tenebitur illa vti ſub peccato mortali, etiam ſi ex non vſu ſequatur damnum notabile, vel ſibi ipſi, vel alicui tertio. Communitati, aut Reipublicæ hanc concluſionem ſtatuo contra Patrem Thomam Hurtado, & alios ab ipſo relatos. ita expreſsè D. Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 3. ar. 1. quæſtiunc. 1. ad 3. quare malè pro ſua concluſione eum citat P. Thomas Hurtado in 4. diſt. 9. qu. vnica art. 5. quæſtiunc. 1. in corpore, quia ibi D. Thom. non loquitur de ſcientia habita per cõfeſsionem ſacramentalem, Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 16. num. 7. Ludouicus Lopez, 2. part. inſtruct. cap. 96. quæſt. 1. Fagundez in 2. Eccleſiæ præceptum lib. 6. cap. 3. num. 19. vbi

pro

pro hac concluſione citat Sylueſtrum verbo confeſsio 3. quæſt. 14. immerito tamen cum Syluefter contrarium teneat dicto verbo confeſsio 3. num 9. quæſt. 14. per hæc verba: vt patet, ex Diuo Thoma in quinto quodlibeto quando Prælatus ſine manifeſtatione peccati poteſt ſubditum amouere ab officio periculoſo in poſterum hoc facere poteſt, & debet, licet eſſet melius eum ad ceſſationem inducere. Neque obſtat, quod efficeretur pronior ad celanda peccata, quia melius eſt cauere ne peccata fiant, quã ne facta celentur, quia ſi non fiunt non celantur non è conuerſo hæc Syluefter.

477 Hanc noſtram concluſionem probat Pater Fagundez dicto n. 19. primo, quia eſt quidem hoc mediũ de ſe arduum ac difficile, & grauiſsimis expoſitum periculis offendendi ſacramẽtale ſigillum, quia quamuis ſpeculatiuè loquendo, vſus huius notitiæ confeſſionis ſit licitus, practicè tamen vix poteſt ad praxim reduci abſque graui offenſione ſigilli, & tot cautelæ, & circumſtantiæ in vſu, & practica dictæ opinionis requiruntur, vt de plano illius fatentur Auctores, vt vix fas ſit ea ſententia vti: Vnde ſicut ille, qui caſtitatẽ vouit, & poſt votum caſtitatis vxorem duxit, poteſt abſolutè loquendo implere votum ſi Religionem ingrediatur ante conſumationem matrimonij, non tamen ad id tenetur, vt docet Sanch. lib. 9. de matrimonio diſp. 29. num. 2. & 3. quia ingreſſus Religionis eſt medium de ſe arduum, & difficile; ita in noſtro caſu, quando vſus huius notitiæ ſit licitus; nõ tamen ſub peccato lethali obligabit, quia de ſe eſt valde difficilis, & arduus, & valdè expoſitus violationi ſigilli ſacramẽtalis. Secundo quia Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum pœnitentiæ ad medendum animis peccatorum pro foro tantũ interno, vnde erit tranſcendere limites inſtitutionis Chriſti velle obligare Cõfeſſarios ſub peccato mortali, vti notitia confeſſionis pro dirigendis actibus fori externi hæc Fagundez.

478 Sed quamuis iſtæ rationes nõ parum iubẽt ad probandam noſtram concluſionem, tamen nõ ſimpliciter, & abſolutè efficaces ad eam ſuadendam, vt notauit dictus P. Thomas Hurtado dicto §. 3. numer. 157. quare noſtram concluſionem hac vnica efficaci tamen ratione probo: ſi Sacerdos Confeſſarius ſuperior, ſiue Regularis, ſiue Epiſcopus, vel Parochus, aut alius Confeſſor, qui non ſit ſuperior, ſuppoſito, quod ſit probabilis opinio affimans licere Confeſſoribus vti ſciẽtia habita in cõfeſsione Sacramentali ad regimẽ externum, teneretur ſub mortali tali ſcientia vti ad euitandũ dãnum, ſiue ſpirituale, ſiue temporale pœnitentis, aut teneretur ex iuſtitia tale damnum euitare, ſi eſſet ſuperior, aut ratione virtutis charitatis, aut iuſtitiæ legalis, ſi non eſſet ſuperior, atqui Confeſſor, ſiue ſuperior ſit ſiue, non tenetur ſub mortali vti tali ſcientia habita in Sacramẽti pœnitentiæ tribunali pro dirigendis actibus fori externi: ergo licet poſſet Confeſſor tali ſcientia vti, non tenebitur ea vti ſub peccato mortali. conſequentia eſt formalis, & maior ab omnibus concedi debet, & illam concedit Pater Thomas Hurtado, imo eſt potiſſimum eius fundamẽtum ad probandam concluſionem oppoſitam contra Patrem Fagũdez. minor

nor autẽ in qua eſt tota difficultas probatur, quia ſuperior, ſiue regularis ſit, ſiue ſæcularis, vt Epiſcopus, vel Parochus, non tenetur euitare damnum ſpirituale, aut temporale ſui ſubditi ex virtute iuſtitiæ, ſi ignore causam illius damni, neque inferior tenetur ex lege caritatis, aut iuſtitiæ legalis euitare damnum ſpirituale, aut temporale proximi, quando ignorat cauſam illius dãni, aut ignorat peccatum, ex quo illud damnũ ſequitur proximo, aut ſubdito; atqui Confeſſor, ſiue Prælatus ſit, ſiue non, qui in foro interno Sacramẽtalis confeſſionis ſcit peccatũ pœnitẽtis ex quo illi aliquod grauiſſimũ damnum, ſiue ſpirituale, ſiue temporale ſequitur, eſt dictum peccatum reſpectu Confeſſoris, quaſi neſcitum cum illud Confeſſarius neſciat, vt homo, licet illud ſciat, vt Deus: ergo Confeſſor, ſiue ſuperior ſit, ſiue ſubditus non tenetur vti ſcientia habita in confeſſione vitare damnum ſpirituale, aut temporale, ſubditi, aut proximi ex vi ſolius ſcientiæ habitę in foro interno Sacramentalis confeſſionis, neque ex lege iuſtitiæ, neque ex lege caritatis ſub peccato mortali, cum hæc vitatio ſit pro dirigendis actibus fori externi maior, & minor ſunt per ſe notæ, conſequentia vero eſt expreſſa D. Thomæ in 4. diſt. 21. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3. vbi poſtquam Angelicus Doctor ſibi faceret hoc argumentum: *Magis debet homo ſeruare conſcientiã ſuã, quam famam alterius, quia charitas ordinata eſt: ſed aliquando aliquis peccatum celans incurrit propriæ conſcientiæ damnum, ſicut cum in teſtimonium adducatur pro peccato illo, & iurare cogitur de veritate dicenda: vel cum aliquis Abbas ſcit per confeſſionem alicuius prioris ſibi ſubiecti peccatum cuius occaſio inducit ipſum ad ruinam, ſi ei prioratum dimittat, vnde debet ei auferre propter debitum paſtoralis curæ, auferendo autem videtur confeſſionem publicare. Ad quod argumentum ſic reſpondet D. Thomas Ad tertium dicendum, quod homo non adducitur in teſtimonium, niſi vt homo, ideo abſque leſione conſcientiæ poteſt iurare ſe neſcire, quod ſcit tantum vt Deus, ſimiliter autẽ abſque leſione cõſcientiæ poteſt Prælatus impunitum dimittere peccatum, quod ſcit vt Deus, vel ſine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo quo ad ipſum defertur: vnde in his, quæ deferuntur ei in foro pœnitentiæ in eodem foro debet quantum poteſt adhibere remedium, vt Abbas in caſu dicto admoneat eum, vt prioratum reſignet, vel ſi noluerit poteſt ex aliqua alia occaſione abſoluere à cura prioratus, ita tamẽ, quod omnis ſuſpitio vitetur de confeſſionis reuelatione*; Quid clarius pro veritate huius concluſionis deſiderari poteſt.

479 Dicendum eſt ſecundo eſſe contra ſigillum Sacramenti pœnitentiæ, quod quis vtatur ſcientia habita in confeſſione ad regimen externum ſuarum actionum reipublicæ, aut communitatis, & ſic ex vi Sacramentalis ſecreti eſt ſecundum ſe illicitum tali ſcientia vti. Hanc concluſionem ſtatuo contra Patrem Thomam Hurtado, & alios ab ipſo citatos vbi ſupra dicto §. 7. num. 162. hanc concluſionẽ ſuſtinent Authores à nobis poſtea citandi concluſione ſequenti. quam cõcluſionem ſic probo: Cõfeſſarius, ſiue Prælatus ſit, ſiue non tenetur ex vi ſacramentalis ſecreti non reuelare ea peccata, quæ in confeſſione Sacramentali audiuit, & de quibus in foro interiori Sa-

cramentalis pœnitentiæ ſcientiã habuit, neque directè, neque indirectè, atqui Confeſſor, qui vtitur ſcientia habita in confeſsione ad regimen externum ſuarũ actionum Reipublicę, aut communitatis reuelat ſaltẽ indirectè peccata cognita in foro interioris ſacramẽtalis pœnitẽtię: ergo iſte talis vtendo ſcientia habita in confeſsione ſacramẽtali frangit ſigillum Sacramenti pœnitẽtiæ. Probatur minor; nam vt conſtat ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſ. 12. tit. 3. Confeſſor non debet manifeſtare peccata pœnitentis in confeſsione cognita, neque verbo, neque ſigno, neque alio quouiſmodo; ne peccatorem perdat, vt conſtat ex illis verbis ipſius cap. Caueat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quouiſmodo, aliquatenus perdat peccatorem; atqui Confeſſor, ſiue Prælatus ſit, ſiue non qui vtitur ſcientia habita in ſacramentali confeſsione ad regimen externum ſuarum actionũ Reipublicæ, aut communitatis facit aliquod ſignum externum, quo poſsit facile peccatorẽ perdere faciendo illi formidabilem, & odioſam confeſsionem: Ergo Confeſſor, qui vtitur ſcientia habita in foro interno ſacramentalis pœnitentię ad regimen externum ſaltem indirectè facit contra ſigillum Sacramenti pœnitẽtiæ. Nec valet ſi dicas hanc non eſſe reuelationem confeſsionis, quia nemini tunc reuelat Confeſſarius, quamuis pœnitẽs probabiliter generet ſuſpitionem, quod Cõfeſſarius v.g. ſuperior eũ amouet eum ab officio ad nutũ à mobili ductus ſcientia habita de ſuo peccato in foro interiori Sacramenti pęnitentiæ. Hoc inquam non valet, quia Confeſsio ſacramentalis debet eſſe clauſa, & ſigillata, non ſolum reſpectu aliorum à pœnitente, ſed etiam reſpectu ipſius pœnitentis, aliàs liceret Confeſſario loqui extra confeſsionem cum ipſo pœnitẽte de peccatis auditis in confeſsione ſine illius licentia abſque fractione ſigilli, quod nemo dicit: ergo ſicut Confeſſarius, qui extra confeſſionem loquitur cũ pœnitente de peccatis in cõfeſsione auditis abſque eius licẽtia facit contra ſigillum confeſſionis directè, ita ſi faciat aliquod ſignum externum, ex quo pœnitens ſaltem probabiliter colligere poſſit ipſũ Confeſſorẽ in tali actione exteriori exercenda vti ſcientia habita in confeſsione de ſuo peccato, quam actionem nõ faceret circa ipſum pœnitentem, ſi careret tali ſcientia faciet Confeſſarius contra confeſſionis ſigillum indirectè.

480 Aſſerendum eſt tertio. poſt decretum Clementis 8. improbabilẽ eſſe ſententiã, contrariã, quæ aſſerrit poſſe Confeſſarium (ſiue ſuperior ſit, ſiue non) ſiue ſęcularem, ſiue regularem vti confeſſionis notitia, quare hodie dicta ſententia ſuſtineri non poteſt, quidquid dicat Leander à Sanctiſſimo Sacramento loco poſtea citando. ita defendunt Diana part. 3. tract. 4. de Sacramentis reſol. 76. vbi loquendo de oppoſita opinione ſic ait: ſed hæc opinio opus eſt, vt non doceatur, neque in practicam adducatur, vtpote periculoſa, & nociua honori, ac religioni Sacramenti, & ideo cõtrariam ſuſtinendam puto, & part. 5. tract. 11. reſol. 3. & part. 11. tract. 5. Miſcell. reſol. 15. Layman. in theolog. moral. lib. 5. tract. 6. cap 14. num. 22. Thomas Sanchez de matrimonio tẽ. 1. lib. 3. diſp. 16. à num. 3. Armil-

la

la verbo Confeſſor num.7.Bãnez 2.2.quæſt.33.art.8. ad finem §. ad confirmationem reſpondetur Moſcoſo in sũma tract.7.c.15.nu. 4. Ioannes Prępoſitus in 3. part. quæſt.11. de ſigillo confeſſionis dub.7.num.52. Valentia tom. 4. diſp.7. quæſt.13.punt.3. Granadus in 3. part. tract.7. art. 11. diſp.7. num. 5. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnitent. diſp.23. ſect.5. §.1.num.93. Hermanus Buſenbaum in Medula Theologiæ moralis lib.6. tract.4. cap.3. dub.1. num.4. eruditus Pater Ioannes Dedicaſtillo tom. 2. de pœnitent. diſp.12. dub.7. num.140. aſſert.3. & eam putat probabilem Leander à Santiſſimo Sacramento part.1. tract.5. diſp.10. quæſt.63. vbi opinionem contrariam, immerito probabilẽ vocat. Cardinalis Tuſcus tom.2. litera C. concluſ.686. & 687. Menochius lib.6. præſumptionum præſumptione 95. & de Arbitrarijs lib.2. centuria 5. concluſ.414. Coninch. diſp.9. dub.1. num.22. Reginaldus lib. 6. num.451. Onuphrius de ſigillo ſect.2. quæſt.2. dub.2. & alij. communiter.

Probatur aſſertum ex verbis
481 ipſius decreti Clementis Octaui cap.4. ibi; tam ſuperiores pro tẽpore exiſtentes, quam Confeſſarij; qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti caueãt diligentiſsimè, ne ea notitia, quã de aliorum peccatis in confeſsione habuerũt ad exteriorem gubernationem vtantur. Atqui in his verbis quamuis ſolum videatur loqui Summus Pontifex de Confeſſarijs, tum dum ſunt ſuperiores, tum quando poſtea promoti fuerint ad gradum ſuperioritatis, ratio nihilhominus probat pro omnibus Confeſſarijs etiam ſæcularibus: ergo poſt dictum decretum Clementis Octaui improbabilis eſt ſententia contraria. Minor huius ſylogiſmi efficaciſsimo diſcurſu probatur à erudito Patre Ioanne Dedicaſtillo vbi ſupra num.141. qui poteſt ad hanc formam reduci; quia illa Clementis Octaui reſolutio manifeſtè excludit omnem casũ; ita, vt Regularis nullo modo in aliquo caſu poſſit, vti ſciẽtia habita in foro interiori Sacramenti pœnitentiæ ad exteriorem gubernationem; atqui lex cum tãta amplitudine non poſſet eſſe iuſta, niſi Pontifex ſupponeret, non eſſe illum vſum licitum ex natura rei: ergo verba decreti Clementis Octaui probant pro omnibus Confeſſarijs, tam ſuperioribus, quam inferioribus etiã ſæcularibus. Probo hanc minorem. Primo; quia ſi ex natura rei liceret vti ſcientia habita in foro interiori Sacramenti pœnitentiæ dabilis eſſet caſus, in quo non ſolum liceret Confeſſario ea ſcientia vti, ſed etiam teneretur vti dicta ſcientia ex præcepto naturali, vt quando Prælatus ex confeſſione ſciret aliquem eſſe indignum prælatura, teneretur ex vi talis notitiæ non eligere illum, cum eligere indignum ſit intrinſecè malum, & indignum eſſe ſcit, notitia, qua ex natura rei vti licet, atque adeò non poſſet Sũmus Põtifex prohibere, ne illa vtatur. Secundo ſi Prælatus ſciret ex notitia tantũ ſacramẽtalis confeſſionis aliquem non eſſe Sacerdotem, & ex natura rei, & generali præcepto Chriſti Domini non eſſe illicitum vti ea notitia deberet illũ non deſignare in Confeſſarium ſuorum ſubditorum, ne illi irritas facerent confeſſiones, & tamen in hoc caſu, & ſimilibus prohibet Pontifex vti tali ſcientia, cum omnes

casus prohibeat: ergo signũ est, quod hæc obligatio non vtendi scientia habita in confessione sacramentali est ex natura rei, suppositâ institutione huius Sacramenti, & id censetur supponere Summus Pontifex, aliàs non posset tale præceptum imponere. Ergo si hoc habet ex natura rei, & ex vi institutionis Sacramenti pœnitentiæ, non solum pro regularibus: sed pro omnibus debet habere locum, & nullus Confessarius poterit, ea notitia vti.

482 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia Cõfessarius post auditam sacramentalem confessionem habet obligationem seruandi secretum cõfessionis, quæ obligatio oritur ex iure humano ecclesiastico, & ex iure purè naturali, & ex iure naturali diuino. Oritur ex iure humano ecclesiastico, vt constat ex capit. Sacerdos de pœnitent. dist. 6. & ex cap. omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus. oritur deindè ex iure pure naturali virtutis iustitiæ, quia ex virtute iustitiæ tenemur prospicere famam proximi. Oritur præterea ex iure naturali diuino virtutis religionis, qua virtute religionis tenemur ad seruandum secretum confessionis ob reuerentiam ipsi debitam, ne fiat odiosa sacramentalis confessio fidelibus: quod ius dicitur naturale, quia suppositâ institutione Sacramenti confessionis oritur ex natura virtutis Religionis, & dicitur diuinum, quia oritur ex virtute religionis non absolutè, sed suppositâ diuina institutione confessionis à Christo facta. et ita pœnitens habet ius, vt Confessarius illi seruet secretum de peccatis in confessione auditis. vt neque directè, neque indirectè verbo, aut signo, aut quouis alio modo ea peccata manifestet, neque alijs, neque ipsi pœnitenti extra confessionem, & ita ob crimen occultum auditum in confessione non potest Confessarius illi negare etiam occultè suffragium, vel remouere eum ab officio ad nutum amobili, quia saltem ipsi pœnitenti obijcitur crimen, & facto ipso hoc tale crimen reprehenditur. Ex quo patet responsio ad probationem consequentiæ.

483 Ad secundum similiter respõdetur concedendo antecedens, & negando consequentiã; quia vt supra diximus sigillũ confessionis obligat non solum respectu aliorum; sed ipsius etiam pœnitentis, nec solum tenetur Sacerdos non detegere alijs peccatũ, sed etiam nullo modo loqui de ipso cum pœnitente extra confessionem, atque adeò neque exprobare, neque obijcere illi crimen, neque in memoriam reuocare: quamuis enim, vel non sit propriè fractio sigilli, vt aliqui volunt, vel si fractio sigilli est, (quod verius iudicio) non sit 484
propriè reuelatio, nihilominus est peccatum graue, & quoddam genus reuelationis, offenditur q; sigillum, vt cum multis docet Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 16. num. 3. quare multo minus ob crimen occultum auditum in confessione licebit negare pœnitenti etiam occultè Eucharistiam, ordines, suffragium, vel remouere eum ab officio ad nutum amobili, (vt diximus solutione præcedentis argumenti, & cum Sanchez docent Cardinalis Lugo de pœnitentia disp. 23. sect. 5. num. 65.

95. & ſequentibus Ioannes Dedicaſtillo vbi ſupra num. 143.) quia ſaltem ipſi pœnitenti obijcitur crimen, & facto ipſo hoc tale crimen repræhenditur.

484 Ad tertium reſpondetur negãdo minorem, ad cuius probationem negandum eſt antecedens; nam vt cum Sanchez, & alijs benè notat Dedicaſtillo loco ſupra allegato num. 144. ſicut non licet Confeſſario aliquid efficere, vnde alij rationaliter ſuſpicari poſſint peccatum auditũ in confeſſione: ita eſt illicitum, licet nõ in eodem gradu aliquid facere, vnde pœnitens rationaliter ſuſpicari poſſit, ſeu intelligere id fieri ob peccatum illud, cũ ſigillum obiget ne peccatum alijs, aut ipſi pœnitenti, extra confeſſionem reueletur, aut dicatur, vt ſupra diximus: ergo ſicut nefas eſſet negare Euchariſtiam, amouere ab officio, quando alij merito intelligerent cauſam eſſe peccatum in confeſſione auditum, ita nefas: erit quando ipſemet pœnitens id intelligit, probatur conſequentia; quia ideo negatur licitum eſſe reuocari in memoriam pœnitenti etiam cauſa ipſum conſolandi peccatum in confeſſione auditum, qui à pudore ſuffundetur, & adetur odioſa confeſſio: ergo multo minus licebit: facto ipſo remouendo ab officio, negata Euchariſtia, vel ſuffragio, exprobare illi crimen, maiorem enim patietur verecundiam, magiſque odioſa fiet confeſſio ex hoc, quam ex illo.

485 Ad quartum reſpondetur negando antecedens: nam obligatio ſigilli Sacramentalis confeſſionis, ita grauis eſt, vt materiæ leuitatem non admittat, quia licet, quod reuelatur pœnitenti non noſceat, Sacramentum ipſum, in cuius reuerentiam ſigillum præcipitur grauiſsimè offenditur cuiuſcumq; piaculi manifeſtatione, vt docent Suarez. diſp. 33. ſect. 1. num. 12 Henriquez lib. 6. cap. 19. num. 3. Coninchius diſp. 9. dub. 1. num. 14. ſect. 2. Antonius Scobar de Mẽdoza in Theolog. morali tom. 2. lib. 16. cap. 13. de ſigillo confeſſionis ſect. 1. num. 157.

486 Ad fundamẽtũ Doctoris D. Petri de Ochagauia, quatenus aſſerit poſſe Prælatos ſeculares, nempe Epiſcopos vti ſcientia habita in tribunali Sacramenti pœnitentiæ in ordine ad gubernationem externam non obſtante ſupradictum decretum Clemẽtis 8. cum decretum Clementis, ſolum prohibeat vti ſcientia habita in confeſſione Sacramentali ſolis Prælatis regularibus ſatis conſtat ex dictis aſſertione tertia, in qua probauimus decretum Clementis Octaui loqui cum omnibus Confeſſoribus, tam regularibus, quam ſæcularibus, ſiue ſuperiores ſint, ſiue non prohibens illis vti ſcientia habita in confeſſione in ordine ad gubernationem externam.

487 Ad fundamentum Patris Thomæ Hurtado pro prima eius cõcluſione ſatis conſtat ex dictis in prima noſtra aſſertione, vbi latè probauimus, quod etiam ſi probabilis eſſet opinio affirmans licere Confeſſoribus vti ſcientia habita in tribunali Sacramenti pœnitentiæ in ordine ad gubernationem exteriorem in caſibus indicta concluſione aſſignatis à dicto Patre Thoma Hurtado, adhuc nõ teneretur Cõfeſſarius ſub culpa mortali, ea ſcientia vti, ſiue Confeſſarius eſſet ſuperior, ſiue non cum adhoc non eſſet obligatus, neque ex virtute iuſtitiæ, neque ex virtute charitatis, &

Iu-

Iustitiæ legalis, vt in dicta assertione prima latè diximus.

488 Ad fundamentũ secundæ conclusionis dicti Patris Thomæ Hurtado respondetur; concedendo maiorem, & negando suppositum minoris, supponit enim falsò esse possibile maliquem casum in quo Cõfessarius possit vti scientia habita in confessione etiam secretò ad regimen externũ suarum actionum Reipublicæ, aut communitatis, vt probauimus assertione secunda absque eo, quod Confessarius frangat sacramentalis confessionis sigillũ, saltem indirectè; nam vt ibi diximus Confessor, quisquis ille sit, qui vtitur scientia habita in confessione sacramentali ad regimẽ externum suarum actionum Reipublicæ, aut communitatis saltem indirectè sigillum confessionis frangit, licet non dicatur propriè reuelare confessionem; & deinde vtendo tali scientia facit odiosam scramentalem confessionem pœnitentibus, peccatque mortaliter contra reuerentiam debitam sacramento pœnitentiæ, quod clarè docet Diuus Thomas in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. in corpore per hæc verba: *Respondeo dicẽdum ad primam quæstionem, quod in Sacramentis ea quæ exterius geruntur, sunt signa rerum quæ interius contingunt, & ideò confessio quaquis Sacerdoti se subijcit, signum est interioris qua, quis Deo subijcitur, Deus enim peccatum illius, qui se sibi subijcit per pœnitentiam tegit, vnde, & hoc oportet in Sacramento pœnitentiæ signare, & ideò de necessitate Sacramenti est, quod quis cõfessionem cælet, et tamquam violator Sacramenti peccat, qui reuelat, & præter hoc sunt aliæ vtilitates huius cælationis, quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur, & simplicius peccata confitentur.* Ex quibus verbis D. Thomæ tale conficio argumentum: quia si sentẽtia Patris Thomę Hurtado esset vera, cessarent vtilitates sigilli sacramentalis confessionis, quæ assignatur à Diuo Thoma loco superius relato, quare Riccardus hic dist. 20. art. 4. quæst. 2. ad 4. ait Prælatũ remouendo ab officio suum subditum, quem per suam confessionem sit malè vti officio suo, & si faciat vtilitatem illius; tamen facit contra vtilitatem cõmunitatis; quod pro sua confessione remotus est, proniores reddentur, vt non confiteantur secundum veritatem. Deindè quia quamuis amotus ab officio suspicari aliquando non possit id ortum habere ex confessione, sufficit tamen, quod homines sciant peccata sola confessione cognita id ius tribuere ad hoc, vt omninò timeant confiteri, & à confessione detrahantur. Ex quo patet responsio ad probationem minoris.

489 Ex quibus infero contra dictũ Patrem de Hurtado non licere Episcopis alijsque Cõfessoribus, siue regularibus, siue sęcularibus vti notitia, seu scientia habita in Tribunali Sacramenti pœnitentiæ ad gubernationem externã communitatis, aut Reipublicæ, cum ex natura rei hoc fit contra secretum, & sigillum Sacramenti pœnitentiæ saltem indirectè; licet non sit propriè reuelatio confessionis, vt supra diximus: neque ratio allegata à Patre Thoma Hurtado dicto §. quintodecimo cõtrariũ conuincit: quia falsò supponit supradictus Doctor ex natura rei licere Confessario vti notitia, vel scientia de peccatis

peccatis habita in confessione ad regimẽ externum sui ipsius Reipublicæ, aut communitatis, & solum esse prohibitum præcepto Summi Pontificis, vt probauimus assertione 2.

490 Ex quibus infero non licere Sacerdotibus Confessarijs vti scientia habita in tribunali Sacramenti pœnitentiæ ad denegandum, etiam in secreto pœnitenti sacram communionem, nec contrariũ docet Diuus Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 1. vt malè iudicat Pater Thomas Hurtado, nam D. Thomas in dicto art. 5. interrogat, vtrum Sacerdos debeat dare Corpus Christi petenti, si sciat ipsum esse peccatorem, ad quam difficultatem cum distintione respondet in dicta quæstiuncula 1. in corpore per hęc verba: *Dicendum ad primam quæstionem, quod si Sacerdos sciat peccatum alicuius, qui Eucharistiam petit, per confessionẽ, vel alio quolibet modo distinguendum est, quia aut peccatum, est occultum aut manifestum, si est occultum, aut exigit in occulto, aut in manifesto: si in occulto debet ei denegare, & monere ne in publico petat: si autem in manifesto petit ei dare, primo, quia pro peccato occulto pœnam inferens publicam reuelator est confessionis, aut proditor criminis. Secundo, quia quilibet Christianus habet ius in perceptione Eucharistiæ, nisi illud per peccatum mortale amittat. vndè cum in facie Ecclesiæ non cõstet istũ amisisse ius suum, non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari, aliàs daretur facultas malis Sacerdotibus pro suo libeto punire maxima pœna quos vellent. Tertio propter incertitudinem status sumẽtis, quia spiritus vbi vult spirat, vnde subitò potest esse compunctus, & diuinitus à peccato purgatus, & diuina inspiratione ad Sacramentum accedere, quarto quia est scandalum si denegaretur, si vero peccatum est manifestum debet ei denegari siue in occulto, siue in manifesto petat*, Ex quibus verbis non licet inferre Angelum præceptum substinere, quod liceat Sacerdoti Cõfessario negare pœnitenti sacram Eucharistiam etiam inoculto ex vi notitię habitæ in confessione Sacramentali, nisi aliàs habeat notitiã extra confessionem de malo statu pœnitentis, nam solum intẽdit Diuus Thomas probare, vt ex ipso contextu manifestè constat, quod quando peccator publicus publicè aut in occulto aculto accedit ad recipiendũ Eucharistię Sacramentum debeat ei Sacerdos sacram Eucharistiam denegare, quia tunc habet scientiam de malo statu peccatoris, vt homo, & non præcisè vt Deus: quãdo autem Sacerdos habet scientiam de peccato pœnitentis solum in Sacramentali confessione tunc solum scit vt Deus, & ita non licet illi sacram Eucharistiã denegare pęnitenti etiam in occulto, quia vt supra diximus saltem ipsi pœnitenti obijcitur crimen, & facto ipso ob tale crimẽ repræhenditur, quod est facere contra sigillum confessionis saltẽ indirectè, quod nullo modo licet vt supra probauimus. Ob eãdem rationem non licet superioribus, siue secularibus, siue regularibus ob crimen occultum in cõfessione Sacramentali auditum negare etiam occultè suis subditis ordinis, suffragium, vel remouere eos officio ad nutum amobili.

491 Hic solet à Doctoribus interrogare an si Confessarius scit ex notitia habita in confessione, quod quædã mulier nobilis quãdo vocat Confessarios in domũ

suam

ſuam ad confitendum ſæpius illos ſolicitat, an ipſe vocatus poſſit ſe excuſare: licet nullam habeat idoneam excuſationem propter periculum labendi in peccatum. Authores, qui dicunt poſſe Sacerdotem, qui confeſſionem ſcit vinũ illi paratum ad miſſam celebrandam eſſe veneno infectum poſſe miſſam prætermittere: imo, & debere, vt mortem euadat, & vt euitet irreuerentiam Sacramenti conſecrando in vino venenato, vt cũ alijs docet Coninch. conſequenter dicunt prædictum Sacerdotem poſſe vocatum à dicta muliere in domum ſuam ad confitendum ſe excuſare propter periculum incidendi in mortem ſpiritualem per peccatum. Pater vero Ioannes Dedicaſtillo, vbi ſupra num. 167. quẽ ſequitur Diana part. 11. tract. 5. reſolut. 15. §. ſi caſus admittatur poſſibilis ſuſtinet dictũ Confeſſarium ſicut non poſſe ob periculũ vitæ, ſeu propter illud vitandum aliquid fieri in detrimento ſigilli Sacramenti pœnitentiæ: ita ſimiliter non poteſt dictus Sacerdos aliquid contra ſigillum facere ad euitãdum periculum mortis ſpi- 492
ritualis animæ: quare in dicto caſu dicunt Confeſſarium debere adire: perinde atque adiret, ſi nihil ſciret: & ſperare poſſe auxilium diuinum, & ſe diuinæ prouidentiæ committere ſaluo in omnibus ſigillo, ne illa notitia debet illum dirigere ad euitandũ illud periculum, atque adeò nõ eſt intrinſecè ſe, malum in hijs circumſtantijs tale periculum nõ vitare, cuius rationem reddit eruditus Pater Dedicaſtillo nũ. 169. Tum quia non eſt intrinſicè malum tale periculum non cognitum ſubire, nec eſt mortaliter ſe exponere tali periculo, quãdo id non eſt notam ſubeunti, in eo autem caſu periculum non eſt notum; tũ quia illa notitia eſt quaſi non eſſet in ordine ad operandum ex illa, tum, quia eò ipſo quod in reuerentia Sacramenti ſe exponit illi periculo poteſt, & debet ſperare ſpeciale auxiliũ tam antecedenter, vt firmiori propoſito ſe muniat, quam poſtea in ipſo articulo occaſionis, vt conſtanter, & fortiter ſuperet tentationem, quæ omnia poſſunt magnam ſecuritatem aut fiduciam præbere, imò propter hæc, & ſimilia poteſt iã cenſeri illa occaſio non proxima etiam ſi alioquin in alijs ſimilibus occaſionibus expertus fuiſſet ruinam. Hæc Dedicaſtillo, cui ego libenter aſſentio: ſi caſus eſt poſſibilis: nam plus habet de metaphyſico: quàm de practico.

RESOLVTIO XXXI.

Vtrum ille, qui diſtulit confeſsionem anni præteriti vſque ad annum ſequẽtem vnica confeſsione poſsit ſatisfacere vtriquc præcepto.

IN hac difficultate tres inuenio ſententias. Duæ ex Diametro oppoſitæ, & altera quaſi media. Prima abſolutè negat poſſe eum, qui diſtulit confeſsionem anni præteriti vſque ad annum ſequentem vnica cõfeſſione ſatisfacere vtrique præcepto. ita Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 26. ſect. 4. num. 5. Nugnus in addit. ad 3. part. quæſt. 6. art. 5. difficult. 5. Coninch. de Sacr. diſp. 5. dub. 8. Filliucius tract. 7. cap. 3. num. 56. D. Ioannes Caramuel in Theolog. fundam. fundamento 31. §. 12. concl. 2. nu. 764. & colligitur ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ. tenet etiam eam Pater Ioã-

nes

nes Martinon tom. 5. in 3. part. D. Thomæ disp. 49. de pœnit. sect. 7. num. 72. & 73.

493 Fundamentum huius sententiæ est: quia præcepto ecclesiastico tenentur omnes fideles, cũ ad annos discretionis peruenerint: saltem semel in anno omnia sua peccata legitimo Confessario cõfiteri, vt habetur in dicto cap. omnis vtriusq; sexus: atqui hæc obligatio confitẽdi nõ est similis obligationi audiendi missam. die festo: quia hæc elapso die expirat: illa autem elapso anno adhuc permanet: & ideò quia anno 1657. non fuit confessus tenebitur anno 1658. vi præcepti anni 1657. ad Tribunal pœnitentiæ venire, & sua peccata confiteri. Quod si anno 1658. confiteatur: tamen si peccauerit mortaliter confessionem differendo vltra tempus vnica nihilominus confessione anni præcedẽtis, & currentis anni (1657. & 1658.) præcepto satisfaciet: ergo sententia, quæ docet posse aliquem sine mortali semel tantummodo cõfiteri, & sic satisfacere duorum annorum obligationi tamquam pernicioſa in re grauissima contrariaque consuetudini Ecclesiæ non est toleranda vtpote, quæ posset esse causa quod multæ animæ in æternum perirent.

494 Secunda sententia huic ex Diametro oppoſita absolutè affirmat eum, qui distulit confessionem anni præteriti vsq; ad annum sequentem vnica confessione posse satisfacere vtrique præcepto. ita Patet D. Carolus Malletus in aureo Theolog. moral. tom 2. malleat. 3. de præceptis Ecclesiæ bractea 19. & pro hac sententia citat Molfesium in sũma tract. 7. cap. 10. num. 37. & Laymã in Theologia moralili b. 5. tract. 6. cap. 5. nu. 8. sed isti DD. nullo modo hanc sentẽtiam sustinent, nam Layman solum asserit, quod qui post Phaschalem confessionem in mortale peccatum lapsus fuit eius cõfessionem vsque ad sequens Pascha differre potest, & non amplius: verba Layman in dicto num. 8. hæc sunt, assero 4. facilior, & Ecclesiasticæ consuetudini conformior esse annuæ confessionis computatio à Paschate ad alterum Pascha: ita vt qui post Paschalẽ confessionem in mortale peccatum lapsus fuit eius cõfessionem vsque ad sequens Pascha differri possit, & non amplius: ita docent Henriquez lib. 4. cap. 4. nũ. 2. Suarez disp. 26. sect. 3. Coninch. disp. 5. dub. 6. idque probatur ex praxi Ecclesiæ, si quidem eo solo tempore Pastores à fidelibus suis confessiones peccatorũ intra annum commissum exigere solent hæc Layman. videat, ergo Pater D. Carolus Malletus, quàm longè abest Laymã ab hac opinione pro qua illum citat: imò tam longe obest vt contrarium colligatur ex Doctrina ipsius Layman num. enim 9. eiusdem capitis sic inquit corollario primo, qui Paschali tempore iusta, vel iniusta de causa Sacramentalem confessionem intermisit, is, cum primum postea cõmode possit confiteri debet, vt quando diutius confessionem sine causa differt tantò peccatum aggrauat. ita docet Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. Medina quæst. 14. de confessione in fine Nauarrus cap. 21. num. 45. Victoria n. 147. Suarez disp. 36. sect. 4. Coninch. disp. 5. dub. 8. Sylvester verbo Euchar. 3. quæst. 15. dic. 3. Ratio est quia tempus Paschale: veluti implendi præcepti terminus positus non est ad obligationem finiendam. sicuti acci-

dit in præcepto ieiunij, audiendę Missæ, &c. quibus certi dies assignati sunt: sed ad obligationē statuendum, quemadmodum videre est in obligatione tributi, vel pecuniarij debiti huiusque Layman. ex qua doctrina apertè sequitur stare pro contraria sententia, & minimè pro sententia D. Caroli Malleti. Nec Molfesius stat pro hac sententia, vt absque fundamento affirmat. Malletus, vt constat ex dict. tr. 7. de pœnit. cap. 10. n. 37. vbi eum citat D. Carolus Malletus ibi enim sic ait, quod autem dicunt Authores contrarij durū sequi, vt continuo peccaret, si statim non confitereretur elapso anno. Respondetur non esse durum ex parte præcepti: sed ex parte non adimplentis, qui, continuò peccat, sicut, qui iniustè differt restitutionem. At non semper cōmittit nouum peccatum mortale: sed continuando, & aggrauando peccatum commissum per omissionem confessionis in Paschate; & sic satis est confiteri tempus, à quo non est confessus peccata sua: nisi interueniat etiam contemptus præcepti: tūc enim esset hoc explicandum in confessione, vt magis patebit ex dicendis cap. 12. ita Molfesius, ex quo constat nullo modo stare pro hac sententia.

495 Probatur primo hæc sententia à D. Carolo Malleti: quia vnico actu possumus duobus præceptis satisfacere: ergo vnica cōfessione potest quis satisfacere præcepto confessionis duorum annorum præteriti, scilicet, & præsentis: quando distulit confessionem anni præteriti vsque ad annum sequentem, seu præsentem; consequentia ex antecedenti sequitur: antecedens vero probatur: nam si in die Dominica incidat festū alicuius Sācti Apostoli, v. g. Sancti Iacobi, vel alterius Sancti ex solemnioribus tunc concurrunt duo præcepta de audiendo sacro: & nihilominus vnica auditione vnius tātùm missæ adimplētur duo illa præcepta; Deinde quando in die Quatragesimæ incidit vigilia Sancti Matthiæ, aut in die 4. temporum mensis Septembris incidit vigilia Sancti Matthei, vt multoties cōtingit sunt duo præcepta obligantia ad ieiunium Ecclesiarum, quæ vnico ieiunio adimplentur: ergo vnico actu possumus duobus præceptis satisfacere, & consequenter qui distulit confessionē anni præteriti vsque ad annum sequentem vnica confessione potest satisfacere vtrique præcepto.

496 Secundo probatur: quia si ille, qui distulit confessionem anni præteriti, vsque ad annum sequentem obligaretur ad duas confessiones faciendas: sequeretur debere vnam facere pro anno præterito, & pro peccatis cōmissis in ipso anno, & alteram pro anno sequenti, pro peccatis commissis in ipso anno, sed hoc dici non potest: ergo neq; quod teneatur facere duas confessiones: probatur minor: quia supponendo, quod in sequenti anno fecerit plura peccata mortalia teneretur etiam ipsa confiteri in confessione, quæ fit pro anno antecedenti: alioquin non posset absolui in cōfessione prioris anni, cum absolutio habeat impedimētum ad producendum suū effectum nimirum peccata mortalia posterioris anni. Quod etiā dicendum est si velit cōfiteri pro anno sequenti teneri, scilicet cōfiteri peccata mortalia anno antecedenti facta non confessa, si velit absolui, & participare effectum

ctum abſolutionis, alioquin non poſſe: ergo vnica confeſsione poteſt ſatisfacere pro vtroque præcepto.

497 Tertio probatur: quia ſi in tali caſu, qui diſtulit confeſsionem anni præteriti vſque ad annum ſequentem obligaretur ad aliam confeſsionē, maximè eſſet: quia darentur alia peccata, quæ non fiunt confeſſa: cum confeſsio præcipiatur ob confeſsionem peccatorum: atqui hoc eſt falſum, cum ſupponamus pœnitentem integrè confeſſum eſſe: ergo erit etiā falſum, quod ipſe pœnitens ſit obligatus facere duas confeſsiones, & non poſsit vnica confeſsione ſatisfacere vtrique præcepto.

498 Tertia ſententia media via procedit: aſſerit enim, quod ille, qui diſtulit cōfiteri anno præcedenti, cum teneatur ſub mortali quam primum anno ſequēti confeſsionem facere illorum peccatorum ſaltem mortalium, quæ anno præcedenti commiſit; ſi ſolùm prędicta peccata ab ipſo commiſſa anno præcedenti cōfiteantur in confeſſione ab ipſo facta in principio anni ſequētis, non ſatisfacit præcepto confitēdi eo anno ſequenti, quia ea confeſſio tantum pertinet ad annum antecedentem. Si vero in ea cōfeſsione anni ſequentis etiam confiteatur aliquod peccatum mortale illius anni ſequentis, aſſerunt DD. iſtius ſententiæ pœnitentem ſatisfacere ea confeſsione non ſolùm præcepto anni antecedentis, ſed etiam præcepto illius anni ſequentis. Hæc sēntentia mihi verior, & probabilior videtur: ita tenent Caſtropalaus part. 4. tract. 23. de Sacram. pœnit. diſp. vnica punt. 20. §. 2. num. 15. vbi ſic ait: Sed ſententia dura mihi videtur, & difficilis, nā ſi initio anni ſequētis omnia tua peccata, tam præcedenti, quam præſenti anno commiſſa fatearis: tametſi eo anno nullam aliam confeſſionem feceris, præceptum latum de confeſſione ſemel in anno faciēda eo anno non transgrederis: ſi quidem eo anno iam ſemel confeſſus es. Pater Antoninus Diana part. 4. tract. 4. reſol. 206. §. notandum eſt etiam & par. 8. tr. 7. reſol. 80. Pater Gaſpar Hurtadus de Sacram. diſp. 7. de pœnit. difficult. 12. Pater Leander à Sāctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. de Sacram. pœnit. diſp. 3. qu. 44. Pater Ioannes Præpoſitus in 3. part. quæſt. 3. de confeſsione dub. 8. nu. 52. Pater Rodricus Arriagà de pœnit. diſp. 52. ſect. 8. nu. 62. §. hinc autem.

499 Probatur hæc ſententia quoad primam eius partem, ſcilicet, quod qui diſtulit confiteri anno præcedenti, ſi in anno ſequenti ſolùm confiteatur peccata mortalia anni præcedentis teneatur dicto anno ſequenti aliam confeſſionem facere ad implendum præceptum cōfeſsionis illius anni ſequentis: quia ex cap. omnis vtriuſque ſexus tenentur fideles ſaltem ſemel in anno cōfiteri: ergo qui omiſit confiteri culpabiliter, aut inculpabiliter ſua peccata anno præcedenti; ſi anno ſequenti cōfiteatur circa initiū illius anni tenebitur iterum anno ſequenti confiteri, vt ſatisfaciat præcepto eccleſiaſtico annuę cōfeſsionis dicti anni ſequētis, ſi in illa confeſsione ſola peccata anni præcedentis confiteatur: nec ſatisfaciet illa vnica cōfeſsione pro vtroque anno, probatur conſequentia: quia talis confeſsio ſecundum moralem extimationem pertinet ſolùm ad annum præcedentē, pro quo

fit, & ad quē retrotrahitur: ergo non ſatisfacit obligationi anniſequentis, licet in eo phyſicè fiat, quod conſtat ex praxi Prælatorum, qui confitentes, & communicantes initio ſequentis anni excommunicant, niſi, donec ſatisfaciāt exequutioni præcepti pro anno ſuperiori, ac rurſus paulopoſt finem eiuſdem anni, niſi intra illum rurſus confeſſionem, & communionem adijerint eos excommunicant; donec pro illo anno ſatisfecerint. Notāter dixi ſi confeſsionem peccatorum anni præteriti faciant initio anni ſequentis: quia ſi dictā confeſsionem faciant circa finē; vel circa medium anni ſequētis, tunc nimia eſt diſtantia, quam vt moraliter confeſsio cenſeri poſsit ad annū præteritum pertinere, quod dico contra Gaſparē Hurtadum contrarium affirmātem dic. difficult. 12. ſuperius citata.

500 Quod ſecundam verò partem, nempe quod qui diſtulit cōfiteri anno præterito, ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter, ſi initio anni ſequentis confiteatur non ſolum peccata mortalia commiſſa anno præterito, ſed etiam peccata mortalia commiſſa anno ſequenti, in quo dictam confeſsionem facit, non teneatur iterū 503 in illo anno confiteri: ſed vnica illa confeſsione vtrique præcepto duorum annorum ſatisfaciat probatur: quia præcetum eccleſiaſticum ſolùm obliget ſemel in anno confiteri; atqui in dicto caſu pœnitens confitetur in anno ſequenti: tum peccata commiſſa anno præterito, tum etiam commiſſa anno ſequenti, in quo cōfeſsionem facit, vt ſupponitur: ergo hoc eodem anno non tenetur ad aliam confeſsionem: aliàs ſi deberet confeſsiones etiam præteritas compenſare, obligaretur aliquis ad confitendum quater in anno pro tribus annis præteritis, quibus non fuit confeſsus, quod aſſerere duriſsimum eſt.

501 Sed dices, quod ſi in dicto caſu pœnitēs non teneretur ſequēte anno iterum confiteri ad implēdum præceptum annuę confeſsionis illius anni ſequentis nō excommunicaretur ab Epiſcopo: ſi dicto anno iterum non confiteretur: atqui excommunicatur vt ex praxi conſtat: ergo tenetur iterum in dicto anno ſequēti confiteri.

502 Reſpondetur, quod excommunicatur pro defectu communionis, quę quidem Paſchate ſequenti denuò debetur, & ad quā prærequiritur noua confeſsio, ſi habet conſcientiam peccati mortalis: ſi hanc autem conſcientiā non habet, non debet confiteri, ſed accedere poteſt ad recipiendam ſacram Euchariſtiam non præmiſſa confeſsione, ergo ſignū eſt, quod confeſsione illa facta in illo anno ſequenti peccatorū mortalium commiſſorum anno præterito; & ſequenti adimpleuit præceptum confeſsionis vtriuſq; anni præteriti, ſcilicet, & ſequētis.

503 Sed contra dicta pro ſecunda parte noſtrę ſententię iterum obijcies, ſi ille, qui diſtulit confiteri anno præterito confitēdo initio anni ſequentis omnia peccata mortalia, tam commiſſa anno præterito, quam anno ſequēti adimpleret illa vnica confeſsione præceptum confitendi, non ſolum anni præteriti, ſed etiam anni ſequentis, ſequeretur, quod ille, qui veſpere Matutinas, & laudes recitat duorum dierum ſatisfaceret obligationi, ſed hoc non eſt dicendum: ergo neque

quod

quod illa vnica confeſſione ſatisfaciat præcepto confeſſionis duorum annorum præteriti, ſcilicet; & ſequentis. Vt autem ſequela probatur ſupponendum eſt Primo poſſe Eccleſiaſticos veſpere ſine mortali culpa legere matutinas, & laudes diei præſentis, & ſequentis: nam ſi Petrus v. g. hodie non iuerit ad matutinas, & tamen cæteras horas in choro legerit ſi præuideat die craſtina ſe non poſſe intereſſe officio communi poterit hodie veſpere legere, matutinas; & laudes huius diei, de quo nemo dubitat, & cum abſoluerit poterit legere matutinas, & laudes diei craſtinæ, cuius ratio eſt, quia ad legendas matutinas, & laudes diei craſtinæ non eſt neceſſe, quod incipiat dies craſtina naturalis: ſed ſatis eſt, quod incipiat dies craſtina more Eccleſiaſtico: dies autem Eccleſiaſticus incipit à ſecundis veſperis præſentis diei, quę ſunt prima diei ſequentis, vt conſtat ex more Eccleſiæ: nam cum Eccleſia in vigilia Sancti Io. Baptiſtæ recitat veſperas primas Sancti Ioannis in oratione dicit, Deus, qui præſentem diem honorabilem nobis in Beati Ioannis natiuitate feciſti, &c. & in veſperis primis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli in oratione eadem Eccleſia dicit, Deus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli martirio conſecraſti, &c. Quæ propoſitiones non verificarentur, niſi dies Eccleſiaſticus pro officio diuino recitando inciperet à veſperis præcedentis diei. Ex quo ſequitur, quod veſperæ duplici lectione duorum dierum penſò, & obligationi poteſt, quis ſatisfacere. Secundo ſupponendum eſt dari duos immediatè dies, in quibus officium ſit, aut poſſit eſſe de communi Martirum: aut Confeſſorum, & quod iſti Sancti nullas habent lectiones propias: ſed quod totum officium vtriuſque Sancti ſit de communi vnius Martiris: aut ſi ſint plures de communi plurimorum Martirum. Quibus ſuppoſitis probatur ſequela argumenti, ſcilicet, quod ſi quis modo à nobis dicto poteſt vnica confeſſione ſatisfacere præcepto confitendi duorũ annorum, poſſit etiam aliquis ſemel recitando veſpere, matutinas, & laudes duorum dierum obligationi ſatisfacere, dummodo Sancti, qui occurrunt in die præſenti, & ſequenti ſint eiuſdẽ communis, aut Martiris, aut Confeſſoris, modo dicto ſuppoſitione ſecunda. In hac forma maiori ſollicitudine debet Eccleſia procurare vt Chriſtiani à peccato mortali egrediantur, quam vt legant officium: nam ſine hoc ſaluari poterũt, & in illo non poſſunt: atqui quando præcipit annuam confeſſionem eſt contenta vna confeſſione pro duobus annis, vt nos aſſerimus: ergo quando præcipit quotidianam matutinorum lectionem, à fortiori vna pro duobus, diebus debet eſſe contenta.

504 Nec valet ſi dicas, quod præceptum recitandi integrè horas canonicas eſt præceptum diariũ, & ſic vnum officium diuinum integrum Eccleſia præcipit recitare ſingulis diebus, & ſic obligatus recitandi officium diuinum, aut ratione ordinis, aut beneficij: vnum integrum officium in quolibet die tenetur perſoluere, & ſic non poteſt ſemel tantũ veſperè matutinas, & laudes recitando duorum dierum obligationi ſatisfacere, quę ratio militare nõ videtur in præcepto annualis confeſſionis: nam Eccleſia-

ſia ſolum præcipit ſemel in anno confiteri: cum autem, qui omiſit confiteri anno præterito, & confitetur initio, anni ſequentis, tã peccata commiſſa anno præterito, quam ſequenti verificatur de illo, quòd confeſſus eſt ſemel anno ſequenti, ergo non tenetur in dicto anno iterum cõfiteri. Hoc inquam non valet, nam ſicut præceptum Eccleſiaſticum recitandi officium diuinum eſt diarium obligans omnibus diebus anni integrum officiũ diuinum perſoluere, ita præceptum Eccleſiaſticum confeſſionis eſt annuũ obligans fidelibus omnibus annis ſemel integrè omnia peccata confiteri legitimo Sacerdoti, vt conſtat ex cap. omnis vtriuſque ſexus per illa verba omnis vtriuſq; ſexus fidelis cũ ad annos diſcretionis peruenit omnia ſua peccata proprio Sacerdoti cõfiteatur, &c. ergo ſi hoc non obſtante vnica cõfeſſione poteſt quis præcepto confeſſionis duorum annorum ſatisfacere, poterit etiam non obſtante præcepto recitandi omnibus diebus vnum integrum officium diuinum vnica recitatione matutinorũ duorum dierum obligationi ſatisfacere.

505 Reſpondetur: negãdo ſequelam: ad cuius probationem omiſſa maiori, & conceſſa minori inſenſu à nobis explicato in probatione ſecundæ partis noſtræ ſententiæ, neganda eſt conſequentia; & ratio diſparitatis: eſt quia vſus Eccleſiæ, & cõmunis conſuetudo eſt quędã certiſſima legis interpretatio; atqui omnes Eccleſiaſtici, qui aut ratione ordinis ſacri, aut ratione beneficij tenentur officium diuinum recitare bis matutinas, & laudes legũt vt ſatisfaciant duobus diebus; & omnes iudicant ſe teneri ad hoc ſub peccato mortali: ergo iſte eſt verus ſenſus Eccleſiaſticæ legis, nec contrarius poteſt dici probabilis: E cõtra verò in præcepto eccleſiaſtico annuę confeſſionis communis vſus, & conſuetudo Eccleſiæ eſt, quod qui diſtulit confiteri anno præterito præcipuè ſi hoc ex iuſta cauſſa faciat, & confitetur initio anni ſequẽtis de peccatis mortalibus commiſſis: tam in anno præterito, quàm ſequenti, non tenetur in dicto anno ſequenti iterum confiteri: niſi conſcientiam peccati mortalis habeat; quia tunc tenebitur in Paſchate dicti anni ſequentis iterum confiteri ad adimplendum præceptum annuę communionis; vt ſupra diximus: ſi tamen non habeat conſcientiã peccati mortalis non tenebitur iterum confiteri in dicto anno, ſed poteſt ad Euchariſtiam accedere in Paſchate abſque præcedente confeſſione: ergo ſignũ eſt, quod lex eccleſiaſtica illi nõ obligat iterum confiteri in dicto anno ſequenti, in quo iam in principio illius cõfeſſus fuit peccata mortalia commiſſa in ipſo anno ſimul cum peccatis mortalibus commiſſis anno præterito.

506 Ad fundamentum primę ſententię reſpondetur: concedendo maiorem, & minorem, quoad primam partem, & diſtinguendo quod ſecundam; confeſsione anni ſequentis facta in tali caſu ſolum ſatisfacit pœnitens præcepto cofeſsionis anni præteriti: ſi nullum habeat pecccatum mortale commiſſum ab ipſo in anno ſequenti in quo confeſsionem facit concedo minorem; ſi habeat aliud peccatum commiſſum ab ipſo in ipſo anno ſequenti, in quo confeſsionem facit: nego minorem: quia tunc vt ſupra diximus in probatione

no-

noſtræ ſententiæ, quoad ſecundam eius partem illa vnica confeſsione obligationi duorum annorum præteriti: ſcilicet, & ſequentis ſatisfacit, vt ibi probauimus. Nec ſemper, quod aliquis differt confeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequẽtis peccare mortaliter neceſſe eſt: tum quia hoc poteſt oriri ex 507
iuſta, & legitima cauſa: imo multoties ex concilio, & præcepto Confeſſarij dilatantis alicui abſolutionem ſacramentalẽ in fine anni iuſtis, & legitimis de cauſis. Tum etiam quia licèt aliquis abſque cauſa iuſta diſtulerit confiteri in fine anni præteriti intentione ſe confitendi poſt duos: vel tres dies anni ſequentis, & defacto cõfiteretur de omnibus peccatis mortalibus commiſsis anno præterito adimpleret præceptum confeſsionis anni præteriti abſq; eò quod peccaret mortaliter: ſicut ille, qui ex penitẽtia impoſita in ſacramẽtali cõfeſsione ſemel in menſe cõfiteri tenetur ſi per duos vel tres dies vltra menſem cõfeſsionẽ differret: præſertim ex cauſa optimè adimpleret pœnitentiam illi impoſitam in confeſsione, & conſequẽter nõ peccaret mortaliter, quia non poteſt eſſe magnum damnũ in mora modici temporis l. ſi debitor l. ſi poſt tres ff. ſi quis caut. vt docet Faber in C. Fabricano lib. 7. tit. 2. def. 39. num. 5. quia omnibus condemnatis indulgetur tempus ad ſatisfaciendum humanitatis gratia l. cum ſimiliter 16. §. 1. ff. dè compenſat. & idẽ eſt, ſi votum eſſet emiſſum ab aliquo de cõfeſsione facienda omni menſe: non enim ita mathematicè præfigẽdus eſt terminus, nec Deus adeò rigoroſus exactor erit iudicandus, ergo ſimiliter dicendum eſt de fidelibus obligatis ex præcepto Eccleſiaſtico ſemel in anno ſua peccata confiteri non peccare mortaliter, ſi per duos, vel tres dies differant confeſſionem poſt adimpletionem anni præteriti, & quod ſufficiẽter adimplent præceptum confeſſionis dicti anni præteriti.

Ex dictis infero, quod Religioſi, qui ex precepto ſuę regolę tenentur ſemel in menſe confiteri ſi differant confeſsionẽ menſis preteriri vſque ad menſem ſequentẽ, & initio menſis ſequentis confiteatur de peccatis commiſsis in menſe præterito, & ſequẽti nõ tenentur iterũ cõfiteri in menſe ſequenti ſed vnica illa cõfeſsione adimplent obligationi cõfitedi menſe præterito, & ſequenti, hoc ſtatuo contra Pellizzarium in manuali regulariũ tom. 1. tract. 5. cap. 3. ſect. 1. quæſt. 19. num. 36. & contra D. Ioãnem Caramuel in Theologia fundamentali fundamento 31. §. 12. concl. 3. contrarium aſſerentes, quia de hoc præcepto confitendi ſemel in menſe debemus loqui, & philoſofari ſicut de præcepto Eccleſiaſtico annuę cõfeſsionis, cum autem ille, qui differt confeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequentis ſi in confeſsione facta initio anni ſequentis cõfiteatur omnia peccata mortalia commiſſa ab ipſo in anno præterito, & aliquod peccatum mortale ab ipſo commiſſum initio anni ſequentis adimpleat vnica illa cõfeſsione præceptum confitendi in vtroque anno præterito, ſcilicet, & ſequenti, ita ſimiliter dicendum eſt de Religioſo obligato ex præcepto regulæ confiteri ſemel in menſe. Et ſicut, qui differt confeſsionẽ anni præteriti per duos vel tres dies poſt adimpletũ annum

num præſertim ex cauſa nõ peccat mortaliter, & adimplet præceptum confitendi anni preteriti, ita ſimiliter Religioſus obligatus confiteri ſemel in menſe ſi differat præſertim ex cauſa confeſſionem menſis præteriti vſque ad ſecundum, vel tertium diem menſis ſequentis non peccabit 509 mortaliter, & adimplet ſufficienter obligationem cõfitendi mẽſe præterito, & ſi in tali confeſſione confiteatur de peccatis cõmiſſis menſes præterito, & de cõmiſſis in illis duobus, aut tribus diebus mẽſis ſequẽtis illa vnica confeſſione vtrique obligationi ſatisfaciet, nec tenebitur iterũ in menſe ſequenti confiteri, niſi habeat conſcientiã peccati mortalis, & velit in dicto menſe Sacram Euchariſtiam recipere, aut Sacrum celebrale, quia tunc tenebitur confiteri, non vt adimpleat obligationem confitendi in dicto menſe, ſed vt debitè ſe diſponat ad Sacram Euchariſtiã recipiendam aut Sacrum celebrandum.

508 Fundamenta ſecundæ ſententię ſolum militant contra Authores primę ſententię, non autem contra noſtram ſententiam, quia ex illis ſolum conuincitur, ſecunda pars noſtræ ſententiæ, ſcilicet, quod ſi quis differat cõfeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequentis, & in dicta confeſſione cõfiteatur peccata mortalia commiſſa anno preterito, & aliquod mortale cõmiſſum in anno ſequenti vnica illa confeſſione vtrique præcepto ſatisfaciet, nec tenebitur ite- 510 rum in dicto anno ſequenti confiteri, & ideo non eſt neceſſe ad dicta fundamenta dictæ ſentẽtiæ in particolari reſpondere.

RESOLVTIO XXXII.

Vtrum pœnitens per confeſſionem voluntarie inualidam, & nullam ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis.

PRima ſentẽtia affirmat, quod ſi quis volunteriè faciat inualidam, & nullam confeſſionẽ, vel quia culpabiliter tacet in cõfeſſione aliquod peccatum mortale numquam confeſſum, vel quia non habet dolorem ſufficientem de peccatis commiſſis, vel quia non habet propoſitum, neq; etiam virtuale non amplius peccandi, vel ſe alienandi ab occaſioni proxima pecceti ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis ita Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 7. Syluester verbo confeſsio num. 3. in fine, Gabriel in 4. diſt. 17. quæſt. 1. ar. 3. dub. vltimo Victoria in ſumma quæſt. 163. Ledeſma quæſt. 8. art. 2. Alenſis par. 5. queſt. 77. art. 7. num. 5. Pater Ioãnes Martinon tom. 5. in 3. part. diſp. 49. de pœnitentia ſect. 7. nu. 76. qui quamuis hanc opinionem probabilem affirmet: tamen nu. 77. refert contrariam ſententiam, & num. 78. ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondet, & probabilem hanc ſententiam iudicant Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 120. & Fagundez præcepto 2. lib. 1. cap. 4. n. 4. in fine D. Marcus Vidal in ſua arca vitali tract. de pœnit. Sacrã. in quiſit. 1. nu. 28.

510 Probatur primo hæc ſentẽtia quia Eccleſia non poteſt præcipere actum internum: ſed ſolum actum externum cõfeſsionis, ſed qui ex malitia facit confeſsionẽ inualidam, vel quia tacet voluntariè ſine vllo legitimo impedi-

mẽto

mẽto aliquod peccatũ, vel quia non habet dolorem ſupernaturalem de peccatis facit id, quod Eccleſia præcipit, & tantum illi deeſt actus interior, ergo per confeſſionem nullam, & inualidam adimpleri poteſt præceptũ Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, minor eſt certa, & maior probatur, quia nemo poteſt prę-cipere, quod non poteſt punire, non poteſt punire tranſgreſſores, ſi non poſſit iudicare, nec iudicare poteſt, quod non poteſt cognoſcere; atqui Eccleſia nõ poteſt cognoſcere actus internos: ergo nec poteſt prę-cipere. Vnde ortũ habet illud axioma de occultis Eccleſiã nulla ratione iudicare, ex quo colligunt nonnulli DD. quod licet aliquis obligatus præcepto Eccleſiaſtico ad recitandum officium diuinum volũtariè diſtraheretur, imò licet cum obiecto peccaminoſo (puta ſi morosè delectaretur de re illicita) adimpleret præceptum, & contra obligationem diuini officij non peccaret mortaliter, licet peccaret ob delectationem moroſam contra ſextum decalogi præceptum, ergo, &c.

511 Probatur ſecundo hęc ſententia, quia finis præcepti non cadit ſub præcepto, ſed remiſſio peccati eſt finis præcepti, ergo non cadit ſub prę-cepto; atqui per formam abſolutionis remittitur peccatum, ergo abſolutio non cadit ſub prę-cepto, ſed tantum confeſsio, ergo licet aliquis ita confiteatur vt abſolui non poſsit ob defectum voluntarium doloris ſupernaturalis, nihilominus implet prę-ceptum, dum integrè omnia peccata ſua confiteatur, quoad ſpecies eorum, numerum, & circumſtantias.

512 Dicendum tamen eſt pœnitẽtem per confeſsionem nullam, & inualidam non adimplere prę-ceptum Eccleſiaſticum annualis confeſsionis. ita Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 36. ſect. 7. n. 3. vbi pro hac opinione citat Sotum, Medinam, Nauarrum, Adrianũ, & alios. Coninch. de Sacram. diſp. 5. dub. 9. num. 70. Vaſquez quęſt. 92. art. 3. dub. 5. Fagũdez prę-cepto 2. lib. 1. cap. 4. num. 5. Filliucius tract. 7. cap. 3. num. 64. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 5. n. 11. Bonacina de Sacram. diſp. 5. quęſt. 5. ſect 2. punt. 4. num. 23. Azorius prima par. lib. 7. cap. 4. quęſt. 4. Eminentiſsimus Cardinalis de Lugo de pœnit. diſp. 15. ſect. 6. num. 136. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 120. Commitolus in reſponſionibus moralib. lib. 1. quęſt. 19. Bartholomęus à Sancto Fauſto de pœnit. lib. 4. quęſt. 53. verſo verior tamen. Molfeſius in ſumma tract. 7. cap. 10. concl. 1. & 2. nu. 26. & 27. D. Carolus Malletus in auro Theologię moralis tom. 2. malleat. 3. de prę-cep. Eccleſię bractea 9. Pater Gaſpar Hurtadus de Sacram. diſp. 7. de pœnit. diſſic. 14. §. Durandus vero, & iterum Diana par. 8. tract. 1. reſol. 50. §. quid ego ſentiam, & alij.

513 Probatur 1. noſtrum aſſertũ, quia prę-ceptum annuę confeſsionis prę-cipimur Sacramentum pœnitentię recipere; atqui qui non recipit abſolutionem non recipit hoc Sacramentum, quod ex abſolutione eſſentialiter coaleſcit, ergo per cõfeſsionẽ nullã, & inualidam non poteſt quis adimplere præceptũ ãnuę cõfeſsionis probatur maior, quia hoc prę-ceptũ, quoad rem prę-ceptam eſt diuinum, quamuis quoad tempus ſit ab Eccleſia modificatum, vt docet Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 5. ibi Neque enim per Lateranenſe Concilium Ec-

cleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles cõfiterẽtur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed vt pręceptum confeſsionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis peruenisſent impleretur, &c. & Canone 8. eiuſdem ſeſsionis inquit Concilium. Si quis dixerit confeſsionem omnium peccatorũ, quam Eccleſia ſeruat eſſe impoſsibilem, et traditionẽ humanã à pijs abſoluendam, aut ad eã non teneri omnes, et ſingulos vtriuſq: ſexus Chriſti fideles iuxta magni Concilij Laterenenſis conſtitutionẽ ſemel in anno, et ob id ſuadendũ eſſe Chriſti fidelibus, vt non cõfiteãtur tempore quatrageſimæ, anathema ſit. atqui præcepto diuino, receptio Sacramenti pœnitentiæ præcipitur, ergo Eccleſia præcepto annuæ cõfeſſionis pręcipit receptionem Sacramenti, ergo non poteſt ſatisfieri præcepto annuæ confeſſionis receptione Sacramẽti inualidi, & nulli.

514 Confirmatur quia in cap. Omnis vtriuſque ſexus Concilium lateranenſe præcipit, vt fideles ſingulis annis omnia peccata ſua confiteantur, & pœnitentiam iniunctam impleant; atqui Eccleſia non poteſt præcipere fidelibus, vt omnia peccata ſua confiteãtur, niſi indirectè ſolum quia ſcilicet in neceſſarium eſt ad receptionem Sacramenti, ad quam ipſa obligat, & fideles non tenẽtur implere pœnitẽtiã, niſi quãdo perficitur Sacramentũ, ergo pręcipit Sacramẽtũ perfectè recipi.

515 Ad hoc argumentum reſpondet Pater Ioannes Dedicaſtillo de Sacram. tom. 2. de pœnitent. tract. 8. diſp. 7. dubit. 12. num. 209. Eccleſiam tantum pręcipere quod poteſt, & quia tantum poteſt pręcipere, quod poteſt cognoſcere, & iudicare; & quia tantum poteſt cognoſcere, & iudicare de illis partibus Sacramenti pœnitentiæ, quæ ſunt ſenſibiles, & externę quales ſunt ipſa vocalis; ſeu ſigni externi confeſſio, & ipſa vocalis abſolutio, & integritas cõfeſſionis comparatione peccatorum externorum tantum, ideo tantum has partes poteſt in Sacramẽto præcipere, & non alias, & defectum in his partibus poteſt punire, & non in alijs, quia tantum defectum in his partibus poteſt cognoſcere, non vero in toto integro Sacramento, atque adeò quod reliſquam eſt in Sacramento ſolum præcepto diuino relinquitur, & negatur præcepto humano præceptum diuinum pręcipit ſingulis annis confeſsionem, qui verò tunc ſic fictè & indignè cõfitetur frangit pręceptum diuinum non recipiendi fictè, & indignè Sacramentum, atque adeò ſecundum hanc ſententiam peccat peccato commiſsionis contra diuinum pręceptum negatiuum, ergo ſi aſſeruiſſemus (inquit Dedicaſtillo) quòd ille, qui facit nullam confeſsionem non adimpleret pręceptum annuę confeſsionis concedere deberemus talem hominem peccare dupplici peccato, altero quidem omiſsionis contra pręceptum affirmatiuum Eccleſię, & Chriſti, ſcilicet pręcipientis quo ad ſubſtantiam Eccleſię vero determinãtis quo ad tẽpus cõfeſsionẽ Sacramẽtalẽ, & inſuper peccato cõmiſſionis contra præceptum negatiuum naturale, diuinum non accedendi indiſpoſitè ad Sacramentum. Quod non ſequitur in ſententia aſſerente, quod ille fictè ſuſcipiens annuã cõfeſſionem tantùm vnico pec-

ca-

cato peccat: quando fictio eſt merè interna: ſcilicet peccato commiſsionis contra præceptũ negatiuum diuinum explicatũ: non verò peccato omiſſionis cõtra præceptum affirmatiuum, quod ſolùm Eccleſiaſticum eſt circa materiam externam tantũ: quam ille homo iam exhibuit vt ſupponimus.

516 Eodem ferè modo ad noſtrum argumentum reſpondet Pater Ioannes Martinon tom. 5. in 3. part. Diui Thomæ diſp. 49. de pœnit. ſect. 7. num. 78. per hæc verba ad primum reſpõdeo Eccleſiam præcipere ſuſceptionem ipſius Sacramenti quantùm exterius apparet iuxta menſuram poteſtatis ſuæ circa actus externos.

517 Sed hæc reſponſio non eruat vim noſtri argumenti: 1. quia vt docent Caietanus 2. 2. quęſt. 11. arr. 3. & quęſt. 85. art. 13. in fine, & tom. 1. Opuſculorum tr. 8. de authorit. Papę lib. 19. & in ſumma verbo horæ canonicę §. quoad 3. Sotus de iuſt. & iur. lib. vlt. quęſt. 5. art. 5. concl. 6. & 7. Nauarrus in ſumma lib. 25. num. 105. Henriquez lib. 9. de ver. miſſę ſacrificio cap. 25. nu. 1. Emanuel Sà verbo horę canonicę in fine Valentia prima ſecundę diſp. 7. quęſt. 7. punt. 7. circa finem Suarez lib. 4. de legibus ca. 13. Leſsius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 37. dub. 11. Azorius lib. 5. inſtitutionum moralium cap. 10. Salas de legibus diſp. 9. ſect. 1. Malderus ſecunda ſecundę tract. 10. cap. 2. de oratione dub. 2. Laymã 518 in Theolog. moral. lib. 4. tract. 5. cap. 5. Syluius 2. 2. quęſt. 104. art. 5. Duplex eſt genus actuum internorum alterum eorum, qui ſunt cauſa, principium per ſe externorum ſolùm quoad eſſe physicum, & materiale alterum verò qui ſunt cauſa, & principium quoad eſſe formale virtutis, aut vitij; In primo genere collocãtur actus ipſi interni imperantes efficaciter, aut prohibentes actus externos: in poſteriori verò genere collocãtur illi; actus interni qui nõ tãtùm externos imperãt, vel prohibẽt quoad eſſe physicum, & materiale: ſed etiam quoad eſſe morale virtutis, aut vitij: Qua diſtinctione ſuppoſita docent prędicti DD. legem humanam nõ ſolùm pręcipere poſſe actus internos, qui ſolum neceſſarij ſunt, vt principia quoad eſſe physicum, & materiale externorum, ſed etiam quoad eſſe morale virtutis, & vitij, quorũ ratio eſt: quia lex humana pręcipiendi poteſtatem habet veros actus virtutum, & vitioſos actus prohibendi: ergo poteſtatem pręcipiendi eos actus internos habet: ſine quibus externi veri actus virtutis nõ eſſent. Igitur pręcipiendo Eccleſiam rationem vocalem ſimul pręcipit interna attentionem, ſine qua externa oratio non eſt verè actus virtutis Religionis. Ergo ſimiliter pręcipiendo adminiſtrationẽ alicuius Sacramenti ſimul præcipit debitam intentionem requiſitam ad validitatem talis Sacramenti: ergo pręcipiendo receptionem Sacramenti pœnitentię ſaltem ſemel in anno fidelibus, pręcipit attritionem internam ordinis ſupernaturalis eſsẽtialiter requiſitam ad validitatẽ Sacramenti pœnitentię.

518 Ex qua doctrina rectè infertur, quod qui ſemel in anno confitetur ita exterius vt pœnitẽtię Sacramentum non recipiat nõ adimplere annuę confeſsionis pręceptum: etiamſi hoc ſolum contingat ex ſolo defectu interiori v. g. quia confitetur ſine

interno dolore; vel ſine emendationis propoſito, aut ſine intentione confitendi, ac recipiẽdi Sacramentum, cuius ratio eſt illa, quam ſuperius aſsignauimus: ſcilicet, quia Eccleſia præcipit fidelibus Sacramentum pœnitentię recipere ſemel in anno, quod Chriſtus ſimpliciter præcepit aliquando recipere: atqui ſine interno dolore non recipitur verũ Sacramẽtum, vt de ſe notum eſt, ergo Eccleſia præcipiẽdo receptionem Sacramenti poteſt præcipere dolorem de peccatis eſſẽtialiter requiſitum ad validitatẽ Sacramenti pœnitentiæ; & conſequenter, qui inualidè recipit pœnitentiæ Sacramentum in annuali confeſsione ob defectũ doloris, aut propoſiti emendæ non poteſt adimplere præceptũ Eccleſiaſticum annualis confeſsionis, vt affirmat oppoſita ſententia.

519 Secundo vim noſtri argumẽti non eneruat, quia licèt Eccleſia non poſsit præcipere actum internum, quando non eſt neceſsarius ad externum vt eius forma: bene tamen poteſt præcipere actum internum; quando eſt neceſſarius ad externum, vt eius forma: atqui actus internus, nẽpè dolor de peccatis neceſſarius eſt ad externum nempè ad confeſsionem: ergo Eccleſia præcipiendo confeſſionem præcipere, etiam poteſt actum internum nempè dolorem de peccatis, & propoſitum emẽdæ ſine quo Sacramentum pœnitentiæ ineſſe Sacramenti ſtare non poteſt. Et ſic in cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ. præcipiendo confeſſionem annuam præcipit indirectè dolorem neceſſarium, & confeſſionem cogitationum internarum. Quare Pontifex poteſt punire cenſuris annuam cõfeſſionem ſacrilegam ex defectu doloris; Vnde ſi Pontifex contra eos, qui in Paſchate non confitentur, vt nequeant ſacramentaliter valdè abſolui quãtum vis hoc fiat defectu ſolius interni ferret excommunicationem currerent in cænſuram: quia ipſe vetè omittunt aliquem actum externum validè à Papa ſub ea pœna præceptum. Primo: quia omittũt ipſam ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ. Secundo, quia vel non confitentur integrè ſi non dicant ſe confiteri ſine ſufficiente dolore, aut propoſito emẽdę, nam in hoc grauiter peccãt. Vel ſi hunc defectum etiam fateãtur tunc manifeſtè omittunt facere talem etiam externam cõfeſsionem, quæ ad abſolutionem ſufficiat; cum tamen iuſtè ſub ea pœna præceptum ſit, & integrè cõfiteri, & tali modo, vt confeſsio poſsit iudicari idonea ad abſolutionem impendendum, vt cum multis alijs docẽt Pater Ioannes Præpoſitus in 3. part. quæſt. 3. de confeſſ. dub. 9. num. 55. Pater Frãciſcus Amicus in curſu Theolog. to. 8. diſp. 18. & fatetur ipſe P. Ioannes Dedicaſtillo dicto tract. 4. ſect. 8. de pœnit. diſp. 7. dub. 12. nu. 204. aſſert. 3. per hæc verba, aſſero 3. quãdo pœnitẽs manifeſtat Cõfeſſario ſuam indiſpoſitionẽ doloris, & tamẽ hoc nõ obſtãte ſacrilegè abſoluitur, vel non abſoluitur: quia eſt indiſpoſitus, tunc, nec implet præceptum, neque euadit pœnas: ita ille. Ideòque qui inualidè, et nullè confitetur in annuali confeſsione duplex peccatum mortale committit: vnum commiſsionis contra diuinum præceptum negatiuum: et alterum omiſsionis contra præceptum affirmatiuum Eccleſiæ determinantis præceptum Chriſti ſacramentalis confeſsionis, ſeu Sacramenti pœnitentiæ recpetionem. Quoad

ſub-

ſubſtantiam; quoad tempus, quo fieri debeat ſacramentalis confeſsio, ſeu receptio Sacramenti pœnitentiæ, ſcilicet, ſaltem ſemel in anno.

520 Secunda probatur noſtrum aſſertum; quia pœnitens, qui omittit cõfiteri ſemel in anno ſua peccata, ſaltem mortalia non adimplet præceptum eccleſiaſticum annualis confeſsionis: atqui confeſsio nulla & inualida facta à pœnitente ſe habet, ac ſi pœnitens non confiteretur, ergo non poteſt per illam adimplere præceptum annualis confeſsionis, probatur minor, quia confeſsio nulla, & inualida caret ſuo eſſe eſſentiali conſtitutiuo: ergo non eſt confeſsio verè, ſed tantum de nomine, ergo non eſt dicendum quod per confeſsionem nullam pœnitens confiteatur ſua peccata; ergo neque etiam quod adimpleat præceptum Eccleſiaſticum annualis confeſſionis.

521 Ad primum fundamẽtum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur diſtinguendo maiorem Eccleſia non poteſt præcipere actum internum, quando nõ eſt neceſſarius ad actum externũ tamquam eius forma tranſeat maior, non poteſt præcipere actum internũ quando eſt neceſſarius ad externum tanquam eius forma, nego maiorem. Cum autem dolor de peccatis ſit neceſſarius ad actum externum, nempe ad confeſſionẽ Sacramentalem, ſeu Sacramenti pœnitentiæ receptionem, ideò Eccleſia præcipiendo directè annualem confeſsionẽ poteſt præcipere indirectè actũ internum nempè doloreẽ de peccatis ſicut Eccleſia precipiendo orationem vocalem præcipit etiam attentionem internam, quæ eſt veluti forma orationis. Ad probationẽ autem maioris reſpondeo; diſtinguendo maiorem, nemo poteſt præcipere directe, quod non poteſt punire directe trãſeat maior, non poteſt præcipere indirecte, quod non poteſt punire directe, nego maiorem. Cum autem Eccleſia poſsit præcipere indirecte actum internum doloris de peccatis, qui eſt eſſentialiter requiſitus ad confeſsionem Sacramentalem tanquam pars eſſenſialis illius, quatenus poteſt præcipere ipſam confeſsionem Sacramẽtalem, ſeu receptionem Sacramenti pœnitentiæ, & eam actu præcipit faciendam à fidelibus, ſaltem ſemel in anno, ideò poteſt indirectè punirè ommiſsionem talis actus interni, quatenus directe punit nõ recipientes ſemel in anno Sacramentum pœnitentiæ propter trãſgreſsionem præcepti annualis confeſsionis, vt ſupra diximus impugnando ſolutionem datam à Patre Ioanne Dedicaſtillo, & Patre Ioãne Martinon primo fundamento noſtræ aſſerſionis. Illud autem axioma in probationem maioris allegatum, ſcilicet Eccleſia non poteſt de occultis iudicare intelligi debet directè, non autem indirecte. Quare minus probabiliter aſſeritur, quod Sacerdos, aut beneficiatus volũtariè recitans horas canonicas ſine attentione interiori adimplere præceptum Eccieſiæ: cũ probabilius ſit oppoſitum, nempè quod prædictus Sacerdos; & Beneficiatus horas canonicas recitantes abſque debita attentione interiori non adimplere præceptum Eccleſiæ, etiam ſi nullum ſignum externũ illius detractionis exhibeãt, nec faciant aliquam actionem exteriorem prohibitam. Ratio huius eſt, quia per hoc præceptum obligatur homo ad orandum ſtu-

ſtudiosè, validè, et deuotè, vt dicitur in cap. dolentes de celebr. miſſar. vbi præcipitur; vt officiū diuinum celebretur ſtudiosè pariter deuotè et in Clem. graui nimirum lib. 3. cap. 1. tit. 14. de celebratione miſſarum præcipitur, vt circa reformāda præmiſſa, & earum ſingula corrigēda, nec non vt in Cathredalibus regularibus, & collegiatis Eccleſijs horis debitis deuotione phſal latur: atqui ſi nullo modo attendit, ſed volūtariè diſtractus horas recitat non orat, ergo non implet præceptum: maior eſt certa, & minor probatur, tum quia oratio vocalis quędam adoratio eſt, ideſt quidam cultus Dei externus: ergo debet fieri in ſpiritu, & veritate iuxta illud Chriſti Domini Ioannis 4. veri adoratores adorarunt Patrem in ſpiritu & veritate. Ergo requirit attentionem mentis: aliàs non fieret in ſpiritu. Tum etiam: quia oratio eſt mentis aſſenſus in Deum, vt dicunt Sancti Patres: atqui qui profert verba abſque vlla attentione nullo modo corde ad Deum aſcendit: ergo non orat. Quam trinam expreſsè docet Diuus Thomas 2. 2. queſt. 83. art. 13. tum in corpore articuli: vbi tres effectus orationis vocalis diſtinguit, & loquēdo de 3. effectu orationis inquit: tertius autē effectus orationis eſt quem prędentialiter efficit, ſcilicèt quędam ſpiritualis refectio mentis: Et ad hoc de neceſſitate requiritur in oratione attentio. Vnde dicitur prima Corinth eorum 14. ſi orem lingua mea ſine fructu eſt, tum etiam ſolutione ad 3. argumentū per hęc verba. Ad 3. dicendum, quòd ſi quis ex propoſito in oratione mente vagetur hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum. Et contra hoc Auguſtinus dicit in regula. Pſalmis, & hymnis cum oratis Deum hoc verſetur in corde quod profertur in ore, euagatio vero mentis, quę ſit prędter propoſitum orationis fructum non tollit. Vnde Baſilius dicit, ſi vero debilitatus à peccato fixè nequis orare quātumcumque potes te ipſum cohibeas, & Deus ignoſcit eò quod non ex negligentia, ſed ex fragilitate non potes, vt oportet aſſiſtere coram eo. vbi Caietanus inquit in reſponſ. ad 3. nota diligenter, quod quia ex propoſito vagari in oratione peccatum eſt ex genere ſuo: ideo non ſolùm in oratione neceſsaria ex præcepto, ſed etiam in oratione ſpōtanea tenetur orans attendere: ita quod licèt non teneatur orare, tenetur tamen ſi orat attentè quantum eſt ex parte propoſiti orare.

522 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur concedendo maiorem communiter receptam ab omnibus DD. cum Diuo Thoma 1. 2. quęſt. 100. art. 9. & 2. 2. quęſt. 44. art. 1. Quæ veritatem continet, maximè quando actus præceptus poteſt integrè impleri ſine fine, nam legislator, quando aliquid præcipit duo in ſua intentione includit, nempe rem præceptam & finem, quæ res præcepta cum ſit medicum ad finem obſtinendum cadit ſub præcepto non vero finis, pro quo nulla pæna legis infligitur. Quod clare docet Diuus Thomas dic. quæſt. 100. art. 9. ad ſecundum his verbis ad ſecundum dicendum, quod intētio legislatoris eſt de duobus, de vno quidem ad quod intēdit per præcepta legis inducere, & hoc eſt virtus. Aliud autē eſt de quo intendit præceptum ferre, & hoc eſt, quod ducit vel diſpo-

nit

nit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis. Non enim idem eſt finis, præcepti, & id, de quo præceptum datur, ſicut neque in alijs rebus idem eſt finis, & quod eſt ad finem. Vbi Caietanus inquit in reſponſione ad 2. in eodē art. nota has regulas, quibus toties vti oportet, ſcilicet non eſſe idem finem præcepti, & id, de quo præceptum datur quia illud finis hoc ad finem, qui finis præcepti non cadit ſub præcepto, vt id, quod præcipitur, ſed vt intentum à legislatore, quoniam ex his habes ſolutionem multarum quæſtionum pro minus eruditis, & bonis mentibus, timentibus culpam vbi non eſt. Ad reliquas vero partes argumenti reſpondetur negando abſolutionem à peccatis eſſe finem præcepti, nam eſt quædam pars eſſenſialis conſtitutiua totius compoſiti, nempe Sacramenti pœnitentiæ, cum omnia Sacramenta eſſentialiter conſtent ex materia, & forma; ac ideo pœnitentiæ Sacramentum non cōſtat ex nuda confeſſione, ſed ex confeſſione, & abſolutione, vnde cum totum Sacramentum cadat ſub præcepto videntur etiā cadere eius partes eſſenſiales, nempe confeſſionem, & abſolutionem: ergo quando quis ex ſua culpa non abſoluitur à peccatis non adimpleret præceptū, quod continet ſub ratione vnius, tum confeſſionem, tum etiam abſolutionem.

523 Sed dices in cap. quod quidam de pœnit. & remiſſionibus tit. 33. lib. 5. decretalium ſtatuitur, vt recipienda ſit confeſſio eorum, qui peccatores publici ſunt, & vitam mutare nolunt, licet abſolui non debeant vt conſtat ex verbis eiuſdem capitis, quæ hæc ſunt. Quod quidam ad confeſſionem de criminibus veniunt, & quamuis confiteri velint ſe tamē aſſerunt abſtinere non poſſe, cōſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod eorum confeſſionem recipere debes, & eis de criminibus conſilium exhibere, quia licet non ſit vera huiuſmodi pœnitentia admittenda eſt tamen eorum confeſſio, & crebis, & ſalubribus monitis pœnitentia inducenda. Ergo per confeſſionem inualidam, & nullam ſatisfit præcepto, quamuis non impendatur abſolutio cum non ſit vera pœnitentia.

524 Reſpondetur quod in ſupra citato textu non affirmatur confeſſionem illam admittendam eſſe vt ſufficientem ad adimplendum præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, ſed tantum vt peccatores illi videantur, corripiantur, & iuuari poſſint conſilijs Confeſſarij, & ſalutaribus documentis, vt reſipiſcant, & emendentur à ſuis peccatis præparando ſuam conſcientiam ad idoneè, & legitimè confitendū, ex quo ruit totum argumentum maxime cum ibi affirmetur illā confeſſionem non eſſe veram, & bonam pœnitentiam.

RESOLVTIO XXXIII.

Vtrum pœnitens, qui ob confeſſionem inualidam, & nullā non impleuit præceptum Eccleſiaſticum annualis confeſſionis, incurrat in cenſuras, & pœnas impoſitas in conſtitutionibus ſynodalibus, vel in ſtatutis particularibus vniuſcuiuſque dioeceſis contra nō adimplētes, & tranſgrediētes preceptū annuę confeſſionis.

525 IN hac difficultate Authores, qui ſentiūt pœnitētē per cōfeſſi-

feſsionem nullam, inualidam ex defectu doloris de ſuis peccatis (dummodo integrè omnia ſua peccata confiteantur) adimplere præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſsionis conſequenter dicunt nullam contrahere excõmunicationẽ impoſitam in Canonibus Epiſcopalibus contra transgredientes, & non adimplentes præceptum annuæ confeſsionis. Quare tota difficultas eſt cum DD. qui affirmant pœnitentem per confeſsionem inualidam, & nullã ex defectu prædicti doloris ad Sacramentum pœnitentiæ eſſentialiter requiſitum non adimplere præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſsionis, an ſcilicet talis pœnitens, qui fecit prædictam inualidam confeſsionem, & non impleuit præceptum annuæ confeſsionis contrahat excommunicationẽ impoſitam in conſtitutionibus Epiſcopalibus contra tranſgredientes, & non adimplentes præceptum annuæ confeſsionis: dũmodo tamen illa cõfeſsio extrinſecè ſit integra, & habeatur abſolutio ſacramentalis. Negatiuè reſpondent Henriquez lib. 4. de pœnit. ca. 4. §. 1. & lib. 2. cap. 14. num. 8. vbi citat Canum, Medinam, Ledeſmam, & alios. Emanuel Sà verbo confeſsio nu. 1. Nauarrus in manuali cap. 10. num. 4. Vaſquez de pœnit. qu. 92. art. 3. dub. 5. & probabilem iudicat Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 120. §. notandum ſecundo, quos citat, & ſequitur D. Marcus Vidal. in ſua arca vitali tract. de pœnit. inquiſit. 1. à num. 42.

526 Probatur 1. hæc ſententia à D. Marco Vidal vbi ſupra num. 43. quia pœnitens in tali caſu facit exterius quidquid Eccleſia præcipit, & ſolum habetur defectus in interiori diſpoſitione, atqui Eccleſia nõ poteſt actum internum punire: ergo neque etiam cænſura ligare facientem confeſsionem inualidam ob voluntarium defectum interni doloris. maior videtur certa, & minor probatur: quia Eccleſia nõ poteſt actus internos iudicare eo quod ea, quæ non ſubiacent ſciẽtię publicæ: neque etiam ſubsũt iudicio publico; ergo cum Eccleſia non poſsit ferre iudicium in actus internos: neque etiam poterit illos punire.

527 Nec valet ſi dicas: quod licèt Eccleſia actus internos, vt interni ſunt per ſe, & abſolutè punire non poſsit: poteſt tamen illos punire, vt dicunt ordinem ad actus externos tanquam formę illorum: ſicut poteſt internos actus præcipere; quando dicunt connexionem, & ordinem ad externos; ergo falſum videtur affirmare, quod non incurrat cęnſuras pœnitens per confeſsionem inualidam ob defectum interni doloris ſolummodo.

528 Hoc inquam non valet: nam ad hanc replicam reſpondet D. Marcus Vidal vbi ſupra num. 45. diſtinguendo antecedens: Eccleſia punire poteſt actus internos dicentes ordinem ad externos: quando malitia actus interni redundant manifeſtè in exteriorem actum concedit antecedens: quando vero non redundant negat antecedens: cum autem in præſenti caſu non redundent ſiquidem confeſsio quoad actionem externam eſt integra, ex quo abſoluuntur peccata videtur ruere totum argumentum.

529 Secundo probat nu. 46. quia Eccleſia punit tantum id, quod iudicat eſſe malum: atqui confeſsio inualida ob malitiam tantum

tum internam quoad actionem externam non eſt mala cum ſit integra,& formata abſolutione: ergo Eccleſia cum non iudicet illam confeſsionem malam, neque etiam poterit illam punire.

530 Tertio probat num. 47. quia ſtando in ſententiam affirmante dari poſſe cõfeſsionem validam, ſed informem pœnitẽtem per talem confeſsionem, vt communiter DD. docent ſatisfacere valet præcepto Eccleſiaſtico, & conſequenter non incurrere excomunicationem certum eſt, quia actum validum facit, atqui etiã per confeſsionem nullam ob defectum interni doloris ſit actus validus quoad externam apparentiam, & quoad iudicium fori Eccleſiaſtici: ergo non incurritur cenſura.

531 Secunda, & verior ſententia affirmat pœnitentem facientem inualidam confeſsionem nõ euadere cænſuras, & pœnas impoſitas in conſtitutionibus Synodalibus contra non adimplentes præceptum annuæ confeſsionis etiam ſi confeſsio ſit inualida, et nulla ob defectum ſolius doloris interni de peccatis. ita Suarez to. 4. in 3. par. diſp. 36. ſect. 8. num. 4. Nugius in addit. ad 3. part. qu. 6. art. 6. diffic. vltima Bonacina diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punt. 4. num. 25. Fagundez in præcept. Eccleſ. præcept. 2. lib. 1. cap. 4. num. 6. Molfeſius in ſumma tract. 7. de pœnit. cap. 10. num. 29. Coninch de Sacram. diſp. 5. num. 27. Filliucius tract. 7. cap. 3. num. 72. Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de pœnit. diſp. 15. ſect. 6. §. 5. num. 138. Diana par. 8. tract. 1. reſol. 50. §. quod ego ſentiam Ioannes Præpoſitus in 3. par. quæſt. 3. de confeſſione dub. 4. num. 55. Franciſcus Amicus in curſu Theolog. tom. 8. diſp. 18. ſect. 8. per totam Caſtropalaus par. 4. tract. 23. de Sacram. pœnit. diſp. vnica punt. 20. §. 3. num. 5.

532 Probatur 1. quia qui ommittit annualem confeſsionem præceptam ab Eccleſia incurrit in cenſuras impoſitas in Conſtitutionibus Synodalibus, ſeu Epiſcopalibus, atqui idem eſt fieri nullam confeſsionem ac nõ fieri vere cõfeſsionẽ, ſeu illã omittere, ergo qui nullã facit cõfeſsionem etiã ſi nullitas cõfeſsionis proueniat ex defectu doloris interni incurrit in cenſuras impoſitas in conſtitutionibus Epiſcopalibus cõtra non adimplẽtes præceptũ annuæ confeſſionis maior eſt certa, & minor probatur, quia idem eſt actum non fieri, ac fieri nullum l. duo ſunt Titij ff. de teſtamentaria tutela, nomine nãque confeſſionis confeſſio valida intelligi debet, quia ſub appellatione actus regulariter ſolus validus comprehenditur l. boues §. hoc ſermone limitatione prima ff. de verb. ſignificatione: ergo idem eſt facere confeſſionem nullam, ac confeſſionem non facere, ergo ſi ille, qui vere non facit confeſſionem annualem incurrit excomunicationem Synodalem, etiam incurret eamdẽ excomunicationẽ, qui facit confeſſionem nullam ex quocumque capite nullitas proueniat, dummodo ſit ex culpa voluntaria pœnitentis.

533 Secundo probatur, quia intentio Eccleſiæ annuam confeſſionem præcipientis eſt vt pœnitentes ſua peccata legitimè confiteantur, & recipiant pœnitentiæ Sacramentum, cui Eccleſiæ intentioni Epiſcopi confermare volunt, dum in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus apponunt cenſuras contra non adimplẽtes

huiusmodi præceptum, ergo per confessionem voluntariè nullam contrahunt pœnitentes censuras latas in constitutionibus Synodalibus.

534 Ad hoc argumentum respondet D. Marcus Vidal vbi supra n. 51. distinguēdo antecedens. Episcopi ferentes censuras intēdunt se conformari intentioni Ecclesiæ annuam confessionem præcipientis eo modo, quo possunt se conformari concedit antecedens, eo modo quo non possunt se conformari intentioni Ecclesiæ præcipientis annuam confessionem, negat antecedens: cum autem non possint se conformari intentioni Ecclesię, quando Sacramentum, quoad actionē externā, quę tantum subijacere potest iudicij sui existimatur validū & impletum ex eo quod tantum potest cadere sub Episcoporum iudicio, quod est malum quoad extrinsecam actionem, hinc est quod neque etiam possint ferre censuram contra non adimplentes præceptum tantum ob malitiam internam non manifestatā per actionem externam.

535 Sed hęc solutio non conuincit neque exeruat cum nostri argumenti, quia licet ad hoc vt Episcopus possit in foro poli declarare aliquem excomunicatum, quia non adimplerit præceptum annualis confessionis sit necessarium quod probatur Sacramentum pœnitentię fuisse ab ipso receptum inualidè quoad actionē externam, & non sufficiat inualiditas Sacramenti tantum doloris interni, qui defectus in foro fori probari non potest, tamen ad hoc vt pœnitens in foro conscientiæ incurrat censuram impositam ab Episcopo contra non adimplentem præceptū annuæ cōfessionis satis est quod pœnitēs verè, realiter nō adimpleuerit præceptum annuæ confessionis, quia non recepit Sacramentum pœnitentiæ in illo anno ad quod tenebatur ex præcepto Ecclesiæ, cuius intentio est, vt fideles saltem semel in anno verè recipiant pœnitentiæ Sacramentum, & non fictè, cui intentioni optimè possunt Episcopi se confermari. Cum autem ille, qui accedit ad pœnitentiæ Sacramentum pro adimplenda obligatione annualis confessionis absque dolore de suis peccatis, aut absque proposito emendæ non recipiat vere pœnitentię Sacramentum: nec præceptū Ecclesię annualis confessionis adimpleat, consequens est, vt in foro conscientię incurrat censurā ab Episcopo impositam in suis constitutionibus Synodalibus, licet in foro poli non possit declarari incursus in excomunicationem, sicut licet in cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss. statuatur vt omittens confessionem semel in anno, aut cōmunionem in Paschate arceatur ab ingressu Ecclesię, & ita mortuus careat Ecclesia sepultura, has pœnas non incurrit pœnitens, qui non adimpleuit annuā confessionem ex defectu tantum doloris interni de suis peccatis, quia ista requirunt sententiam iudicis, & consequenter vt omissio illa probatur in iudicio vt cū Suarez, & Coninch locis superius citatis alijsque docet Molfesius dict. tract. 7. de pœnit. cap. 10. num. 30.

536 Tertio probatur: quia pœnitens faciens inualidam confessionem ob defectum tantum interioris doloris de suis peccatis nō adimplet præceptum Ecclesiasticum annuę confessionis vt nobiscū concessit D. Marcus Vidal

resol.

reſol. precedenti; ergo ſimiliter per prædictã cõfeſsionẽ nullã ex defectu ſolius doloris interni incurrit pœnitens cenſuram ab Epiſcopo poſitam in Conſtitutionibus Synodalibus contra non adimplentes præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſsionis, antecedens cõceditur à D. Marco Vidal. & conſequentia patet ex paritate rationis, cũ in vtroque caſu currat eadem ratio.

537 Ad hoc argumentum reſpondetur Don Marcus Vidal concendo antecedens, & negãdo conſequentiam, & rationem diſparitatis aſsignat, quia vt adimpleatur præceptum Eccleſiaſticum annualis confeſsionis requiritur validitas Sacramenti quoad eſſe ſuum ſubſtantiale, & eſſentiale, & ideo per confeſsionem nullam prædictum præceptum annualis confeſsionis non adimpletur, quæ ratio non militat in pœna cenſuræ, quæ vt nõ contrahatur ſufficit vt Sacramẽtum ſit validum, quoad actionẽ externam, & quoad iudicium fori Eccleſiaſtici. Quod ſuadere intendit primo, quia diuerſa poteſt eſſe lex præceptiua à lege punitiua vt patet. Secundo quia preceptum confeſsionis tendit ad illius eſſe ſubſtantiale, pœna vero excomunicationis ad cohercẽdam malitiam actus externi, ergo cum diuerſa ſit ratio legis præceptiuæ à lege punitiua, quod de præcepto affirmatur, nõ eſt affirmandum de pœna: ergo licet per confeſsionem nullam non adimpletur præceptum annuæ confeſsionis, nihilominus non incurritur pœna cenſuræ, quando confeſsio quoad actionem externam, & quoad iudiciũ fori Eccleſiaſtici iudicatur valida, & integra.

538 Hæc autem ſolutio non ſatisfacit; quia eo ipſo quod quis ſcienter taliter confiteantur non adimpleret præceptum annuæ confeſsionis, vt fatetur ipſe D. Marcus Vidal; atqui pro adimplemento præcepti annuæ confeſsionis lata eſt excomunicatio, ergo, qui non adimpleret præceptum annuæ confeſsionis trãſgreditur etiam mandatum Epiſcopi, & conſequenter incurrit in excomunicationem, ſaltem in foro conſcientiæ: licet in foro poli non poſsit declarari excomunicatus ille, qui non adimpleuit præceptum annuæ confeſsionis ob defectũ ſolum doloris interni de peccatis, aut propoſiti emendæ, quia cum hoc non poſsit probari nec poſsit deduci ad forum externum iudiciale cum quo bene ſtat, quod talis incurrat in foro concientiæ excomunicationem ab Epiſcopo latam contra non adimplentes præceptum annuæ confeſsionis vt ſupra probauimus.

539 Ad primum argumentum oppoſitę ſententiæ reſpondetur. negando maiorem, nam Eccleſia non præcipit confeſſionem, vt cumque, ſed veram confeſſionem; atqui ille, qui ſua omnia peccata confitetur abſque dolore interno ipſorum peccatorum ita ſe habet, ac ſi nõ confitentur, vt concedit ipſe D. Marcus Vidal dic. inquiſit. 1. num. 34. ergo talis in tali caſu nõ facit exterius quidquid Eccleſia præcipit. Deinde, quia vt ſupra diximus ille, qui cõfitetur omnia ſua peccata abſque prędicto dolore interno peccatorum, aut emendę propoſito, vel hoc explicat in dicta confeſsione, vel non eſt ſi non explicat, ergo non facit integrã cõfeſſionem; atqui Eccleſia præcipit integram confeſſionem fieri à fidelibus, ſaltem ſemel in an-

no, ergo in tali caſu pœnitens non facit exterius quidquid Eccleſia præcipit. Si verò explicat dictum defectum tunc manifeſtè omittit facere talem externam confeſsionem: quæ ad recipiẽdã abſolutionem ſacramentalem ſufficiat: ergo omni ex capite non facit exterius pœnitens in dicto caſu quidquid Eccleſia præcipit. Atqui ille, qui in confeſsione annuali non facit exterius quidquid Eccleſia præcipit incurrit excommunicationem latã ab Epiſcopo in Cõſtitutionibus Synodalibus cõtra nõ adimplẽtes annuæ cõfeſsionis præceptum: ergo ille, qui non adimplet præceptũ Eccleſiaſticũ prædictũ annuę confeſsionis ob defectum tantùm doloris interni incurrit prædictam excomunicationem.

540 In quo ſenſu vera eſt ſolutio data ſupra nu. 537. nec reſponſio D. Marci Vidal alicuius roboris eſt, quod colligo ex ipſa diſtinctione: nam vt ipſe fatetur Eccleſia poteſt punire actus internos, vt dicunt ordinem ad externos, quando malitia actus interni redundat manifeſtè in exteriorem actum: atqui hoc cõtingit in caſu præſenti: ergo &c. probatur minor: quia Eccleſia non ſolum præcipit fidelibus ſemel in anno confiteri omnia ſua peccata: ſed etiam præcipit receptionem abſolutionis ſacramentalis licitè, & validè receptam ab ipſo pœnitẽte media qua maneat abſolutus ſacramẽtaliter à ſuis peccatis ritè, & legitimè confeſsis, quæ ſacramẽtalis abſolutio actus exterior Sacerdotis eſt: atqui pœnitens, qui ex malitia non habet in dicta confeſsione annuali actum internum doloris de ſuis peccatis: malitia prędicti actus interni redundat manifeſtè in exteriorẽ actum abſolutionis ſacramentalis redendo illam ſacrilegam, & nullam; ergo ſi Eccleſia punire poteſt actus internos dicentes ordinem ad externos, quando malitia actus interni redundat manifeſtè in exteriorem actum: poterit vtique punire prædictam confeſsionem ſacrilegam, & nullam. Ergo qui ita confitetur nõ ſolum non adimplet præceptum annualis confeſsionis: ſed etiam incurrit excommunicationem ſynodalem latam ab Epiſcopo contra non adimplẽtes præceptum annuæ confeſsionis.

541 Ad 3. reſpõdetur cõcedendo maiorem, & negando minorem, nam licet ſtando in ſententia affirmante dari poſſe Sacramentũ pœnitẽtię validum, ſed informe pœnitens per talem confeſsionẽ Eccleſiaſtico prędcepto annuę cõfeſsionis ſatisfaciat, vt docẽt inter alios Sotus in 4. diſt. 18. quęſt 3. art. 2. Suarex tom. 3. in 3. par. diſp. 35. ſect. 4. num. 3. & diſp. 36. ſect. 7. num. 6. Filliucius trac. 7. cap. 2. num. 42. & cap. 3. nu. 65. Fagundez præcepto 2. lib. 1. cap. 2. num. 2. & cap. 4. num. 13. Bonacina diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 4. num. 22. & plures alij; quos citauimus reſolut. 1. huius tractatus. Hoc aſſerunt prædicti DD. quia tam præceptũ diuinũ quam Eccleſiaſticum præcipiũt ſumptionem Sacramenti pœnitentiæ: atqui per confeſſionem validam: ſed informem recipitur pœnitentię Sacramentum quoad eius validitatem: licet effectus eius nõ recipiatur durante obice: ergo optimè ſtando in prędicta opinione per talem cõfeſsionem validam, & informem adimpletur vtrumque præceptum. At verò per confeſsionem nullam, & inualidam ex defectu voluntario, & malitia pœnitẽtis doloris interni de peccatis nõ fit

ac-

actus validus receptionis Sacramenti pœnitentię, niſi tantùm quoad apparentiam externam & quoad iudicium externum fori eccleſiaſtici: ergo licèt talis, qui ita confitetur in foro poli nõ poſsit declarari incurſus in excommunicationem latam cõtra nõ adimplentes pręceptum annuę confeſsionis: nihilominus incurret in excommunicationẽ ſaltem in foro conſcientię: ſicut qui occultè percuſsit Clericum incurrit in excõmunicationẽ latã à iure licèt nõ poſsit declarari ab Eccleſia excommunicatus: donec prędicta percuſsio ab ipſo ſecretè facta iuridicè probetur.

RESOLVTIO XXXIV.

Vtrum Meretrices non implentes pręceptum annuę confeſsionis incurrant excommunicationem Synodalem, & cęteras iuris pœnas.

542 AFfirmatiuam ſententiam ſequuntur Eminentiſsimus Cardinalis Lugo de pœnit. diſp. 15. num. 449. Fagundez præcepto 2. cap. 3. num. 16. & magis ex profeſſo cap. 4. nu. 11. Caſtropalaus part. 4. tract. 23. de pœnit. diſp. vnica punt. 20. §. 3. num. 6. & alij. Fundamentum huius opinionis eſt: quia in cap. omnis vtriuſque ſexus abſolutè, & abſque aliqua limitatione omnibus fidelibus præcipitur, vt cum ad annos diſcretionis peruenerint: ſaltem ſemel in anno confiteantur omnia ſua peccata proprio Sacerdoti: aut ſtante legitima cauſa alteri de eius licentia, & facultate; ergo in dicto præcepto compræhenduntur Meretrices: ergo ſi illud non adimpleãt incurrunt excommunicationem ſynodalem, & cæteras iuris pœnas. Probatur hæc vltima conſequentia; quia nullibi in conſtitutionibus Synodalibus aliquarum Diœceſum excipiuntur huiuſmodi Meretrices, & nobis nõ conſtat de contraria voluntate Prælatorum: quia quamuis non ſoleant declarari, & publicari: id quidem parum refert: nam quãuis id ſit fauor; tamen huiuſmodi fauor magis reſpicit perſonas, quæ cum iſtis meretricibus cõmunicãt, quam ipſas meretrices.

543 Secunda, & probabilior ſententia negat prędictas meretrices non adimplentes pręceptum annuę cõfeſſionis incurrere excõmunicationem ſynodalẽ cęteraſque iuris pœnas. ita Viualdus in Candelabro aureo de confeſſione num. 60. Rodriquez in addit. ad bullam Cruciatę §. 9. Duda vndecima num. 133. & in noua editione §. 11. eodem. num. Zerola in praxi Epiſcoporum par. 1. verb. lupanaria §. 3. Emanuel Sà editione facta Lugduni anno 1602. & in poſteriori editione Antuerpiæ anno 1614. num. 42. his verbis Meretrices non comprehenduntur ſtatutis Synodalibus excommunicantibus non confitentes, aut non communicantes in Paſcha, itaque tales nũquam denunciantur ſic ille. licet in alijs impreſſionibus (vt in illa Matriti edita anno 1602.) oppoſitum habetur. Graffis lib. 1. cap. 9. num. 8. Martinus de San Ioſeph in monita Confeſſarium to. 1. lib. 1. tract. 6. de pœnit. num. 12. citans Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 12. num. 7. ſed Sanchez ibi nõ loquitur de Meretricibus; ſed de pueris ante ætatẽ duodecim annorum. Pater Antoninus Diana poſt quã par. 10. tract. 12. reſol. 36. refert in hac difficultate vtramque ſententiam affirmatiuam videlicet, & negatiuam,

ve-

veritatem illarum alijs cogitandum relinquit, inquit enim verũ pro affirmatiua ſentẽtia Leandrus citat Fagundez præcepto 2. cap. 4. num 10. & 11. & Cardinalem Lugo de Sacramento pœnitentiæ diſp. 15. num. 149. ſed Lugo vt legentibus patebit loquitur ibi de pueris, qua ętate obligentur ad prȩceptum annuę cõfeſsionis, & nihil agit de hac quęſtione, ideo tu cogita ita ille.

544 Probatur 1. hæc ſententia, quia tales meretrices numquam denunciantur, etiam ſi per multos annos nõ confiteãtur, ergo ſignum eſt non eſt intentionem Epiſcoporum illas compræhendere in illa excommunicatione ab ipſis lata in Conſtitutionibus Synodalibus contra non adimplentes præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſsionis, Secundo probatur, quia miſerrimus ſtatus dictarũ mulierũ ab Eccleſia ob vitãda maiora incommoda permittitur, non ergo ab illa puniuntur, nam aliàs nullo modo diceretur permitti, ſi tam rigida pœna earum peccatum puniretur, ergo ſignum eſt dictas meretrices non incurrere excõmunicationẽ Synodalẽ, aliaſque iuris pœnas, quando non adimplent prȩceptum annuæ confeſsionis.

545 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, concedendo antecedens, & primam conſequentiam, & negando ſecundam, quia vt ſupra diximus in ſecunda probatione noſtræ ſententiæ, eo ipſo quod pia Mater Eccleſia ob vitanda maiora incommoda miſſerrimum illarũ ſtatuum permittit non vult illas ligare dicta excommunicatione, neque Epiſcopi talem intentionem habent illas ligandi eo ipſo quod nunquam illas denũcient, etiam ſi per multos annos prȩceptum annualis confeſsionis non adimpleant vt experientia patet.

RESOLVTIO XXXV.

Vtrum ille, qui nunquam confeſſus eſt deſideria praua, quia non putabat inuincibiliter eſſe peccata teneantur poſtquã ſciuit, & cognouit eſſe peccata illa confiteri.

546 PRo reſol. huius difficultatis ſuppono cum communi Doctorum ſententia, quod ille, qui putans inuincibiliter non eſſe mortale aliquod mortale, & ob hanc rationem illud omiſsit confiteri non tenetur iterare confeſsiones, ſic tenent Nauarrus in cap. Fratres de pœnit. diſt. 5. num. 82. Sylueſter verbo cõfeſsio quæſt. 3. Vaſquez de pœnit. quæſt. 92. art. 3. dub. 1. Reginaldus lib. 6. num. 153. Bonacina diſp. 5. quæſt. 3. punt. 2. nu. 6. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 108. qui conſultus de quodam puero, qui vſque ad 13. annum non ſe accuſauit de pollutionibus, quas ordinarie faciebat ignorans inuincibiliter illas eſſe peccatum reſoluit illum non fuiſſe adſtrictum præteritas confeſsiones iterare, & idẽ docet par. 10. tract. 14. reſol. 19. Leãder à *Sanctiſsimo Sacramento* par. 1. tract. 5. de pœnit. diſp. 5. quęſt. 69. Baſſæus verbo confeſsio num. 5. & 6. Quod ſuppoſito.

547 Prȩcipua difficultas eſt, vtrũ ille, qui vnum, aut plura peccata mortalia omiſit cõfiteri, putans inuincibiliter non eſſe mortalia teneatur poſt quam cognouit prædicta peccata omiſsa inuincibiliter eſſe mortalia de illo, aut de illis ſe accuſare in prima confeſsi-

feſsione. Affirmatiuè reſpõdent communiter DD. vt referunt Leander à Santiſsimo Sacramento, & Diana ſuperius citati præcipuè par. 10. dicta reſol. 19. cõtra Reuerendisſimum Patrem Magiſtrum Franciſcum Bordoni 3. ordinis Sãcti Franciſci Meritisſimum Generalem. Doctor D. Petrus Ochogauia de Sacram. tract. 2. de confeſsione Sacramẽtali quæſt. 31. num. 7. vbi ſic inquit, cum quis in pueritia omiſit confiteri peccatum aliquod, quod inuincibiliter ignorauit eſſe mortale, & poſtea cognouit mortale eſse, ſatis eſt illud ſolum cõfiteri, & nõ alia, quia ea fuerũt legitime cõfeſsa. Ita Nauarrus in Enchiridio cap. 9. num. 12. Syluester verbo confeſsio 1. quæſt. 3. & addit Nauarrus lib. 5. conſiliorum tit. de pœnit. & remiſſ. conſil. 3. ruſticum dicentem ſe non ſolere à Parocho interrogare ſpecies, vel numerum peccatorum, ſatis eſſe, ſi eas ſpecies, & numerum iterum confiteatur, & non alia bona fide cõfeſſa peccata ita Ochogauia.

548 Hanc ſententiam probat Diana dic. par. 10. contra dictum P. Bordonum ſolũ à principio extrinſeco ex authoritate Doctorum, ſic communiter aſſerunt DD. quod licet nõ teneatur iterare confeſſionem, qui putat inuincibiliter non eſſe mortale aliquod mortale, nam illa confeſſio eſt valida, tamen hoc non obſtante omnes aſſerunt, quod tenetur confiteri peccata in priori confeſſione omiſſa. Ita ex Nauarro, Sylueſtro, Vaſquez, Bonacina, & alijs tenet Leãdrus to. 1. tract. 5. diſp. 5. quæſt. 69. vndè poſtea ſic infert. Ex hac doctrina conſtat Dianã rectè reſoluiſſe de quodam puero, qui vſque ad 13. annum non ſe accuſauit de pollutionibus, quas ordinariè faciebat ignorans inuincibiliter illas eſſe peccatum, illum non fuiſſe adſtrictum præteritas confeſsiones reiterare, ſed ſufficere ſe in prima confeſsione de pollutionibus ſe accuſare. Ita Leandrus, cui etiam addit Ochogauiam de Sacram. tract. 2. de confeſſ. Sacramentali quæſt. 31. num. 7. & DD. communiter, & ideò dicendum eſt contra Bordonum in caſu propoſito non eſſe reiterandas confeſsiones, ſed explicanda, & confitenda omnia deſideria in confeſsionibus non explicata, & Diana, qui vt dixi nullum aliud fundamentũ affert pro hac ſententia vt dictũ Bordonum impugnet.

549 Dicendum tamen eſt, quod ille, qui nunquam ſe accuſauit antea in ſuis confeſsionibus de deſiderijs carnis, furti, odij, &c. eo præciſe quia putabat inuincibiliter ea non eſſe peccata, aut de illis nunquam dubitauit ſint ne peccata non tenetur huiuſmodi deſideria aliàs non confeſſa modo confiteri, & idem dicẽdum eſt de puero, qui vſque ad 13. annum non ſe accuſauit de ordinarijs pollutionibus, quas faciebat ignorans inculpabiliter eſſe peccata mortalia ſciens poſtea hoc peccatum mortale eſſe. ita Reuerendiſs. P. Magiſter Bordonus in miſcellaneis deciſ. 321.

550 Probat 1. hanc ſententiam Pater Bordonus, quia ſtante bona fide illius, qui nunquam ſe accuſauit de deſiderijs carnis, furti, odij, &c. quæ ſecundum omnes à peccato excuſat nõ peccauit, ergo non teneur ea deſideria confiteri, probatur conſequentia, quia ſolum peccatum eſt obiectum huius Sacramenti, ergo ſi dicta deſideria non fuerunt peccata non tenebitur illa con-

confiteri, etiam si postea sciat illa esse secundum se peccaminosa.

551 Secundo hanc sententiã probo, & simul confirmo probationem antecedentem eruditi Patris Bordoni, quia vel illa ignorantia inuincibilis in tali casu excusauit à peccato, vel non, si nõ excusauit (quod falsum est asserere) ergo non solum tenebitur ille, qui omisit confiteri prædicta desideria carnis, furti, odij, &c. aut puer, qui non fuit confessus pollutiones, quas habuit iudicando inuincibiliter non esse peccatum mortale prædicta desideria, ac pollutiones confiteri, sed etiam tenebitur confessiones præteritas iterare, quod non cõcedit opposita sententia, quod probo, nam si illa ignorantia inuincibilis non esset sufficiens ad excusandum à peccato mortali in dicto casu confessiones præteritæ fuerunt malæ, & sacrilegæ, ergo erunt necessario iterandæ. Si vero prędicta ignorantia in dicto casu excusauit à peccato (vt certum est apud omnes) ergo ille talis non tenebitur prædicta desideria, aut pollutiones nõ confessas in præteritis cõfessionibus ex prædicta ignorantia modo postquã sciuit esse peccatũ mortale in prima cõfessione cõfiteri, probo consequentiam, quia dicta desideria, aut prædictæ pollutiones dicta ignorantia habitæ non fuerunt peccaminosæ vt supponitur, ergo non sunt materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, & consequẽter non erunt necessario confitendæ modo in prima confessione, si quidem obiectum huius Sacramenti est peccatum vt supradiximus cum Dicto Patre Bordono,

552 Tertio probo, quia si in dicto casu ille, qui omittit confiteri in præteritis confessionibus aliqua peccata mortalia iudicando inuincibiliter non esse mortalia teneretur postquam sciuit esse mortalia, illa confiteri prima cõfessione, sequeretur, quod etiã si non haberet alia peccata mortalia, nec venialia de quibus confiteretur teneretur confiteri talia peccata mortalia ab ipso non confessa in præteritis confessionibus, quę omisit confiteri iudicando inuincibiliter non esse peccata mortalia; atqui hoc est falsum: ergo, & quod teneatur prædicta peccata cõfiteri in prima confessione ab ipso facienda. Probo sequelam, & maioris claritatis gratia suppono quemdam puerum habuisse ante annum 13. suæ ætatis aliquas pollutiones voluntarias, quas inuincibiliter ignorauit esse peccatum mortale. Quo supposito sequelam probo, iste talis habendo dictas pollutiones cum prædicta ignorãtia inuincibili nõ peccauit mortaliter, vt cõcedunt Authores oppositæ sententiæ: ergo si nõ haberet alia peccata, nec mortalia, nec venialia, de quibus confiteretur non poterit licitè prędictas pollutiones solummodò confiteri, aliàs faceret confessionẽ nullã, et sacrilegam; probo consequentiam: quia omne Sacramentum, vt sit validum, & licitum debet constare ex materia, & forma; atqui in dicto casu quo puer ille confiteretur solas pollutiones voluntarias prędictas, quæ ratione ignorantię inuincibilis non fuerunt peccata mortalia nulla esset materia, nec sufficiens, nec necessaria Sacramenti pœnitentię; cum materia huius Sacramẽti sint peccata: ergo cum dictę pollutiones non fuerint peccaminosę, tunc quãdo fuerunt habi-

bitę ratione ignorantię inuincibilis: modò non poſſunt eſſe materia etiam ſufficiens huius Sacramenti: ergo ſi prędictus confiteatur de ſolis dictis pollutionibus nõ confitendo alia peccata mortalia, aut venialia faciet confeſſionem nullam, & ſacrilegam: ergo vt certum tenendum eſt, quod qui omiſit confiteri in cõfeſſiooibus prędeteritis aliqua peccata mortalia, quę iudicauit inuincibiliter non eſſe mortalia nõ ſolum non tenetur prędeteritas confeſſiones recitare, ſed neque etiam dicta peccata in prima cõfiteri poſtquam ſciuit eſſe mortalia.

553 Sed dices dictum vnius tantũ Doctoris contra communem conſenſum omnium aliorum Doctorum prędipuè quando res ab omnibus eſt agitata non poteſt fundare aliquam probabilitatem, etiam extrinſecam: quia talis Doctor in dicto caſu credere potius debet ſe errare, quam aliorum iudicio proponi; timere enim debet: ne lumen, quod ſibi eſſe videtur, tenebrę ſint: prudentia enim, & humilitas petit aliorum iudicio ſe ſubijcere, & conformare, vt docet Nauarrus cap. 27. num. 286. & 287. ex cap. prudentia de offic. delegati, & cap. de quibus diſt. 20. atqui noſtrum dictum in caſu prędenti eſt dictum tantum vnius Doctoris contra conſenſum communem aliorum Doctorum: ergo dictũ noſtrum non eſt probabile etiã probabilitate extrinſeca, cum ſolum affirmetur ab vno Doctore, ſcilicetà Patre Bordono.

554 Reſpondetur negando maiorem: nam vnicus grauis Doctor peritus in ſciẽtia, & timoratę conſcientię ſufficit ad conſtituendam opinionem extrinſecè probabilem. ita Gloſſa Abbas, & Doctores in cap. Cappellanus de ferijs Syluester verbo opinio qu. 2. Vaſquez part. 2. diſp. 62. n. 12. Sanchez lib. 1. ſumm. cap. 9. nu. 9. & de matrim. lib. 3. diſp. 44. nu. 2. Henriquez lib. 4. cap. 18. num. 13. Ioannes Sancius in ſelectis diſp. 29. num. 7. vbi ſic ait hinc rectè aduertit Vaſquez 1. 2. tom. 1. diſp. 62. cap. 4. num. 13. Azorius to. 1. lib. 2. cap. 16. qu. 5. Villalobos 1. tom. ſummę tr. 1. diffic. 4. nu. 16. Sayrus Claui Reggia Docet in re lib. 1. cap. 6. nu. 8. Sanchez in ſumm. lib. 1. c. 9. nu. 9. & lib. 3. de matrim. diſp. 44. nu. 2. negare non poſſimus turbam Doctorum aliquãdo amplecti vnam opinionem abſque delectu rationum, aut ſaltem non tam exactè rationibus ponderatis contra quas deindè alius Doctor magnę authoritatis opinionem aliquã mature excogitatam in ſcholas introducere poteſt, & multę opiniones initio excogitatę, & in ſcholas introductę ſunt, quę communes tũc non fuerunt: ſic ille. Paſqualigus in ſuis deciſionibus decaſ. 2. Rolandus conſil. 100. num. 49. volum. 2. Quæ doctrina procedit etiam ſi materia, ſeu quæſtio illa eſſet ab antiquioribus tractata: nam vnicus grauis Doctor poterit antiquiorum rationes ſoluere & afferre probabilitatem ſuæ ſingulari opinioni contra communem, vt contra Portel. in dubijs regularium verbo opinio num. 4. Azorium tom. 1. lib. 2. quęſt. 6. Salon ſecunda ſecundæ quæſt. 63. art. 4. controuerſia 2. concl. 4. verſu ex his autem, Merollam tom. 1. diſp. 3. cap. 4. num. 73. docet aliorum Doctorũ opinio, quam ſequitur Angelus Maria Verricellus in ſuis quæſtionibus moralib. & legalib. tract. 2. qu. 5. num. 2. & 3. & colligitur ex l.

2. §. sed neq; C. de ver. Iur. enucl. ibi sed neq; ex multitudine Authorũ quod melius, æquius est iudicare, cũ vnius possit forsan, & deterioris sententia, & maiores aliqua in parte superare: deinde, quia non est præsumendum grauem Doctorem disputando leui fundamento dictum cæteris aduersatum esse, vide de hoc pũcto Verricellum loco citato, & ea, quæ nos diximus supra in hoc tractatu respondendo ad simile argumentum. Cum autem sententia nostra non solum nitatur authoritate vnius Doctoris magnæ authoritatis, & timoratæ conscientiæ, vt est. Reuerendissimus Pater Magister Franciscus Bordonus; sed etiam solidissimis fundamentis superius allegatis, non est cur dicatur improbabilis, etiam ab extrinseco, vt intendit argumentum: imò censeri debet probabilis, tã ab intrinseco: quam ab extrinseco: etiam si sit cõtra communem consensum Theologorum præcipue cum nullum solidum fundamentum pro sua sententia afferant, imo, potius eam supponant, quam probent, vt in istis videri potest.

555 Ex dictis infero cum Patre Ioanne Dedicastillo de pœnit. quod si aliquis habuit tactus inhonestos cũ diuersis mulieribus diuersorum statuum, nempè cũ soluta, cum virgine, cum coniugata, cum cõsanguinea, &c. & in confessionibus se accusauit se habuisse diuersos tactus inhonestos cum diuersis mulieribus nõ explicando statum an esset coniugata, virgo, aut consanguinea iudicãdo inuincibiliter has non esse circumstantias necessario in confessione aperiendas, non teneri postquam sciuit esse circũstantias mutantes speciẽ illas cõfiteri in prima confessione ab ipso facienda propter rationes superius allegatas.

FINIS PRIMI TRACTATVS.

TRACTATVS SECVNDVS

VARIARVM RESOLVTIONVM MORALIVM IN BVLLAM CRVCIATAE.

CVM communiter DD. poſt Tractatē de materia pœnitentiæ tractare ſoleant de priuilegijs Bullę Cruciatæ: præcipuè de facultate, quam Confeſſarius habet abſoluendi pœnitentes à quibuſuis ſuis peccatis: pręcipuè reſeruatis vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ. ideò eorum veſtigia ſequendo poſt Tractatum de pœnitentia hũc Tractatum variarum reſolutionum ſuper Bullã Cruciatæ facio, in quo pręcipuas difficultates, quę Confeſſoribus poſſunt occurrere examino pręcipuè in ordine ad caſuum reſeruatorum abſolutionem, & votorum commutationem, quę à Confeſſarijs poteſt fieri virtute Bullę Cruciatę durante anno illius publicationis, & quia non conueniunt DD. an annus durationis Bullę Cruciatę accipiendus ſit pro anno naturali, & ſolari, vel pro anno Eccleſiaſtico: ab vna ſcilicet Bullę publicatione: vſque ad publicationē nouę Bullę; ideo de hoc erit prima tractatus reſolutio.

RESOLVTIO I.

Vtrum annus publicationis Bullę Cruciatę accipiẽdus ſit pro anno naturali, & ſolari, vel ſolum pro anno Eccleſiaſtico: ita vt priuilegiũ Bullę Cruciatę duret à publicatione vnius anni vſque ad publicationem eiuſdem anni ſequentis quidquid ſit de anno naturali, & ſolari?

PRima ſententia affirmat annum durationis Bullę Cruciatę debere accipi pro anno naturali, & ſolari, non vero pro anno Eccleſiaſtico, itaut ſi Bulla Cruciatę in aliqua Ciuitate, aut Oppido publicetur in vno anno die prima Ianuarij v.g. & in anno ſequenti publicetur in eadem Ciuitate, aut Oppido die prima Februarij totum illud tempus à die, ſcilicet prima Ianuarij vſque ad primam diem menſis Februarij dicti anni ſequentis: Ciues illius Ciuitatis, aut habitatores illius Oppidi non guadere priuilegio Bullæ Cruciatæ; è contra verò ſi in aliqua Ciuitate, aut Oppi-

do bulla Cruciatę publicetur anno antecedenti die prima menſis Februarij, & anno ſequenti publicetur dicta bulla die decimo octauo mẽſis Ianuarij dictos habitatores dictæ Ciuitatis, & Oppidi gaudere priuilegio bullæ Cruciatæ anni præcedentis vſque ad primum diem menſis Februarij anni ſequentis, in qua adimpletur annus naturalis publicationis dictæ bullæ Cruciatæ anni antecedentis. Ita tenent Magiſter Ludouicus Lopez in directorio cõſcientię par. 2. tract. de clauibus Eccleſiæ cap. 6. de expoſitione bullæ Cruciatæ modernæ §. is igitur, licet non ita clare loquatur in fauorem iſtius opinionis vt iudicat Pater Magiſter Barnaba Gallegus, vt ex illius verbis conſtat, ait enim in dic. §. igitur annus iſte incipit à die promulgationis Bullæ in quocumque oppido vbi promulgatur. Sed iam iſtinc emergit dubium. Si quis v. g. ſumit Bullam poſt quinque, aut ſex menſes poſt dies promulgationis factę lapſos, an poſſit Bulla gaudere vſque ad finem anni, non quidem à die promulgationis Bullę in ſuo oppido factæ, ſed à die ſumptionis Bullę, in quo eam ſumpſit. Videtur autem quod ei valeat tunc vſque ad complimẽtum anni à die, quo ſumpſit Bullã. Quoniam cũ æqualẽ iſte cõtribueret eleemoſynam, puta, duos argenteos, ſicut alij, qui à die promulgationis eam ſumpſerunt, æquitatis ratio expoſcere videtur vt per integrum annum ea Bulla potiatur, ſicut, & alij. His nihilominus non obſtantibus non eſt nobis recedendum à forma conceſſionis Bullę, quæ ſolum eam cõcedit durante anno à die promulgationis, quoniam indulgẽtiæ tantum valent quantum ſonant. Ita Ludouicus Lopez. Pater Magiſter Didacus Nugnus tom. 2. in 3. par. vbi de Bulla §. 6. Vega in ſumma cap. 43. caſu 10. Rodriquez de Bulla Cruciatę §. 5. Naciadus par. 2. lib. 1. tract. 4. documento 6. quamuis non loquatur ex propria opinione probabili. Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 15. num. 17. quos citat, & ſequitur Pater Magiſter Barnaba Gallegus in expoſitione Bullæ Cruciatæ cap. 4. clauſula 4. duda 14.

2 Fundamentum huius ſententię eſt, quia ex verbis ipſius Bullę apertè colligitur, annum durationis dictæ Bullæ debere intelligi de anno naturali, & ſolari, & non de anno Eccleſiaſtico, vt colligitur ex illis verbis durante anno publicationis, vbi illud verbum, annus, debet intelligi pro anno Solari, & naturali, & non pro anno Eccleſiaſtico, vt conſtat ex communi fere omniũ Doctorum intelligentia, ergo annus durationis Bullæ Cruciatæ accipiendus eſt pro anno naturali, & ſolari, qui conſtat 365. diebus, & anno biſſextili 366. illum computando à die publicationis dictę Bullę, & non pro anno Eccleſiaſtico illum computãdo à die plublicationis Bullę Cruciatę anni antecedentis vſque ad aliam publicationem dictę Bullę anno ſequenti, ſiue fiat ante adimpletionem anni naturalis, & ſolaris, ſiue poſt dictum annum adimpletum.

3 Secunda, & probabilior ſententia affirmat computationem anni durationis Bullę cruciatę accipiendam eſſe ab vna, in aliam plublicationem dictę Bullę, etiã ſi fiat tranſacto anno naturali, & ſolari poſt antecedentem Bullę publicationem, dum tamen de proximò expectetur ſequentis

an-

anni Bullę publicatio: ita Ludouicus à Cruce de expoſitione Bullę Cruciatę diſp. 1. cap. 10. dub. 11. num. 3. Villalobos tom. 1. ſumm. tract. 27. de Bulla Cruciatæ clauſ. 4. num. 8. Coninch. in expoſitione Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 1. dub. 11. n. 3. Diana par. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatæ reſolut. 91. Caſtropalaus par. 4. tr. 25. de Bulla Cruciatæ diſp. vnica punt. 3. num. 2. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullę Cruciatæ par. 1. tract. 2. cap. 6. ſect. 2. §. 1. & 2. Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza in Theologia moroali par. 1. lib. 7. in Bullã Cruciatæ ſect. 1. cap. 3. num. 38. & ſect. 2. problema 3. num. 460. Doctor D. Marcus Serio in expoſit. Bullæ Cruciatę circa præſentem difficultatẽ D. Carolus Latius in Bullam Cruciatę diſp. 1. quæſt. 3. difficultate 4. nu. 17. Remigius in ſũma trac. 3. cap. 4. §. 1. n. 6. & alij.

Probatur 1. hęc ſententia, quia
4 licet Eccleſia præcipiat omnibus fidelibus ſemel in anno confiteri, vt conſtat ex cap. omnis vtriuſq; ſexus, nihilominus ex communi vſu fidelium, & conſuetudine vniuerſali Eccleſiæ, quæ eſt optima explicatio legis, dictus annus confeſſionis cõputatur more Eccleſiaſtico, & non accipitur annus cõfeſſionis pro anno naturali, & ſolari, ergo idẽ dicendũ eſt de anno durationis Bullæ Cruciatæ, cũ fideles communiter exiſtiment, hanc Bullam durare vſque ad publicationem nouę Bullę (niſi noua publicatio non ſit ſequutura, vel differenda vt ſupra diximus n. præcedenti) & ratio huius eſt, quia res Eccleſiaſticas Eccleſiaſtica menſura menſurare debemus, ergo ſi ſufficienter ſatisfit Eccleſię præcepto de annua confeſſione, dum quis ex vno Paſchate in aliud Paſcha differat confeſſionem, etiam ſi plures dies, quam 365. inter vnum, & aliud Paſcha fluant: ſimiliter dicendum erit de anno durationis Bullæ Cruciatæ, ſcilicet Bullam Cruciatæ durare ab vna publicatione vſq; ad aliã etiã ſi plures dies inter vnã, & aliã publicationem, quã 365. fluant, dũ proximè expectetur nouæ Bullæ publicatio.

5 Secundo, probatur hæc ſententia, quia ſi annus durationis Bullæ Cruciatæ accipiendus eſſet pro anno naturali, & ſolari, & non pro anno Eccleſiaſtico, ſequeretur, quod ſi breuior eſſet annus Eccleſiaſticus anno naturali poſſet ille, qui Bullam accepit, Bulla illa gaudere, vſque dũ compleatur annus naturalis publicationis dictæ Bullæ non obſtante nouę Bullę publicatione, atqui hoc eſt falsũ, ergo, & quod annus durationis Bullæ accipiendus ſit pro anno naturali, & ſolari, & non pro Eccleſiaſtico ſequela conceditur à Doctoribus oppoſitæ ſententię, falſitas autem ſequelę probatur, nam vt bene notat Doctus Pater Franciſcus Bardi vt ſupra dicto §. 2. num. 16. promulgatio eſt veluti quædam ratio nouę bullæ præbens vigorem, ergo etiam erit ratio tollens vigorem à Bulla præcedenti, ergo Bulla præcedens ex vi promulgationis Bullæ præcedentis nullum habet vigorem, atque adeo poſita promulgatione Bullæ ſequentis, ſi fiat ante adimpletionem anni naturalis Bullæ præcedentis non poterit quis dicta Bulla præcedenti gaudere, vſque dũ compleatur annus naturalis à promulgatione illius, probo hanc vltimam cõſequentiam quia ex hoc ſequeretur poſſe aliquem eodem tempore frui duabus, imò tribus Bullis Cruciatæ, atqui hoc eſt expreſſe cõtra mẽ-

tem

tem Pontificis, qui vnam, & ad amplius duas Bullas concedit vnicuique fidelium pro ſingulis annis, ergo nulla apparet ratio, cur promulgatio nouæ Bullæ ſi extendatur pluſquam annus ſolaris conſeruet vigorem Bullæ, & & quando minus extenditur non faciat ceſſare eiuſdem Bullæ efficaciam. Maiorem probo, quia caſu, quo in hoc anno 1658. fuiſſet facta promulgatio Bullæ Cruciatæ die prima menſis Februarij, & anno ſequenti 1659. publicetur Bulla Cruciatæ die 18. menſis Ianuarij, in hoc caſu poſſet Petrus v. g. frui Bulla Cruciatæ anni præcedentis in anno ſequenti à die 18. Ianuarij vſque ad primam diem menſis Februarij eiuſdem anni, & die 18. Ianuarij ſuppono Petrum ſumere duas Bullas, quas ſuppono eum poſſe accipere in eodem anno ex cõceſſione Pontificis, ergo in dicto caſu Petrus frueretur tribus Bullis Cruciatæ in eodem tempore, nempe Bulla anni præteriti, quia non eſt adimpletus annus naturalis, & duabus Bullis anni præſentis, quas accepit vtendo priuilegio Pontificis, atqui hoc videtur eſſe expreſſe contra mentem Pontificis; ergo certum eſt, quod promulgatio nouæ Bullæ, ſicut illi dat vigorem, ita tollit vigorem à Bulla præcedenti, etiã quando publicatio nouæ Bullæ fit antequam compleatur annus naturalis Bullę præcedentis, ergo ānus durationis Bullę Cruciatę more Eccleſiaſtico ab vna, in alteram publicationem Bullę Cruciatæ accipiendus eſt, & non more naturali, & ſolari.

6 Tertio probatur, hęc ſententia, quia verba priuilegij tantum valent, quantum ſonant, & vt docent communiter DD. in propria ſignificatione ſunt accipiẽda; atqui ex verbis ipſius Bullę Cruciatæ aperte colligitur annũ durationis dictæ Bullæ debere intelligi de anno Eccleſiaſtico, & non naturali, & ſolari, ergo, &c. Maior ab omnibus communiter recipitur, minor vero probatur, nam in Bulla Cruciatæ hęc verba habẽtur, durante anno, qui currit à die publicationis dictæ Bullæ, ergo Summus Põtifex in hoc priuilegio loquitur de anno Eccleſiaſtico, & non de anno naturali, & ſolari. quã conſequentiam vt probem, ſuppono, quod hoc anno 1658. fuit publicata bulla in hac Feliciſſima Ciuitate Panormi die 12. menſis Februarij, & anno ſequenti 1659. publicetur die 28. menſis Ianuarij, in quo caſu hæc ſecunda publicatio facta erit quindecim dies antequam adimpleatur annus ſolaris publicationis Bullæ huius anni 1658. In quo caſu interrogo, aut eſt verũ dicere, q̃ à die publicationis anni ſequentis 1659. die 28. Ianuarij incipit annus priuilegij Bullæ Cruciatæ dicto anno publicatæ, vel non? Si hoc ſecundum affirmes, eſt expreſſe contrauenire textui dictę Bullę plublicatę dicto die 28. Ianuarij dicti anni ſequentis, qui affirmat, quod annus publicationis dictę bullę debet incipere à die publicationis ipſius, ergo per publicationẽ dictę bullę anno ſequẽti 1659. die 28. Ianuarij ceſſat priuilegiũ Bullę anni præcedẽtis 1658. non obſtante quod non ſit adimpletus annus naturalis, & ſolaris publicationis Bullæ anni præcedentis 1658. aliàs ſequerẽtur, quod publicatio Bullæ anni ſequentis non deberet incipere à die ſuæ publicationis, quod expreſſe eſt cõtra textum ipſius Bullæ, ergo debemus dicere ex textu Bullæ Cruciatæ manifeſte con-

cõſtare annum durationis dictæ Bullæ debere intelligi more Eccleſiaſtico ab vna vſque ad alteram dictæ Bullæ publicationem, quidquid in contrarium garrulet Pater Magiſter Barnaba Gallegus contra Doctorem D. Marcum Serio.

7 Ad Fũdamẽtũ oppoſitæ sẽtẽtiæ manifeſte conſtat ex dictis num. præcedenti, nego igitur nullum eſſe fundamentum in ipſo textu Bullæ Cruciatæ ad aſſerendum annum durationis ipſius Bullę ſumi debere pro anno Eccleſiaſtico, & non pro anno naturali, & ſolari vt in dicto num. probauimus: nam licet hoc verbum annus abſolute prolatum intelligi debeat in communi intelligẽtia pro anno naturali, & ſolari, ex eo quod hoc nomẽ annus ſit nomen analogum, & analogum nomen abſolute prolatum debeat ſtare pro famotiori, hoc eſt pro principaliori ſignificato, vt docent communiter Dialectici, & Methaphyſici ſicut, hoc nomẽ homo abſolute prolatũ ſtat pro homine viuo, et non pro picto, hoc tamen locum non habet in hoc caſu particulari de anno priuilegij Bullę Cruciatę, cum ex verbis ipſius Bullæ conſtet Summum Pontificem locutum fuiſſe in dictis verbis Bullę Cruciatę de anno Eccleſiaſtico, & non de anno naturali, & ſolari vt ſupra probauimus.

RESOLVTIO II.

Vtrum Sacerdotes ordinũ Militarium, ſcilicet Sancti Ioannis Hyeroſolimitani, Alcantarę, & Calatrauę poſsint frui priuilegio Bullę Cruciatę veſcẽdi ouis, & lacticinijs tempore quadrageſimę, qui communiter freyles vocantur.

8 AFfirmatiuam ſententiã ſubſtinent Pater Magiſter Barnaba Gallegus in expoſitione Bullę Cruciatę dub. 58. §. Acerca de aquellas palabras vltimas deſta clauſula. Pater Andreas Mendo in elucidatione Bullę Cruciatę diſp. 17. cap. 3. num. 21. Pater Antoninus Diana par. 11. tract. 11. reſol. 53. D. Carolus Latius in expoſitione Bullę Cruciatę diſp. 3. queſt. 3. difficultate 5. num. 19. & 20.

9 Primum Fũdamentum huius ſententiæ eſt, quia verba Bullę Cruciatę loquendo de Equitibus militaribus in ordine ad edẽda oua, & lacticina abſolute loquuntur, & abſque aliqua limitatione, & reſtrictione, inquit enim Cruciata Bulla, & ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs compræhenduntur omnes cuius libet militię regulares; Atqui Sacerdotes ordinum militarium, qui communiter Freyles vocantur ſunt verè religioſi dictorum ordinum militarium, ergo gaudent priuilegio Bullæ Cruciatæ edendi oua, & lacticinia tempore quadrageſimali per dictam clauſulam dictæ Bullę.

10 Secundum fundamentum huius ſententię adducitur a Patre Antonino Diana vbi ſupra, quia in Bulla latina, poſtquam abſolute conceditur fumentibus Bullam Cruciatę indultum veſcendi ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus adiũgitur, & ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs compręhenduntur omnes cuiusvis militię Regulares, immediatè poſt additur Patriarchis vero, Archiepiſcopis, & Epiſcopis alijſque inferioribus Prętatis, nec non alijs Regularibus, & qui in ordine Prębyteratus fuerint Secu-

lari-

laribus, niſi ſexagenarij fuerint, ergo ex dictis verbis colligitur Religioſos militares, etiam Sacerdotes poſſe frui priuilegio edendi oua, & lacticinia: cum ſolùm ſæcularibus Sacerdotibus id denegetur.

11 Tertium fundamentum adducitur à Patre Andrea Mendo in appendice contra Patrem Franciſcum Bardi diſp. 2. cap. 10. nu. 47. quia ſi ob aliquam rationem Sacerdotes ordinum militarium non guaderent priuilegio Bullę Cruciatę edendi ouas, & lacticinias maximè eſſet, quia cũ edere oua, & lacticinia tempore Quadrageſimę ſit prohibitum in Bulla Cruciatę Sacerdotibus ſecularibus, vt conſtat ex verbis ipſius Bullę: ibi ſub hac tamen gratia, & conceſſione (ſcilicet edendi oua, & lacticinia) vltimo dicta: eo quod Eccleſiaſtici ſæcularibus abſtinentiores eſſe debeant: minimè compræhendi volumus Patriarchas, Primates Archiepiſcopos, Epiſcopos, neque alios inferiores Prælatos, neque quaslibet perſonas Regulares, ac ex ſæcularibus eas, quę in Præſbyteratus ordine conſtitutæ ſint quoad quadrageſimalia ieiunia, ex quibus verbis videtur cõſtare potiori iure hoc eſſe prohibitum Sacerdotibus Regularibus ordinum militarium, qui ſæcularibus etiam Sacerdotibus abſtinẽtiores eſſe debent: atqui hæc ratio nihil conuincit: cum verba Bullæ antecedentia Religioſis militaribus facultatẽ fruẽdi priuilegio Bullæ Cruciatæ veſcendi ouis, & lacticinijs ſint abſoluta, & abſque aliqua limitatione, vt ex ipſis conſtat, ſic enim loquitur Bulla, & ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs compræhenduntur omnes cuiuſuis militiæ Regulares, ergo cum Sacerdotes ordinum militariũ ſint verè Religioſi Regulares militares gaudent dicto priuilegio Bullæ veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs tempore quadrageſimali, minorem probat Pater Andreas Mendo, quia ſi Summus Pontifex voluit concedere illis, & non iſtis prædictum priuilegium, non debemus examinare, an congruentius fuiſſet negare, imo ſupponere fuiſſe congruentias, quibus ductus moueretur ad conceſſionẽ æque facilè excogitari poſſunt ergo veriſimile eſt plus conceſſum fuiſſe Præsbyteris militariũ æqueſtrium, quam alijs, ex ipſis Bullæ verbis explicatis in proprio ſenſu, quin adhibeatur impropia reſtrictio, id conſtat.

12 Secunda, & vera ſententia negat Religioſos Sacerdotes ordinum militarium gaudere priuilegio Bullæ Cruciatæ veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs diebus quadrageſimalibus, ita Villalobos tom. 1. ſummæ tract. 27. de Bulla Cruciata par. 2. tract. 3. cap. 2. ſect. 2. §. 4. num. 28. & in vindicatione contra Patrẽ Andream Mendo num. 36. Trullench. in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 4. dub. 4. num. 2. Caſtropalaus par. 4. tract. 25. de Bulla Cruciatæ diſp. vnica punt. 8. §. 2. num. 6. Doctor Don Marcus Serio in bullam Cruciatæ diſp 1. difficultat. 7. §. 5. quæſt. 11. num. 2. Pater Antoninus de Eſcobar, & Mendoza in Theolog. moral to. 1. lib. 7. ſect. 1. cap. 11. num. 116. per hæc verba laicis Sæcularibus & Equitibus militarium ordinũ (dummodo hij Præsbyteri non ſint) conceditur ſine vlla temporis diſtintione poſſe ouis, & lacticinijs veſci, & num. 130. hanc facultatem veſcendi ouis & lacticinijs tempore quadrageſimali vir-

virtute priuilegij Bullę Cruciatę denegat, non ſolum Sacerdotibus ordinum militarium, ſed etiam Clericis profeſſis ordinis militaris Sancti Ioannis Baptiſtæ Hyeſolimitani, ſic enim inquit dict. num. 130. Equites ordinis militaris, qui verè religioſi ſunt & matrimonium contrahere nequeunt v. g. diui Ioannis tempore quadrageſimæ ouis, & laticinijs veſci poſſunt. Quia inſtituti ſunt ad ſeruiendum Eccleſię fortiter dimicando aduerſus hæreticos, & Infideles. Non autem nomine militarium compræhẽduntur Religioſi militares Clerici, quamuis non ſint Sacerdotes, quos freyeles vocitant, & choro inſeruiunt, hij enim tenẽtur ab ouis, & lacticinijs abſtinere Manuel Rodriquez in expoſitione Bullæ Cruciatæ.

13 Ante probationem huius ſententię ſuppono cum erudito Patre Franciſco Bardi loco ſuperius citato in vindicatione in Patrem Andream Mendo dict. nu. 36. motiuum, quo Pontifex habuit ad excludendos Sacerdotes militarium ordinum, à priuilegio veſcendi ouis, & lacticinijs virtute Bullæ Cruciatæ diebus quadrageſimalibus nullam aliud aſſignari poſſe, niſi decẽtia diuerſorũ Statuũ in quo perſonæ excluſæ ab hoc priuilegio reperiũtur poſtulantium abſtinentię rigorẽ quoad lacticinia, ſacro illo tempore quadrageſimę, ex qua Summi Pontificis intentione nõ obſcure conſtat ex verbis ipſius Bullę Cruciatę, vbi poſtquam Summus Pontifex ſumentibus Cruciatę Bullam prębet facultatem veſcendi ouis, & lacticinijs diebus quadrageſimalibus, excipit Regulares per hæc verba: ſub hac tamen gratia, & conceſſione vltimo dicata, eò quod Eccleſiaſtici Sęcularibus abſtinentiores eſſe debeant, minime comprehendi volumus Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, neque alios inferiores Prelatos, neque quaſlibet perſonas regulares, ac ex Sęcularibus eas quę in presbyteratus ordine conſtitutę ſunt quoad quadrageſimalia ieiunia, & in hoc Summus Pontifex voluit ſe conformare diſpoſitioni iuris communis maiorem corporis macerationem preſcribentis, quoad ieiunia perſonis Eccleſiaſticis, quam laicis, vt conſtat ex cap. ſtatuimus 4. diſt. 4. part. 1. decreti per hęc verba ſtatuimus, vt ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici in ſortem Domini vocati à carne ieiunent, quia ſicut diſcreta debet eſſe vita Clericorũ à laicorum conuerſatione: ita, et in ieiunio debet eſſe diſcretio. & infra has ergo ſeptem hebdomadas omnes Clerici à carne, & delicijs ieiunent, & hymnis, & vigilijs, atque orationibus Domino inhęrere die, noctuque ſtudeant, tria autem genera perſonarum excluduntur à Summo Põtifice: ne hoc perfluantur in dulto: nempe Regulares, Presbiteri Sęculares, & Prelati: tam ſuperioris, quam inferioris dignitatis. fuit autem conueniens excipere Regulares, in quibus maior requiritur abſtinentia, quia carnes, & lacticinia magis prouocant ad luxuriam, vt docet D. Thomas 2. 2. queſt. 147. art. 8. in corpore his verbis. Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt art. 6. huius queſtionis ieiunium ab Eccleſia eſt inſtitutum ad reprimendas concupiſcentias carnis, quę quidem ſunt delectabilium ſecundum tactum, quę conſiſtunt in cibis, &

venerijs, & ideò illos cibos Ecclesia ieiunantibus interdixit, qui, & in comendo maximè habent delactationem, & iterũ maxime hominẽ ad venerea prouocant, huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium, & respirantium, & quę ex eis procedunt, sicut lacticinia ex greſſibilibus, & oua ex auibus, quia enim huiusmodi magis cõformantur humano corpori plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum cõmestione plus suplesluit, vt vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his cibis prę-cipuè ieiunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum. Ideoque congruum fuit, vt Religiosi, qui castitatis puritatem profitentur abstinerent ab huiusmodi cibis, Præsbyteri, etiam causa dignitatis, ractione cuius Angelis comparantur, vt docet Diuus Thomas 3. par. quæst. 22. art. 1. ad 1. his verbis, ad 1. ergo dicendum, quod potestas hierarchica conuenit quidem Angelis in quantum, & ipsi sunt medij inter Deum, et hominem vt patet per Dionisium in lib. cælestis hierarchię par. 3. cap. 6. ita quod ipse Sacerdos in quantum est medius inter Deum, et populum Angeli nomen habet secundã illud Malachiæ 2. Angelus Domini exercituum est, Prelati denique, qui alijs præsunt subditis exemplum abstinentiæ etiam prębere debent, quę ipsis maxime conuenit. En quomodo hoc absque dubio motiuum fuit quo Pontifex excludere voluit hęc tria personarum genera ab hoc indulto vescẽdi carnibus ouis, et lacticinijs, & aliud excogitare nequit, proinde si ipsum motiuum expectemus pręscindendo pro isto nunc à verbis, quę in ipsa exceptione habentur statim videbimus motiuum prędictum magis vrgere in prębyteris Regularibus, quam in sęcularibus, in illis enim duo reperiũtur tituli, quorum singuli fundant decentiam abstinentię ab his cibis: nempè Sacerdotium, et status Regularis qui simul coniuncti tantum abest, vt remouerant voluntatem Pontificis ab hac exceptione, vt potius illam alliciant ad has personas excludẽdas verisimile enim nõ videtur, quod Sacerdotium seorsim sumptum cẽseatur sufficiens ad exclusionem, & si annectatur vitæ Regulari minus moueat, immò moueat ad oppositum, scilicet ad relaxandam virtutem abstinentiæ. Quo supposito.

14 Probatur hæc sententia ratione valde efficaci ab ipso Patre Francisco Bardi dicto num. 36. Summus Pontifex prohibet Præsbyteris secularibus in ipsa Bulla Cruciatæ vesci carnibus, ouis, & lacticinijs diebus quadragesimalibus, ergo potiori iure excludi videntur Præsbyteri Religiosi, quibus ratione status strictior, & asperior vita conuenit, antecedens est euidens, vt constat ex illis verbis Bullæ, sub hac tamen gratia, & concessione vltimo dicta (puta priuilegium vescendi, carnibus, ouis, & lacticinijs sumentibus Cruciatæ Bullam) eò quod Ecclesiastici sæcularibus abstinentiores esse debeant, minimè comprehendi volumus Patriarchas, Primates Archiepiscopos, Episcopos, neque alios inferiores Prælatos, neque quaslibet personas regulares ac ex sæcularibus eas, quæ Præsbiteratus ordine constitutæ sint, quoad quadragesimalia ieiunia.

iunia. Conſequentia verò probatur manifeſtè ex quodam principio iuris, quod adducit Euerardus in ſuis locis topicis, videlicet ſi id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt, & id de quo magis, hoc eſt ſi id, quod videtur alicui minus conuenire, illi ineſt, multo magis idem ineſſe debet alteri, cui plus conuenit, ex quo principio, & regula Summus Pōtifex Lutius in cap. cum in cunctis 7. lib. 1. decretalium tit. 6. de electione monet, quod in ſacris ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſterijs inquirenda ſit maturitas ætatis, grauitas morum, litterarū ſcientia, quæ tria multo fortius in Epiſcopo inueniri debeant, cum ſit poſitus ad aliorum regimen, cuius verba hæc ſunt, cum in cunctis Sacris ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſterijs ſint ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum ſcientia inquirenda, multofortius in Epiſcopo hæc opportet inquiri, qui ad curam aliorum poſitus in ſeipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conuerſari. vbi Gloſſa verbo multo fortius, inquit, quia viliſſimus computandus eſt, qui præcellit dignitate, niſi præcellat alios, ſcientia, & Sanctitate, 1. quæſt. 5. viliſſimus, & 1. quæſt. 7. conuenientibus, & in auth. de Sāctitate Epiſcopi §. damus coll. 9. item argumentum eſt à minori, & ſumitur ſecundum hanc regulam, ſi id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt, & id, de quo magis 38. diſt. ſi in laicis, & 3. quæſt. 3. de iudicijs, & 59. diſt. 51. officia, &c. Atqui maior obligatio eſt in Sacerdotibus Rebularibus ſeruandi abſtinentiam in ieiunijs quadrageſimalibus, quā in Preſbyteris Sæcularibus: ergo ſi Sūmus Pontifex ex motiuo virtutis abſtinentię prohibet in Cruciatæ Bulla Sacerdotibus ſæcularibus facultatē veſcēdi carnibus, ouis, & lactacinijs in diebus quadrageſimalibus, potiori iure videtur hoc prohibere Sacerdotibus Regularibus, qui, & ratione ſui ſtatus Religioſi regularis, ratione ordinis ſacerdotalis abſtinētiores eſſe debēt Sacerdotibus ſæcularibus.

15 Confirmatur hoc ex quibuſdam verbis Bullæ, quæ lacticiniorum appellatur, in qua Summus Pontifex facultatem concedit veſcendi ouis, & lacticinijs in ieiunijs quadrageſimalibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Prælatis inferioribus per hæc verba. Venerabilibus Patribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs inferioribus Prælatis, nec non Præsbyteris ſęcularibus dumtaxat, vt quadrageſimali tēpore (hebdomada tamen maiori excepta) ouis, ſimiliter, et lacticinijs pro eorum libito vti, et veſci Apoſtolica authoritate tenore præſentium indulgemus. Vbi notanda ſunt illa verba, nec non Preſbyteris ſæcularibus dūtaxat, quibus manifeſte videntur excluſi per illam particulam, dumtaxat, omnes Sacerdotes Regulares à facultate veſcēdi ouis, et lactacinijs in ieiunijs quadrageſimalibus; atqui Preſbiteri ordinum regularium militarium ſunt vere Sacerdotes Regulares, ſicut Sacerdotes aliarum Religionum non militarium, ergo comprehenduntur in prohibitione Bullę Cruciatę, qua prohibetur Sacerdotibus, tam ſęcularibus; quam Regularibus facultas veſcendi ouis, et lacticinijs in ieiunijs quadrageſimalibus virtute priuilegij dictę Bullę Cruciatę, et cum in priuilegio Bullę lacticiniorum non comprehen-

dantur Sacerdotes Regulares, ſed ſeculares dumtaxat, vt ex verbis ſupra relatis conſtat, manifeſtum eſt, quod ſummus Pontifex abſolute excludit omnes Sacerdotes Regulares, etiam ordinum militarium à facultate veſcendi ouis, et lactacinijs in ieiunijs quadrageſimalibus virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ.

16 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur negando prędicta verba in argumento allegata debere intelligi de Sacerdotibus dictarum Religionum militariũ, tum quia ſic explicat illa verba Commiſſarius Generalis Sãctę Cruciatę, qui ad hoc authoritatem habet à ſummo Pontifice in Bulla vulgari per hęc verba, y los Caualleros de las ordines militares, & in hoc ſenſu communiter recipiuntur dicta verba à Doctoribus, vt ſupra diximus, tum etiam quia ita huius priuilegij natura exigit, cum enim lædat, & vulneret ius commune, quatenus rigorẽ debitę abſtinentię relaxat, ideoque, ſtricte accipiendum erit, ac proinde cum ſummus Pontifex in hoc ipſo diplomate declarans perſonas, quas comprehendere voluit ſub indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs, & inter alias nominet Regulares cuiuſuis militię, debent verba exponi de his Regularibus, vt ſic, non autem de illis; qui alia qualitate afficiuntur, ne priuilegium amplietur, cum potius ſit reſtringendum.

17 Ad ſecundum fundamentum Patris Antonini Dianę ſatis patet exſolutione prędcedentis fundamenti, nam in verbis Bullæ Cruciatę ab ipſo relatis ſcilicet, et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, et lacticinijs comprehenduntur omnes cuiuſuis militię Regulares, Patriarchis vero, Archiepiſcopus, & Epiſcopis alijſque inferioribus Prelatis, nec non alijs perſonis Regularibus, & qui in ordine Præsbyteratus fuerint ſæcularibus id minimè conceditur, niſi ſexagenarij ſint, duæ habentur partes, in Prima enim nominantur perſonę Eccleſiaſticæ, quæ comprehendũtur ſub indulto. in Secũda, verò, quæ excluduntur, in Prima ordinum militarium Regulares cõprehendi dicuntur, quod vt ſupra diximus intelligi debet non de Regularibus, quæ ſunt Sacerdotes, quia vt num. præcedenti diximus, hoc colligitur ex ipſa natura priuilegij, quia cum lædat, & vulneret ius commune, quatenus rigorem debitę abſtinentię relaxat, ideo ſtrictę explicandum erit, vt docet Rodriquez in Bullam Cruciatæ §. 9. n. 38. et 39. et in quæſtionibus regularibus tom. 1. quæſt. 11. art. 9. Trullench in expoſit. Bullæ Cruciatæ dub. 4. præmial. num. 3. quia diſpenſatio exorbitans à iure, vel vti odioſa reſtringi debet. Quare cum Pontifex in hoc ipſo diplomate declarans perſonas, quas comprehendere voluit ſub indulto veſcendi carnibus, ouis, et lacticinijs, et inter alias nominet Regulares cuiuſuis militiæ, debent verba exponi de his Regularibus, vt ſic, nõ autem de illis, qui alia qualitate afficiuntur ne priuilegium amplietur, cum potius ſit abſtringendum vt num. præcedenti diximus, reſpondendo ad primum fundamentum oppoſitæ ſententię.

18 Nec valet, ſi dicas cum Patre Andrea Mendo, et Diana, priuilegium hoc non eſſe odioſum, et ideo noſtram reſponſionem corruere, ideoque milites Regulares quamuis ſint Sacerdotes com-

comprẽhẽdi debẽt in priuilegio veſcẽdi ouis, et lacticinijs diebus quadrageſimalibus, quod aperte colligi videtur ex verbis ipſius Bullæ, in qua excluſis Prælatis Superioribus, & inferioribus, & excluſis etiam perſonis Regularibus prẽter Regulares cuiuſuis militiæ, quos immediatè ante dixerat comprehendi ſub hoc indulto, excludit ſolum Præsbyteros Sæculares per illa verba ſuperius relata, & qui in ordine Præsbyteratus fuerint ſæcularibus, id minime conceditur: ergo Religioſi militares, etiam Sacerdotes poſſunt vti priuilegio comedendi oua, & lacticinia tẽpore quadrageſimali. Probatur conſequentia, quia cum vſus priuilegij huiuſmodi concedatur omnibus Religioſis militaribus denegatur alijs perſonis regularibus, cum vox, alijs importet contrapoſitionem ad aliquos regulares, quibus non denegatur priuilegium hoc, aliàs dicẽdum fuiſſet omnibus perſonis regularibus.

19 Hoc inquam non valet, nam negandum eſt dictum priuilegiũ non eſſe odioſum; vt ſupra probauimus: ideoque noſtram reſponſionem non corruere, ſed habere ſuam firmitatem, neque ex verbis ipſius Bullæ contrarium colligitur, vt intendunt Diana, & Mendo, quia vt bene notat eruditus Pater Franciſcus Bardi vbi ſupra in vindicatione contra Patrem Andream Mendo num. 41. dictio illa, ſeu qualitas Præsbiteratus, quæ in ſupradicta clauſula reſtrictiue ponitur bifariam explicari poteſt. Primo vt reſtringat ſubiectum cui ipſa ineſt. Secũdo vt non reſtringat abſolute ſubiectum, ſed ſtatum aliquem, in quo reperitur ſubiectum cui ipſa ineſt. Priori modo eam intellexit Pater Andreas Mendo, quatenus vult vt qualitas iſta Sacerdotis, in quantum eſt titulus excluſionis ab hoc indulto reſtringat ad ſæculares tãtum. Sed poſteriori modo. Ego illam intelligo cum Patre Franciſco Bardi, quatenus ſcilicet reſtringit ſtatum Eccleſiaſticum, ne excluſio ab hoc indulto extendatur ad omnes alios Sacerdotes inferiores, nempe ad Clericos minorum ordinũ, ad Subdiaconos, & Diaconos, dixi abſolute non reſtringat ſubiectum, quia ſexagenarij excipiũtur etiã ſi ſint Sacerdotes. Et quod in hoc ſecundo ſenſu ſint interpretanda verba huius diſpoſitionis oſtenditur, quia ex vna parte ſi ita explicẽtur, nulla habetur im. proprietas verborũ aut diſtorta eorũdẽ verborũcõſtructio, ex alia vero efficaces habẽtur rationes ad hũc ſenſum admittendũ: ergo in hoc ſenſu verba ſunt interpretranda. Secunda pars antecedentis manifeſte conſtat ex rationibus allatis ſupra pro noſtra ſententia. Prima vero pars antecedentis probatur, quia verba iuxta hunc ſecundum ſenſum intellecta, ita debent conſtrui (& ſęcularibus, qui in ordine præsbiteratus fuerint id minime conceditur) dictio enim illa, Et, eſt continuatiua, & copulatiua perſonarum, quæ excludũtur vt de ſe manifeſtum eſt, & dictio illa Præsbyteratus reſtringit vltimum hoc genus perſonarum, nempe ſæcularium, vt intelligantur excluſæ ſolum ſi Sacerdotio, & non alio inferiori Ordine ſint inſignitæ.

Ad 3. Fundamentum Patris 20 Andreæ Mendo preterquam quod patet ex ſuperius dictis, reſpondetur concedendo maiorem in ſenſu ſuperius explicato,

&

& nego minorem, ad cuius probationem reſpondeo negando ſuppoſitum, ſupponit enim dictus Pater Andreas Mendo conceſſum fuiſſe à Summo Pontifice Religioſis militaribus, etiam Sacerdotibus hoc priuilegium veſcendi ouis, & lacticinijs tempore quadrageſimali, de quo inpræſens eſt tota quæſtio, ideòque non eſt ſupponendum, ſed probandum, nec ſufficiẽtur probatur verbis allatis ab ipſo Patre Andrea Mendo ex Bulla Cruciatæ, ſcilicet, & ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs compræhenduntur omnes cuiuſuis militiæ Regulares vt ſupra explicauimus, & probauimus.

RESOLVTIO III.

Vtrum tempore quadrageſimæ ſaltem Dominicis diebus poſſint Religioſi Regulares, etiã ſi ſint Sacerdotes veſci ouis, & lacticinijs virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ.

21 IN hac difficultate prima ſententia negat poſſe Prælatos Regulares, Sacerdotes, & reliquas perſonas excluſas in Bulla Cruciatæ à priuilegio comedendi oua, & lacticinia tempore quadrageſimali poſſe diebus Dominicis quadrageſimæ veſci ouis, & lacticinijs virtute priuilegij dictæ Bullæ Cruciatæ. ita Henriquez lib. 7. cap. 13. Rodriquez in Bullam Cruciatæ §. 6. num. 8. Vega tom. 1. ſumm. cap. 14. vbi pro hac ſententia citat Angles, & Lopez. Oriz in ſumma cap. 19. num. 8.

22 Fundamentum huius ſententiæ eſt quia in Bulla vulgari tam hyſpana, quam Italica Commiſſarius Generalis Bullæ Cruciatæ declarat nomine Summi Pontificis excluſos eſſe a priuilegio comedendi oua, & lacticinia toto tempore quadrageſimę Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque inferiores Prælatos, & quaslibet perſonas Regulares, ac ex Sæcularibus eas, quæ in præsbyteratus ordine ſint conſtitutæ; atqui Dies Dominicæ inter dies quadrageſimales numerantur, ergo in dictis diebus Dominicis non poſſunt ſupradicti Prælati, tam ſuperiores quam inferiores, neque perſonę Regulares Religioſæ vtriuſque ſexus; neque ex Secularibus ſacerdotes gaudere Bullę priuilegio veſcendi ouis, & lacticinijs, probatur minor ex cap. quadrageſima 16. diſt. 5. de cõſecratione, ibi: Quadrageſima sũma obſeruatione eſt obſeruanda, vt ieiunium in ea (prę ter Dies Dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt) niſi quem infirmitas impedierit nullatenus ſoluatur, quia ipſi dies Dominicę ſunt anni, ergo dies Dominici ſunt dies quadrageſimę, & conſequẽter non poterunt in illis ſupradicti Prælati, & Religioſi regulares, ac Sacerdotes ſęculares oua, & lacticinia in dictis diebus Dominicis comedere, vtpote excluſi ab hoc priuilegio pro toto tempore quadrageſimę.

23 Secunda, & probabilior ſententia affirmat poſſe omnes Prelatos, tam ſuperiores, quam inferiores omnesque Religioſos, & Religioſas ordinum regulariũ ac omnes Sacerdotes Ssęculares vigore dicti priuilegij Bullę Cruciatę edere oua, & lacticinia diebus Dominicis quadrageſimę. ita Villalobos tom. 1. ſummę tr. 27. de Bulla Cruciatę clauſula 6. n. 11. Antonius Gomez de Bulla clauſula 6. §. 7. dub. 8. Ferrãdez in exa-

examine Theologiæ moralis pa. 3. cap. 9. §. 5. num. 5. Llamas in ſumma par. 3. cap. 5. §. 26. Corduba in ſumma quæſt. 8. Palatios in 4. diſt. 15. diſp. 8. Cabezudo tom. de pœnitentia in expoſitione Bullæ Cruciatæ §. 8. dub. 5. Caſtropalaus part. 4. tract. 25. de Bulla Cruciatæ diſp. vnica punto 8. §. 2. num. 8. & 9. Pater Frãciſcus Bardi in expoſitione Bullæ Cruciatę part. 2. tract. 3. cap. 2. ſect. 7. concl. 3. num. 110. Aegidius Trullench in expoſitione Bullę Cruciatę lib. 1. §. 4. dub. 7. num. 2. Pater Antonius de Scobar, & Mendoza in Theologia morali tom. 1. lib. 7. ſect. 2. cap. 31. problema 27. nu. 505. Gallego de Bulla Cruciatę ca. 6. clauſula 6. duda 49. Ludouicus à Cruce de expoſit. Bullę Cruciatę diſp. 1. cap. 5. dub. 18. num. 5. D. Carolus Latius in expoſit. Bullę Cruciatę diſp. 3. queſt. 3. diffic. 8. num. 32. Doctor D. Marcus Serſo in Bull. Cruciat. diſp. 1. difficult. 7. §. 5. queſtio 13.

24 Probatur 1. hęc ſententia à nonnullis ex ſupra citatis Doctoribus; quia Prelatis: tam ſuperioribus; quam inferioribus, & Religioſis Regularibus vtriuſque ſexus profeſſis; ac Sacerdotibus ſęcularibus ſolùm prohibitur veſci ouis, ac lacticinijs diebus quadrageſimalibus: atqui per dies quadrageſimales non intelliguntur Dominicę dies: ergo optimè poſſunt edere oua, & lacticinia in prędictis diebus Dominicis virtute priuilegij Bullę Cruciatę: maior eſt certa, & minor probatur: nam eſto antiquitus quadrageſima dies dominicos comprehenderet Teſte ſpeculatore in rationali diuinorum officiorum lib. 6. cap. de dominica 1. Quadrageſimę tamen Summus Pontifex Gregorius in cap. Quadrageſima dies dominicos à quadrageſima ſubtraxit, & loco illorum addidit quatuor dies Dominicę quinquageſimę, et duos ex hebdomada ſancta: ergo dies Dominicę non ſunt dies quadrageſimales, et conſequenter poterũt perſonę excluſę in Bulla Cruciatę a priuilegio comedendi oua, et lacticinia diebus quadrageſimalibus, illa edere Dominicis quadrageſimę vtpotè dies, quę non enumerãtur inter dies quadrageſimales.

25 Sed hęc probatio mihi non placet; quia ſupponit falſum, dies Dominicę non enumerari inter dies quadrageſimales: non ſolũ antiquitus: ſed etiam hodie: ergo ex hoc capite non probatur ſufficienter perſonas eccleſiaſticas excluſas in Bulla Cruciatę à priuilegio comedendi oua, et lacticinia diebus quadrageſimalibus poſſe illis veſci Dominicis diebus quadrageſimę virtute dicti priuilegij Bullę Cruciatę. Conſequentia eſt formalis: et antecedens probatur ex cap. quadrageſima 16. 3. part. decreti de conſecratione diſtinct. 5. vbi ſic habetur quadrageſima ſumma obſeruatione eſt obſeruanda, vt in ea (prętер dies dominicos, qui de abſtinẽtia ſubtracti ſunt) niſi quem infirmitas impedijerit nullatenus ſoluatur: quia ipſi dies decimæ ſunt anni, à prima igitur Dominica Quadrageſimæ vſque in Paſcha Domini ſex hebdomadę computantur. Quarum videlicet dies quadraginta, et duo fiunt, ex quibus dum ſex Dominicę dies abſtinentiæ ſubtrahuntur non plus in abſtinentia: quam triginta, et ſex dies remanent. v. g. ſi per dies 365. dies annus voluitur, et nos per 36. dies affligimur, quaſi anni decimas Deo damus, ſed vt facer

nume-

numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem ſaluator noſter ſuo ſacro ieiunio cõſecrauit quatuor dies prioris hebdõmadę ad ſupplemẽtum quadraginta dierum tolluntur; ideſt quarta feria quę caput ieiunij ſubnotantur, et quinta feria ſequens, et ſeſta, et ſabbatũ, niſi enim iſtos dies quatuor ſuperioribus triginta ſex adiunxerimus quadraginta dies in abſtinentia nõ habemus. Iubemur etiam ab Omnipotenti Deo omnium bonorũ noſtrorum decimas dare etc. Ex quo capite manifeſtè apparet dies dominicos enumerari debere inter dies quadrageſimales. Aliud enim eſt, quod dies dominicę nõ ſint dies abſtinẽtiæ: ſeu ieiunij, et quod inter dies abſtinẽtiæ non enumerentur: aliud vero quod non ſint dies quadrageſimales. Primum enim affirmatur in dicto cap. quadrageſima, et loco illarum dierum aſſignãtur alij quatuor dies ieiunij; ſeu abſtinentiæ hebdommadæ antecedentis: videlicet feria quarta, quinta ſequens, ſeſta, & ſabbatum, vt quadraginta dierum abſtinentiæ adimpleantur; ſecundum autem: nempe, quod dies Dominicę non enumerentur inter dies quadrageſimales; minimè indicto cap. quadrageſima dicitur; immò Pater Thomas Sãchez lib. 5. conſiliorum cap. 1. dub. 19. ex eodem tex. et c. probat oua, et lacticinia in diebus quadrageſimæ fideles comedere non poſſe, qui in cap. denique par. 1. decreti diſtinct. 4. his diebus prohibentur, et dies dominicos affirmat eſſe dies quadrageſimę, et ad hoc probandum affert textum ex ſupradicto capite quadrageſima: vbi præcipitur ieiunium (vt vidimus) in in omnibus diebus quadrageſimæ præter dies dominicos, ex quo capite, et textu infert Sanchez hanc conſequentiam: ergo dies Dominici ſunt dies quadrageſimę: alias eſſet innepta exceptio. Vndè manifeſte conſtat falſam eſſe minorem argumenti præcedentis, et conſequenter infirmam eſſe illam rationem ad probandum perſonas Eccleſiaſticas excluſas in Bulla Cruciatę à priuilegio edendi oua, et lacticinia tempore quadrageſimali poſſe vti dicto priuilegio veſcẽdi ouis, lacticinijs in diebus dominicis Quadrageſimę virtute Bullę Cruciatæ non obſtante ſupradicta excluſione dictarum perſonarum eccleſiaſticarum.

26 Nec valet: ſi dicas idem eſſe dies ieiunij quadrageſimę: ac dies quadrageſimæ: atqui dies dominici non ſunt dies ieiunij vt conſtat ex dicto cap. quadrageſima: ergo nec ſunt quadrageſimæ dies: probatur cõſequentia a Patre Antonio de Scobar, et Mendoza loco ſuperius citato: quia quadrageſima incipit à Dominica 1. poſt dies Cinerum, et in die cęnæ Domini terminatur: quia in eo die Dominus Paſcha celebrauit: vt verò compleretur quadraginta dierum numerus, ex quibus cõſtat quadrageſimale ieiunium, ſtatuit Eccleſia illos dies quatuor ante Dominicã primam quadrageſimæ, et alios duos veneris, et ſabbati poſt cęnã Domini eſſe dies ieiunij quadrageſimalis loco ſex dierum Dominicarum quadrageſimę: ergo dies dominici dies quadrageſimales non ſunt.

27 Hoc inquã non valet: nã gratis aſſeritur idem eſſe dies ieiunij quadrageſimę, ac dies quadrageſimę, et ita maior dictæ replicę eſt falſa: nec datur fundamẽtum ſufficiens, ex quo probari poſ-

poſſit, immo datur ſufficientiſſimum fundamemtum ad affirmandum contrarium in cap. quadrageſima ſupra relatum, vt diximus ſupra num. 25. & ideo non accipiendi ſunt pro eodem dies ieiunij quadrageſimę, ac dies quadrageſimę, vt dicto num. 25. probauimus, & ſic dies Dominicæ cum omni proprietate ſunt dies quadrageſimæ licet nõ ſint dies ieiunij quadrageſimæ, & contrarium ſupponere, eſt aperte petitio principij cum ſupponatur vt certũ, quod debebatur probare cum in illo tota reſideat controuerſia, an ſcilicet dies Dominicæ non obſtãte quod non ſint dies ieiunij ſint dies quadrageſimæ, ſeu quadrageſimales, & tu reſpondes non eſſe dies quadrageſimæ, & probas quia non ſunt dies ieiunij quadrageſimæ, ergo ſupponis, vt certum, quod debebas probare, & conſequenter committis vitium, quod dialectici petitionẽ principij appellare conſueuerunt, nempe quia concluſio, quę eſt probanda ad dictam remoſtendẽdã aſſumitur ad probandum: cõcluſio autẽ in præſẽti, de qua habetur controuerſia eſt, an dies quadrageſimales idẽ importent, quod ieiunia quadrageſimalia, affirmat Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza, Ego vero cum ſaniori Parte Doctorũ id non admitto: quia ſentio cum dictis Doctoribus dies Dominicos eſſe quadrageſimales, & nomine diei quadrageſimalis non venire ieiunia tantum quadrageſimalia, ad probandum autẽ dictus Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza ſuam propoſitionem: ſcilicet dies Dominicos dies quadrageſimales non eſſe illud ipſium aſſumit, quod alio medio debuerat probare, ſed probat dicens pro eodem ſumi in Bulla Cruciatæ dies quadrageſimales, ſeu quadrageſimæ ac dies quadrageſimæ, ergo ſupponit, quod debebat probare, & cõſequenter committit vitium petitionis principij. Nos autem, qui contrarium aſſerimus, ſcilicet dies Dominicos propriſſimè eſſe dies quadrageſimales, aliunde dictam propoſitionem negatiuam probamus, tum, quia ſi in diebus quadrageſimæ nõ cõpræhenderentur dies Dominici, & conſequenter prohibitio veſcendi ouis, & lacticinijs, quę pro diebus quadrageſimæ facta eſt, non compræhenderet Dominicas, ſequeretur poſſe ſæculares abſque Bulla Cruciatæ edere oua, & lacticinia in diebus Dominicis quadrageſimæ, atqui hoc eſt falſum vt §. ſequenti probabimus, ergo dies Dominici ſunt dies proprijſſime quadrageſimæ, tum etiam quia ſi dies Dominici non eſſent vere dies quadrageſimæ, poſſent ſęculares abſque Cruciatę Bulla non ſolum oua, & lacticinia comedere, ſed etiam carnibus veſci in dictis diebus, atqui hoc eſt contra communem omnium Catholicorum conſenſum: ergo Dies Dominicę ſunt proprie dies quadrageſimæ, ſequela probatur, quia in eiſdem ſacris iuribus, in quibus prohibetur eſus carnium tempore quadrageſimæ: eadem forma habetur, & ſic in Concilio Toletano 8. admonitu 9. bis repetito circa medium, ſic dicitur quiſquis abſque ineuitabili neceſſitate, atque fragilitate, & euidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis diebus quadrageſimæ eſũ carniũ præſumpſerit attentare, non ſolum reus erit reſurectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiuſdẽ diei

ſancta communione, ergo ſi dies Dominici non ſunt dies quadrageſimæ propriè, & in rigore poterit ſæcularis abſque priuilegio Bullę Cruciatę in illis, carnibus veſci, & ſi hoc non poteſt, ergo nec poteſt dici, quod non ſunt dies quadrageſimales.

28 Melius autem hęc ſententia ab illis Doctoribus probatur, quia Bulla latina excludens prędictas perſonas Eccleſiaſticas à priuilegio edendi oua, & lacticinia tantum excludit eas à dicto priuilegio, quoad quadrageſimalia ieiunia: atqui dies Dominici quamuis ſint dies quadrageſimę non ſunt dies ieiunij quadrageſimę, ergo excluſio non cadit ſupra dies Dominicos, & conſequenter poterunt prædictis Prelati Eccleſiaſtici tam ſuperiores, quam inferiores, & omnes Religioſi Regulares profeſſi vtriuſq; ſexus, ac Sacerdotes ſeculares edere oua, & lacticinia in dictis diebus Dominicis quadrageſimę: conſequentia manifeſte ſequitur ex premiſſis: maior autem manifeſtè habetur in Bulla latina per hęc verba, ſub hac tamen gratia, & conceſſione vltimo dicta (loquitur Bulla hic de priuilegio conceſſo edendi oua, & lacticinia ſumētibus Cruciatam Bullam diebus iure prohibitis) eo quod Eccleſiaſtici ſęcularibus abſtinentiores eſſe debeant, minime comprehendi volumus Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, neque quaslibet perſonas regulares, ac ex ſæcularibus eas, quę in Presbyteratus ordine conſtitutę ſint quoad quadrageſimalia ieiunia, minor vero conſtat ex cap. quadrageſima ſupra relato per illa verba quadrageſima ſumma obſeruatione eſt obſeruanda, vt ieiunia in ea (preter dies Dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt) niſi quem infirmitas impedierit ſoluatur, quia ipſi dies decimæ ſunt anni.

29 Nec valet ſi dicas, quod Commiſſarius Generalis Bullæ Cruciatę, qui authoritatem haberet interpretandi mentem Pontificis vertendo Bullam è latino in vulgarem ſermonem loco ieiuniorum quadrageſimalium aſſignat dies quadrageſimę, ergo ſi dies Dominici ſunt vere dies quadrageſimæ, vt nos aſſerimus non poterunt, prędictę perſonę excluſę in dicta Bulla, à priuilegio veſcendi ouis, & lacticinijs vti dicto priuilegio Bullæ dictis diebus Dominicis quadrageſimę. Hoc inquam non valet, tum quia nobis non conſtat iuridicè illa Commiſſarij Generalis Sanctę Cruciatę ex Papę conſultatione declaratio, imò contrarium ex Bulla latina conſtat, cui ſtandum eſt dum aliud iuridicè promulgatum non fuerit, tum etiā, quia licet Commiſſarius Generalis Sanctę Cruciatæ habeat poteſtatem vertendi Bullam, non tamen habet facultatem variandi verborum ſubſtantiam, ergo cum Bulla latina tantum excludat à priuilegio edendi oua, & lacticinia ſupradictas perſonas Eccleſiaſticas ſolum diebus ieiunij quadrageſimalis videtur illis cōcedere dictā facultatem veſcēdi ouis, & lacticinijs in illis diebus, qui non comprehenduntur, nec enumerantur inter dies ieiunij quadrageſimalis, ergo cū dies Dominici nō enumerentur inter dies ieiunij quadrageſimalis poterunt in illis licitè vti priuilegio dictæ Bullæ edendi oua, & lacticinia.

30 Ad Fundamentum oppoſitæ ſententiæ, ſatis patet reſponſio ex dictis, quare concedo vulgare

rem Bullam editam authoritate Commiſſarij Generalis excludere prædictas perſonas Eccleſiaſticas à priuilegio veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs toto tempore quadrageſimali, cæterum comparatiuè loquendo potius eſt adhærendum Bullæ latinæ, quam vulgari; quia Bulla vulgaris, ſiue hyſpana, ſiue italica regulanda eſt cum latina, & ita conceſſa minori neganda eſt conſequentia, quia licet dies Dominici ſint proprie dies quadrageſimales, non tamen ſunt dies ieiunij quadrageſimę, & cum dicta excluſio vtẽdi prædicto priuilegio edendi oua, & lacticinia à ſupradictis perſonis Eccleſiaſticis ſolum loquatur in Bulla latina, cui ſtandum eſt pro diebus ieiunij quadrageſimæ videtur manifeſtè dies Dominicos non eſſe incluſos in dicta prohibitione, vtpotè, qui non ſunt dies ieiunij quadrageſimæ, quamuis ſint propriè dies quadrageſimæ, ideoque nulla apparet ratio, cur denegemus prædictis perſonis Eccleſiaſticis facultatem veſcẽdi ouis, & lacticinijs in diebus Dominicis quadrageſimę virtute priuilegij dictæ Bullæ Cruciatæ.

RESOLVTIO IV.

Vtrum Laici poſſint edere oua, & lacticinia diebus Dominicis quadrageſimę abſque Cruciata Bulla?

AFfirmatiuè reſpõdent Gomez in Bullam Cruciatæ clauſula 7. num. 7 Llamas 3. par. Methodi cap 5. §. 26. in fine Corduba in ſumma quæſt. 168. quos citat, & ſequitur Zacharias Paſqualigius in praxi Eccleſiaſtici ieiunij, & naturalis deciſ. 72. Pater Andreas Mendo in elucidatione in Bullam Cruciatę diſp. 18. numer. 29. & probabilem eam appellat Pater Antonius de Scobar, & Mendoza in Theolog. moral. lib. 7. cap. 20. ſect. 2. problema 16. nu. 502.

31 Probatur 1. hæc ſententia à Zacharia Paſqualigio: nam per cap. quadrageſima de conſecrat. diſp. 5. dies Dominici intra quadrageſimam non ſunt dies abſtinentię, de quibus dicitur ibi qui de abſtinentia ſubtracti ſunt, ergo abſtinentia, quæ præcipitur pro quadrageſima, non cadit ſuper dies Dominicos, alioquin ipſi non ſubtraherentur abſtinentiæ. Quod confirmat nam in fine textus habet niſi enim iſtos dies quatuor (nèmpe quatuor dies ante primam Dominicam quadrageſimæ) ſuperioribus triginta ſex adiunxerimus (nempe qui inclnduntur in ſex ſubſequentibus hebdomadibus exceptis diebus Dominicis) quadraginta dies in abſtinentia non habemus. Igitur ſi addendi ſunt 4. illi dies vt habeatur intiger numerus quadragenarius di erum abſtinentiæ iam Dominici dies abſtinentiæ, & quadrageſimæ non ponuntur.

32 Secundo probat ex cap. denique par. 1. decreti diſtin. 4. ibi §. 2. habetur de ipſa vero die Dominica hęſitamus: quidnam dicendum ſit, &c. Cum enim (inquit Paſqualigius) ex hoc textu ſolum eliciatur præceptum de abſtinentia ab ouis, & lacticinijs in quadrageſima: nec aliunde deſumi poſſit, non eſt magis extendendum, quam ibi extendatur. Ibi autẽ ita ponitur abſtinẽtia ab ouis, & lacticinijs, vt manifeſte excludantur dies Dominici à tali abſtinentia, quæſierat enim Epiſcopus Anglorum a Sũ-

mo Pontifice Gregorio, an quadrageſimalis abſtinẽtia eſſet ſeruanda in Dominicis quadrageſimæ, & Põtifex reſpondet negatiue etiam quoad carnes inquiens, de ipſa vero die Dominica hæſitamus, quid nam dicendum ſit cum omnes, & laici, & ſæculares illa die plus ſolito cæteris diebus accuratius cibos carniũ appetant, & niſi noua quadam auiditate vſque ad medias noctes ſe ingurgitent, non aliter ſe huius ſacri temporis obſeruationem ſuſcipere putant, quod vtique non rationi, ſed voluptati (nempe ſe ingurgitare vſque ad medias noctes, & putare ſe hoc pacto celebrare diem Dominicum) imo cuidam mentis cæcitati adſcribendum eſt: vnde nec à tali conſuetudine auerti poſſunt: & ideò cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt: ne fortè peiores exiſtant, ſi in tali conſuetudine prohibeãtur, vt enim ait Salamon, qui multum emungit elicit ſanguinem: eccè ergo quomodò non prohibentur oua & lacticinia in Dominicis quadrageſimæ: cum ibi nec etiam carnes prohibeantur: ergo cum poſtea nullum ſubſequutum ſit aliud præceptum, quo prohibeantur oua, & lacticinia in Dominicis, non eſt dicendum, quod prohibeantur, cum non appareat huiuſmodi probatio.

33 Secũda, & vera ſententia negat poſſe laicos abſque Bulla Cruciatæ diebus Dominicis quadrageſimæ comedere oua, & lacticinia ita Villalobos par. 1. ſummæ tract. 23. difficult. 8. num. 1. Henriquez lib. 7. cap. 13. nu. 10. Vega prima parte ſummæ ca. 14. caſu 26. Palatius in 4. diſt. 15. diſp. 8. verſu his exploratis Ludouicus Lopez in directorio conſcientiæ part. 2. cap. 112. de ieiunio Thomas Sanchex in decalogum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. n. 53. & lib. 5. conſiliorum moralium cap. 1. dub. 19. num. 3. Ioannes Sãchez in ſelectis diſp. 11. num. 25. Diana part. 3. tract. 6. reſol. 80. §. notandum 3. & part. 9. tract. 8. reſolut. 66. §. confirmatur proprè medium & par. 10 tract. 11. §. ego alibi Lezana to. 3. ſummæ Regularium verbo ieiunium num. 3. Trullench in decalog. lib. 3. diſp. 2. lib. 2. num. 3. licet in fine dicat contrariam ſententiam nõ eſſe improbabilẽ Pater Franciſcus Bardi in expoſitione Bullæ Cruciatæ part. 2. tract. 3. cap. 2. ſect. 6. nu. 77. & in vindicatione Patris Andreæ Mendo nu. 89. et 90. Pater Antonius Scobar, et Mendoza in Theolog. moral. tom. 1. lib. 7. ſect. 2. cap. 31. problema 16. nu. 501. quamuis num. 502. contrariam ſententiam ſatis probabilẽ appellet, et alij.

34 Probatur noſtra ſententia ex cap. denique prima parte decreti diſtinct. 4. vbi habentur hęc verba, par autem eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus: ab omnibus quoque, quę ſententiam carnis trahunt originem ieiunemus; à lacte videlicet caſeo, et ouis, etc. in quibus verbis aduerte, quod non dicit textus in diebus, in quibus ieiunamus: ſed in quibus abſtineamus à carnibus: atqui à carnibus abſtinemus nõ ſolũ in diebus ieiunium quadrageſimæ: ſed etiã Dominicis quadrageſimæ: ergo nõ poſsũt laici abſque priuilegio Bullæ Cruciatæ ouis, et lacticinijs veſci abſque mortali peccato.

35 Ab hac tamen communi regula excipiendi ſunt agricolæ, et alij pauperes, qui ratione paupertatis edere poſſunt lacticinia

die-

diebus prohibitis, ſi non poſsũt commode habere aliud, quod comendant, & oua, & lacticinia habeant domi: vel poſſunt hæc facile inuenire nõ autem piſces. Excipiuntur etiam pauperes oſtiatim mendicantes: qui non habẽt aliàs vndè ſuſtẽtentur, niſi ex fragmentis ouorum, & lacticiniorum, quæ hic: vel ibi illis dantur, qui poſſunt licitè ea comedere: licèt careãt Bulla Cruciata, & vt tenent Rodriquez tom. 1. ſummæ cap. 23. nu. 11. in fine. Henriquez lib. 7. de indulgent. cap. 13. nu. 9. & multi viri docti, inter quos Pater Rodriquez vbi ſupra citat Magiſtrum Patrem Ioãnem de la Peña: excipiuntur denique interagentes: licet diuites ſint, qui poſſunt ſine Bulla Cruciatę edere oua, & lacticinia: quando piſces in itinere, quos emant, non inueniunt. Vnde omnes hi, vt docet Thomas Sanchez tom. 2. conſiliorum moralium lib. 5. c. 1. dub. 18. num. 6. admonendi ſunt à Confeſſario, ne peccent ex conſcientia erronea.

36 Aduerte: tamen multo maiorem neceſsitatem requiri, vt fas ſit in diebus prohibitis veſci carnibus: vnde ſi nullus alius cibus eſſet niſi panis non liceret carnibus veſci: niſi per plures dies duraret inedia, vt in longa nauigatione, & in atroce bello, vbi deeſt victus. ita Anglex floribus 1. part. in materia de ieiunio difficultate 4. quem ſequitur Sanchez dicto lib. 5. conſiliorum c. 1. difficult. 19. num. 7.

37 Ad primum argumentum oppoſitæ ſententię reſpondetur, quod duppliciter poſſunt ſumi dies abſtinentiæ: vel quoad quãtitatem ciborum, et quoad eorũ qualitatem, & hoc pacto ſunt propriè loquẽdo dies ieiunij dies abſtinentiæ; poſsunt etiam dici latè dies abſtinentiæ quoad qualitatem ciborum tantum, & ſic dies Dominicæ quadrageſimæ poſsunt appellari dies abſtinentiæ: ſed minus propriè; in cap. autem quadrageſima per dies abſtinentiæ intelliguntur dies ieiunij, à quibus ſubtrahũtur dies Dominici, vt ex verbis ipſius cap. apertè conſtat aſseritur enim in dict. cap. quadrageſima ſumma obſeruatione eſt obſeruanda, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt, &c. vbi Gloſsa inquit quæſitum fuit in Concilio, Gregorio Papæ: quare quadraginta dies abſtinentiæ, & ieiunio deputentur, & non plures; vel pauciores, & reſpondet: quod ideò fit: quia iubemur Deo dare decimas omnium bonorũ noſtrorum, & triginta ſex dies ſunt decimæ totius anni, quibus quatuor additi ſunt, vt adimpleatur quadragenarius, quem Dominus ſuo ſacro ieiunio conſecrauit, en quomodo in dicto ca. dies abſtinentiæ quadrageſimalis accipiuntur pro diebus ieiunij quadrageſimalis, & cum in dicto cap. dies Dominicæ ſubtrahantur à ieiunio excluduntur etiam à diebus abſtinentię proprie loquendo: quatenus dies abſtinentię propriè dictę accipiuntur pro abſtinentia, & quoad quantitatem, & quoad qualitatẽ ciborum, licèt, vt ſupra diximus dies Dominicę quadrageſimę appellari poſſint latè dies abſtinentię quoad qualitatem ciborum tantùm: quatenus in illis veſci carnibus, non poſſunt: quare argumẽtum oppoſitę ſententię laborat in ęquiuoco.

38 Ad ſecundum argumentum: vt reſpondeamus ſupponere oportet primo, quod quadrageſima

ma tunc incipiebat à Dominica quinquagesimę, vt ex ipso textu constat; dicitur enim ibi: Denique Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Ecclesiastici gradus exornat à quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant: quo & aliquid ad pensum sanctę institutionis adijciant, & eorum, qui in laicali ordine consistunt obseruantiam: sicut loco ita religione pręcedant. Secundo supponere oportet ex Glossa caput illud diuidi in quinque partes iuxtà quinque petitiones factas ab Episcopo Anglorũ in 1. parre quęrebat Episcopus Anglorum à Gregorio Papa: an Clerici incipere debent ieiunium à quingesima, & respondetur, quod sic. vt sicut loco pręcellunt laicos: ita, & religione pręcellant. in secunda parte, quę incipit ibi (de ipsa vero die Dominica) quęrebatur an laici, qui in diebus Dominicis consueuerint sollemnius epulari debeant à tali consuetudine remoueri? & respondetur non deberi: ne deteriores fiant, & hoc probatur authoritate Salamonis dicẽtis, quod qui nimis emungit elicit sanguinem, in 3. autem, quęrebatur an tempore ieiunorum sit abstinendum ab ouis, caseo, & lacte, & Respondet Gregorius quod sic, quia sicut à carnibus: ita ab omnibus, quæ trahunt semẽtinam originem carnis est abstinendum, in 4. parte quærebatur, an piscibus in quadragesima sit vtendum, respondet quod sic ad infirmitatis solatium nõ ad luxuriam, & non magnis piscibus, sed paruis. 5. loco in fine capitis quærebatur, an vino sit vtendum, & respondet quod sic, vt tamẽ ebrietatem vitemus huc vsque Glossa.

39 Ex quibus Glossæ, & ipsius capitis verbis constat Summum Põtificẽ loqui de dominica quinquagesimę, in qua ieiunium prædictum incipiebat asserens, quod laici non sunt remouendi à consuetudine vescendi carnibus in dicta Dominica, ne forte peiores fiant: clare enim ibi loquitur tex per illa verba: de ipsa vero Dominica hæsitamus quid manducandum sit, cũ omnes laici, & sæculares illa die plus solito, cæteris diebus accuratius cibos carniũ appetant, & nisi noua auiditate vsq; ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri temporis obseruationem suscipere putant, quod vtique, non rationi; sed scopulati: imò cuidam mentis cęcitati adscribendum est, vnde nec à tali consuetudine auerti possunt, & ideò cum venia suo ingenio reliquendi sunt, si à tali cõsuetudine prohibeantur: in quibus verbis circa oua, & lacticinia pro Dominicis quadragesimæ summus Põtifex nihil disponit: postea verò respondendo ad 3. quęsitum factum ab illo Episcopo statuit sũmus Pontifex, vt diebus quadragesimæ, in quibus à carnibus abstinemus: abstineamus etiam à lacticinijs, vt constat ex illis verbis eiusdem capitis, scilicet par autem est, vt quibus diebus à carne animaliũ abstinemus ab omnibus quoque, quæ sementinam carnem trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ouis, ergo cum ex vna parte habemus, quod Summus Pontifex solum permittit laicis esum carnium in Dominica quinquagesimæ consequens est: vt non liceat in alijs quadragesimę Dominicis esus carnium, ex alia verò parte statuat Summus Pontifex, quod diebus quadragesimæ,

in

in quibus à carne abſtinemus, abſtineamus etiam à commeſtione ouorum, & lacticiniorũ: maniſeſtè infertur, quod ſicut non poſſunt etiam laici in Dominicis quadrageſimę edere carnes, nec etiam poſſint manducare oua, & lacticinia in dictis Dominicis quadragſimæ, vtpote quid prohibitum à Iure, ergo Sęculares non poſſunt abſque priuilegio Bullæ Cruciatæ veſci ouis, & lacticinijs in diebus Dominicis quadrageſimæ, & ſi aliter fecerint peccabunt mortaliter.

40 Nec valet ſi dicas cum Patre Andrea Mendo non poſſe Pontificem in hoc capite loqui de Dominica quinquageſimę: ſed de Dominicis quadrageſimæ. Hoc inquam non valet: nam vt eruditè docet Pater Franciſcus Bardi vbi ſupra in vindicatione contra ipſum Patrem Andream Mendo num. 94. poſſumus contra ipſum efficaciter argumentũ retorquere, ait etiam Pater Mẽdo dicto num 61. non poſſe Pontificem in hoc capite loqui de Dominica quinquageſimæ, quia in ea Dominica tam Laici, quam Clerici carnibus veſcebantur, infert igitur, & bene Pater Frãciſcus Bardi ex doctrina tradita à Patre Mendo hanc conſequentiam ergo non potuit Pontifex loqui in hoc capite de Dominicis quadrageſimæ: probo conſequentiam, quia tunc conſueuerant his diebus veſci carnibus, licet poſtea prohibitum fuerit vt idem Mendo aſſerit quamuis falſo, vt ſtatim dicam: ergo ſic vt idem Mendo poſtea fuit hoc prohibitum, ergo non antea, atqui ſecundum doctrinam Patris Mendo, in tantum cenſetur nõ eſſe ſermonẽ de Dominica quinquageſimæ, ſed de Dominicis quadrageſimę: in quantum in illa carnes comedebantur, ergo ſi etiam tunc vt affirmat Mendo in Dominicis quadrageſimę ſolitum erat carnibus veſci, ergo in dicto capite non erit ſermo de Dominicis quadrageſimæ, nam ratio Patris Mẽdo, vel pro vtroque: vel pro neutro probat. Quod autem falſum ſit quod tũc conſueuerant diebus Dominicis quadrageſimę veſci carnibus probo, quia de tali conſuetudine veſcendi carnibus diebus Dominicis quadrageſimæ non conſtat, nec traditione nec authoritate, ergo abſque fũdamẽto dicitur, quod tũc erat conſuetudo veſcẽdi carnibus in Dominicis quadrageſimę: licet poſtea fuerat prohibita videatur circa hoc eruditus P. Frãciſcus Bardi in dicta vindicatione contra Patrem Mendo à num. 97. vſque ad nu. 99. & deinceps. poſt hęc ſcripta inueni Paſqualigiũ in 2. edictione mutare opinionem, & doctè reſpondet ad argumẽta contraria vnde amplius non poteſt adduci in fauorem contrariæ ſententiæ, quam ſacra Congregatio S. Officij, & ſacra Congregatio Indicis mandarunt hanc ſententiam à quodam libro deleri, vt factum fuit, vnde cauere debent authores, ne impoſterum vel abſolute illam teneant, vel tanquã probabilem admittant.

RESOLVTIO V.

Vtrum Religioſus Regularis approbatus ab Ordinario ad excipiendas Sæcularium confeſſiones, & à ſuo Prælato ſuſpenſus, poſſit licitè, & validè virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ Sæcularium confeſsiones excipere?

Pri-

41 PRrima ſententia abſolutè negat poſſe Religioſos approbatos ab ordinario ad audiendas cõfeſſiones ſuorum ſubditorum, & ſuſpenſos iuridicè per ſententiam latam à ſuis Prælatis à facultate audiendi confeſſiones licitè, aut validè poſſe eas excipere virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ. ita Pater Magiſter Barnaba Gallegus in expoſitione Bullæ Cruciatæ cap 9. clauſula 9. duda 98. vbi pro hac ſententia citat Sylueſtrum verbo Confeſſor 2. §. 11. Magiſtrum Sotum in 4. diſtint. 18. quæſt. 4. art. 3. Magiſtrum Ludouicum Lopez in directorio conſcientiæ tom. 2. cap. 8. de Bulla Patrem Ioannem de la Crux epitome de ſtatu Religionis lib. 2. cap. 6. dub. 2. Villalobos tom. 1. ſumm. tract. 9. difficult. 50. Sed Villalobos non ſtat pro hac ſententia: ſed pro contraria, vt poſtea videbimus, eã etiã tenẽt Henriquez lib. 6. c. 6. n. 6. & c. 18. n. 6. Fagũdez prę. 2. lib. 7. c. 2. n. 32. Vallerus in differentia fori verbo Confeſſor difficultate 2. num. 2. Pater Thomas Hurtado par. 1. reſolution. moral. tract. 12. cap. 1. §. 3. dub. 4. num. 2156.

42 Probatur 1. hæc ſententia à Patre Stephano Fagundez dicto numer. 32. quia voluntas Regularium magis pendet à voluntate Prælati quam à ſola voluntate Epiſcopi: atqui Epiſcopus poteſt ex cauſa iuſta licentiam, & approbationem auferre Regulari, ergo idem poterit etiam facere Prælatus propius Regularis, minor probatur ex Cõcilio Tridentino ſeſſ. 5. de reformatione cap. 2. vbi poſtquam Concilium decreuit non poſſe Regulares ad munus Prædicationis approbari ab Epiſcopo, niſi prius à ſuis ſuperioribus de vita moribus, & ſcientia examinati approbati fuerint, ac de eorũ licẽtia: ſine qua etiã in Eccleſijs etiam ſuorum Ordinũ prędicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis, præſentare, & ab eis benedictionẽ petere teneantur antequam prædicare incipiant. In Eccleſijs vero quæ ſuorum Ordinum non ſunt vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum ordinum nullo modo prędicare poſſint, poſtea in §. ſequenti determinat, dictum Concilium, ſi vero (quod abſit) Prædicator errores: aut ſcandala diſſeminauerit in populum etiam ſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prędicet Epiſcopus ei prędicationem interdicat. Quod ſi hęreſes prędicauerit cõtra eum ſecundum iuris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat etiã ſi Prędicator ipſe generali, vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prętenderet, quo caſu Epiſcopus authoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus procedat, hęc ibi Concilium, atqui idem quoque dicendum eſt à paritate rationis de Confeſſarijs regularibus ſi ſcãdaloſe vixerint, hęreſes in confeſſionibus ſeminando, fęminas ſollicitando in confeſſionibus, &c. quia eadem eſt plane intentio ſummorum Pontificũ, & mens Concilij, vt communiter docent DD. ergo Epiſcopus poteſt iuſta de cauſa Regularibus licentiam confitendi auferre, & conſequenter idem poterunt facere Prælati dictorum Regulariũ atqui ſi Regulares priuati ab Epiſcopo munere confitendi confeſſiones fidelium audirent eos abſoluendo à ſuis peccatis confeſſiones eſſent nullę, & illicitę

facte,

factæ, ergo idem dicendum eſt de confeſſionibus factis ab ipſis Regularibus priuatis à ſuis Prælatis iuridice per ſententiam latam à munere confitendi etiam ſi approbationē habeant ab Ordinario, aliàs voluntas Regularium magis prenderet à voluntate Epiſcopi, quam à voluntate ſuorum Prælatorum quod non eſt affirmandum.

43 Secundo probatur quia eiuſdem potentiæ eſt dare, & auferre, atqui Prælatus Regularis ſuppoſita approbatione Epiſcopi committit iuriſdictionem Regulari ſubdipo ad audiendas confeſſiones, ſeu potius Papa eam illi immediate cōmittit cum dependentia, & ſub ordinatione à proprio ſuperiori, ergo ipſe ſuperior poterit ex iuſta cauſſa eā datam licentiam, vel auferre in totum vel limitare pro vt ſibi viſum fuerit in Domino, ergo ſi ſuperior Regularis iuridice per sētentiam latam auferat à ſuo ſubdito Regulari facultatem confitendi, dictus ſubditus remaneret inhabilis ad confeſſiones audiendas, etiam ſi approbationem habeat ab ordinario excipiendi confeſſiones, & conſequēter cōfeſſiones ab ipſo factæ erūt illicitæ, & nullæ.

44 Secunda, & probabiliter ſententia ſuſtinet poſſe Religioſos Regulares Approbatos ab ordinario, reprobos tamen à ſuis Superioribus etiam iuridicè per sētentiam latam, valide, quamuis non licitè cōfeſſiones Sæculariū excipere virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ, ita Nauarrus cap. 4. num. 6. (Aliàs ſecundo) Petrus Ledeſma in ſumma cap. 13. de pœnit. dub. 12. Acoſta in expoſit. Bullæ Cruciatæ quæſt. 41. Diana par. 1. tract. 11. de Bullæ Cruciatæ reſol. 13. & par. 5. tract. 12. reſolut. 49. Aegidius Trullēch in expoſitione Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 6. nu. 7. Pitigianus in 4. ſententiarum tom. 2. diſtinct. 17. quæſt. vnica art. 4. dub. 1. Nugnus in aditione ad 3. par. tom 2. quæſt. 8. art. 5. dub. 8. Salàs de legibus diſp. 16. ſect. 10. num. 43. Angles in 4. quæſt. de confeſſione art. 8. Ludouicus à Cruce de expoſitione Bullæ Cruciatæ diſp. 1. cap. 2. dub. 16. à num. 5. vſque ad 8. Lezana tom. 1. ſumm. Regularium cap. 19. num. 12. & tom. 3. verbo Bulla Cruciatæ num. 20. & verbo Cōfeſſarius num. 2. Pater Antonius de Eſcobar, & Mēdoza lib. Theolog. moral. tract. 1. exam. 17. de Bulla Cruciatę num. 136. & in vniuerſa Theolog. moràl. tom. 1. lib. 7. de Bulla Cruciatę ſect. 2. cap. 32. problema 27. num. 535. Doctor D. Marcus Serio in expoſitione Bullę Cruciatæ diſp. 1. difficult. 10. §. 8. quæſt. 7. Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. de Sacram. pœnit. diſp. 11. quęſt. 77. D. Carolus Latius in expoſitione Bullę Cruciatę diſp. 5. qu. 3. difficult. 6. num. 29. D. Carolus Malletus in auro Theolog. moral. tom. 1. de Sacramentis malleatione 16. de miniſtro Sacramenti pœnitentię bractea 17. Villalobos tom. 1. ſummę tract. 9. de pœnit. diffic. 50. num. 4. quare falſo pro contraria ſententia cum citat Pater Magiſter Barnaba Gallegus!.

45 Probatur 1. hęc ſentētia à Patre Ludouico à Cruce: quia Epiſcopus poteſt committere ſuam iuriſdictionem pro foro pœnitētię ad ſuarum omnium confeſſiones audiendas cuicumque non incapaci illius: atqui Religioſus non fit incapax talis iuriſdictionis per prȩceptum Prȩlati pro-

hibentis illi, ne eam accipiat, ſed ſolum efficitur per illud præceptum quod male faciat Religioſus illam accipiendo, & peius illa vtendo, quia peccat mortaliter, vel venialiter iuxta qualitatem præcepti, nã ſi præceptũ ſit ſub pęna grauis cænſuræ, aut in virtute S. obedientię erit mortale, ſin minus veniale, ergo Religioſus Regularis approbatus ab Ordinario & ſuſpenſus à ſuo Prælato etiam iuridice per ſentẽtiam latam poterit valide, quamuis non licitè virtute priuilegij, Bullę Cruciatæ Sacramentum pœnitentiæ Sæcularibus fidelibus adminiſtrare.

46 Secundo probat num. 7. quia licet in Clementina dudũ de ſepulturis dicatur, quod Epiſcopus debet admittere ad audiendas confeſſiones Religioſos præſentandos à ſuis Prælatis, tamen nec ibi nec alibe dicitur quod nõ poſſit ipſe cõferre iuriſdictionem Religioſis abſque tali præuia præſentatione: imò oppoſitum colligitur ex Clementia prędicta §. per huiuſmodi vbi dicitur, quod Epiſcopi poſſunt ſi voluerint ampliorum iuriſdictionem conferre, quam habeant Parochi. Vndè DD. dicunt quod non obſtante forma illius Clementinæ qua dicitur Religioſos præſentandos à ſuis Prelatis poſſe Epiſcopos conferere illis iuriſdictionẽ ſine præſentatione, vel conſenſu ſuorum Prælatorum, imò & ipſis repugnantibus, ergo confeſsiones factæ à Religioſo regulari approbato ab Ordinario, & ſuſpenſo à ſuo ſuperiori iuridicè per ſententiam latam erunt validæ licet non licitæ.

47 Sed iſtæ probationes Patris Ludouici à Cruce ſolum probant Religioſos Regulares ab ordinario approbatos ad ſuarum ouiũ confeſſiones audiendas abſque præuia ſuorum ſuperiorum licentia, & facultate, imò etiã ipſis Prælatis cõtradicentibus poſſe prædictos Confeſſores Regulares, ita ab Epiſcopo approbatos valide pœnitentiæ Sacramẽtũ adminiſtrare Sęcularibus ſubditis Epiſcopi approbãtis modo dicto, ſupradictos Regulares, licet nõ licitè vt potè facientes cõtra præceptum, & ordinem ſuorum ſuperiorum. Et licèt etiã conuincant Prædictos Religioſos Regulares ſic approbatos eligibiles eſſe per Bullam Cruciatæ ad aliorum ſecularium confeſſiones audiendas, non tamen probant, quod Religioſus Regulares iuridicè priuatus à ſuo Superiore per ſententiam latam facultate confitendi, ſeu pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandi Sæcularibus poſſe virtute Bullæ Cruciatæ valide pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, quia multi ex DD. quos in ſui fauorem adducit Pater Ludouicus à Cruce, vt mirandã in manuali tom. 1. quæſt. 45. art. 12. concluſ. 2. Villalobos tom. 1. ſumm. tract. 9. dub. 50. num. 4. Ioannes de la Crux de ſtatu Religionis lib. 2. cap. 6. concl. 2. & alios, vt Rodriquez tom. 1. quęſtion. regular. quæſt. 60. artic. 3. Grafis 1. par. deciſion. lib. 1. ca. 13. num. 38. Peyrinus tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. cap. 2. concluſ. 2. affirmant quòd Religioſus Regularis ab Epiſcopo approbatus ad audiendas confeſſiones ſuorũ ſubditorũ abſque ſui Prælati licentia, aut ipſo repugnante, & contradicente poteſt prædictos ſæculares Epiſcopo ſubiectos ſacramentaliter confiteri, & quod dictæ confeſſiones à dicto Religioſo factæ erunt validæ: cęterum prędicti DD. vt refert Peyrinus

vbi

vbi ſupra ſimul affirmant, quòd Religioſus Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſęcularių confeſſiones excipiẽdas: etiã de licẽtia, & approbatione ſui ſuperioris: ſi poſtea Prælatus iuridicè, per ſententiam latam prędictum Religioſum priuet à facultate confitendi, & pœnitentię Sacramentum adminiſtrandi, ſi pœnitẽtię Sacramentum adminiſtret poſt prędictam iuridicam priuationem cõfeſſiones ab ipſo factę erunt nullę, et inualidę: quia Religioſus iuridicè à ſuo Superiore ſuſpenſus à facultate audiendi confeſſiones caret poteſtate validè abſoluendi pœnitentes: ergo confeſſiones ab ipſo factę erunt nullę, & inualidę: probatur conſequentia: nam cum ſacramentalis abſolutio ſit quędam ſententia in foro interiori conſcientię neceſſario petit ex parte Confeſſoris abſoluentis ſufficientem poteſtatem, et iurisdictionẽ; vt conſtat ex cap. ad probandũ de ſentent. & re iud. ergo ſi Religioſus iuridicè priuatus à ſuo ſuperiori facultate audiendi confeſſiones per ſententiam iuridicè publicatam non habet ſufficientem poteſtatem ad pronunciandam ſententiam validam in foro ſacramentalis pœnitentię conſequens eſt, vt non poſſit validè dictũ pœnitentię Sacramẽtũ adminiſtrare, & quod ſi illud adminiſtraret Sacramentum erit nullum, & inualidum.

48 Melius autem noſtra ſententia probatur, quia Religioſus Regularis approbatus ab ordinario ad Sæcularium confeſſiones audiendas: licèt poſtea priuatur à ſuo Superiori à tali facultate confitendi iuridicè per ſententiam latam, & iuridicè publicatam, ſi iſte talis Religioſus eligatur ab aliquo fideli in Confeſſarium virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ habet totum id quod requiritur ad valide pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum ei, qui illum in Confeſſorem elegit virtute Cruciatę Bullę: ergo ſi actu prędictum pœnitentem confiteatur confeſſio, & abſolutio erit valida, licet non licita; conſequentia eſt formalis, & antecedens probatur, quia prędictus Sacerdos Regularis in tali caſu habet poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis immediatè à Summo Pontifice: ergo habet totum id, quod requiritur ad validę pœnitentię Sacramentum adminiſtrandum, conſequentia eſt euidens, & antecedens quoad primam partem (nempe Prędictũ Religioſum Regularem habere poteſtatem ordinis) eſt indubitatum, quoad ſecundam verò partem, ſcilicet pręter poteſtatem ordinis habere in tali caſu poteſtatem iuriſdictionis conceſſam à Summo Pontifice probatur, quia vt optimè docet Pater Franciſcus Bardi in expoſitione Bullę Cruciatę par. 2. tract. 5. de priuilegio eligendi Confeſſarium cap. 1. ſect. 1. num. 7. Sũmus Pontifex per Bullam Cruciatę immediatam concedit iuriſdictionem omnibus Sacerdotibus, ſiue Sęcularibus ſiue Regularibus ad adminiſtrandum Fidelibus pœnitentię Sacramentũ virtute priuilegij dictæ Bullæ, dũ approbati ſint ab ordinario ad fidelium confeſſiones excipiendas, quæ approbatio Epiſcopi ſolum ſe habet vt cõditio neceſſaria, ſine qua non, qua poſita Sacerdos electus per priuilegiũ Bullæ Cruciatæ ad adminiſtrandum alicui fidelium pœnitentiæ Sacramantum haberet immediatè à Summo Pontifice iuriſeitione delegatam ad adminiſtrã-

dum Sacramentum pœnitentiæ vigore priuilegij Bullę Cruciatę, verba Patris Franciſci Bardi dicto num. 7. hæc ſunt. Pontifex per hanc Bullam Cruciatæ immediatè confert omnibus Sacerdotibus iuriſdictionem ad cõfeſſiones excipiendas, ſolum enim prærequirit ab Epiſcopo approbationem, qua poſita ſtatim intelligitur Sacerdos ille approbatus habere à Papa iuriſdictionem delegatam vi huius Bullæ, & nõ tenetur eam ab Epiſcopo, vel ab alio Prelato emendicare, atque adeò ſi ab aliquo pœnitente, qui Cruciatam habet eligatur, nihil aliud deſiderabitur ex parte Miniſtri ad valorẽ huius Sacramenti: ita ille quam doctrinam etiam ſequitur Caſtropalaus tom. 4. tract. 23. diſp. vnica punt. 14. num. 5. per hæc verba 3. delegãtur iuriſdictio priuilegio Bullæ Cruciatæ, ſumentibus enim Bullam concedit Pontifex, vt quemlibet Sacerdotem ex approbatis poſſint eligere, qui eorum peccata audiat, & ab eis abſoluat, qua electione facta Pontifex illo priuilegio ei iuriſdictionem concedit. Sumens vero Bullam deſignat perſonam, cui iuriſdictio concedatur, iuriſdictionem tamen nullatenus tribuit, & num. 23. in fine aſſerit: at ſi prædictus Religioſus iuriſdictione Epiſcopali, vel Pontificia ſibi conceſſa vtatur, defacto, validæ erunt abſolutiones ab eo impẽſæ iuxta iuriſdictionem acceptam, vtpote qui ordinem Sacerdotalem, & iuriſdictionem habet, & tract. 25. eiuſdem partis de Bulla Cruciatæ diſp. vnica punt. 8. §. 1. num. 4 loquendo de Confeſſario electo ad audiendam cõfeſsionem vigore priuilegij Bullæ Cruciatę, inquit, hic Confeſſarius approbatus, & à te electus poterit te abſoluere ab omnibus peccatis, quæ Sedi Apoſtolicæ reſeruata non ſunt, toties, quoties durante anno ſi in ea incideris, à reſeruatis verò Sedi Apoſtolicæ, excepto crimine hæreſis ſemel tantum in vita, & ſemel in morte poteſt, quia ſic cauetur in Bulla, & latè, & erudite probat Acoſta quæſt. 63. & ſequentib. ergo Sacerdos Regularis approbatus ab Epiſcopo ad excipiẽdas confeſsiones fidelium, & ſuſpenſus iuridicè per ſententiam latam à ſuo ſuperiori, ſi eligatur in Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ habet iuriſdictionem delegatam à ſummo Pontifice, vt validè poſsit pœnitẽtię Sacramentum adminiſtrare, & conſequenter ſi virtute prędicti priuilegij actu pœnitentię Sacramentum adminiſtraret abſolutio erit valida, licet non licita, ſiquidẽ eſt priuatus, vt ſupponitur iuridice à ſuo Prelato per ſententiam latam facultate adminiſtrandi Sacramentum pœnitentię. Probatur prima pars conſequentię, quia Prelatus inferior non poteſt ſuſpendere, & multo minus annullare iuriſdictionem conceſſam à Prelato Superiori, niſi in caſu, quo ei hoc ſit conceſſum expreſſe: aut tacite, vt conſtat ex cap. inferior 1. par. decreti vbi dicitur Inferior Sedes Superiorum abſoluere nõ poteſt, ſola ergo potior inferiorem conuenienter abſolui, hinc liquidò videtur, quia quem non poteſt abſoluere, non poteſt iudicio inferior potiorem ligare, & infra vnde Propheta ait, numquid gloriabitur ſecuris cõtra eũ, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam, His ita ex diuina Scriptura, & probabilium Patrum doctrina commemoratis ſole clarius exhi-

hibuimus non poſſe quemquam, qui minoris authoritatis eſt eum, qui maioris poteſtatis eſt iudicijs ſuis addicere, aut proprijs definitionibus ſubiugere. ergo cũ Religioſus Regularis approbatus ab ordinario, & per Bullam Cruciatam electus ad confeſsionem audiendam habeat iuriſdictionem delegatam à ſummo Pontifice non poterit Prælatus Regularis per ſuam iuridicã ſentẽtiã hanc poteſtatẽ ei ſuſpẽdere, & minus annullare: ergo cõfeſsiones ab ipſo factæ virtute dicti priuilegij Bullę erũt validæ.

49 An autem dictus Religioſus Regularis, qui approbatus ab ordinario, & iuridicè ſuſpenſus à ſuo ſuperiori virtute Bullę Cruciatæ pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat peccet mortaliter, vel venialiter: ſic illud adminiſtrando contrauerſia eſt inter DD. quidã, vt refert Rodriquez tom. 2. quęſtionum regular. quęſtion. 28. art. 1. abſolutè affirmant peccare mortaliter, quia facit contra obedientiam Superioris in re graui, alij vero probabilius affirmant, quod ſublato contẽptu non peccat mortaliter; niſi per regulam ſuę Religionis obligetur ad mortale vel in ipſa ſententia iuridicè publicata ſit ei impoſitũ pręceptũ formale ſanctę obediẽtię. ita Megala lib. 1. cap. 15. n. 8. Molfeſius in ſumm. moral. Theolog. casuũ cõſcientię tr. 7. de pœnit. cap. 14. n. 87. Trullench vbi ſupra Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza locis ſuperius citatis, qui omnes iudicant, quod ſublato contemptu, aut pręcepto ſanctæ obedientię peccauit talis Religioſus pœnitentię Sacramentũ adminiſtrando virtute priuilegij Bullę Cruciatę iuxta obligationem ei impoſitam per conſtitutiones ſuæ Religionis: quare ſi Conſtitutiones illi obligẽt ſub mortali peccauit grauiter, ſi vero ſub veniali culpa peccauit venialiter, ſi autẽ illi nõ obligẽt ſub culpa nullo modo peccauit, nec etiam venialiter ſed erit ſubiectus pœnæ taxatæ in ipſa Conſtitutione 50 contra eius trangreſſores.

Aliqui autem DD. affirmat hoc priuilegium Bullę Cruciatæ non ſe extendere ad Religioſos ordinis Sancti Dominici ratione Bullę cuiuſdam Iulij 3. quam refert Manual Rodriquez tom. 1. queſtion. regular. queſt. 60. art. 1. & 3. Miranda in manuali Prælatum queſt 45. art. 12. in qua Bulla Summus Pontifex Iulius 3. reuocat licentias, & immunitates conceſſas Religioſis eiuſdẽ ordinis ad Confeſſores eligendos, & confeſsiones audiendas, quas ipſe Magiſter ordinis reuocandas iudicauerit, & vndecumque emanaturas gratias ſine licẽtia Superiorum concedendas annullat, ponitque fortiſsimas non obſtantias pro vt continetur in dicta Conſtitutione data Romę 17. die Januarij anno Domini 1515. ergo Religioſi ordinum Prędicatorum licet ſint approbati per Epiſcopos, & electi per Bullam Cruciatę contra conſenſum ſuorum Superiorum non poterunt confeſsiones audire. Cæterum vt doctè animaduertit Caſtropalaus par. 4. tract. 23. diſp. vnica punt. 14. n. 24. confeſsiones factę aut faciendæ à dictis Religioſis S. Dominici virtute Cruciatę, alteriuſue priuilegij Pontificij in dicta Bulla Iulij 3. non reuocatur: quin imò excipiuntur licentiæ manu Papæ, aut de conſenſu Cardinalis Protectoris, vel vice Protectoris ſignatæ.

51 Aduertendum tamẽ eſt, quod licet Religioſi Regulares approbati ab ordinario poſſint abſque licen

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

licentia ſuorum Superiorum, imò ipſis contradicentibus, & repugnantibus virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ pœnitentiæ Sacramentũ fidelibus adminiſtrare, eoſque à ſuis peccatis abſoluere valide vt ſupra diximus, non tamen poſſunt Sacramentũ pœnitentiæ adminiſtrare virtute priuilegiorũ ſuæ Religionis ab ſoluendo fideles à caſibus reſeruatis, à quibus poſſunt virtute dictorum priuilegiorum abſolute abſque licentia, & facultate ſuorum ſuperiorum, quia Summus Pontifex conceſsit dicta priuilegia Regularibus depẽdenter à voluntate ſuorum ſuperiorum, cum fuerint immediate conceſſa Religioni, & non poſſunt communicari Religioſis particularibus independenter à voluntate ſuorum Superiorum. vt docet Suarez tom. 4. de *Religione* tract. 10. lib. 9. cap. 2. à num. 3. Llamas 1. par. metodi cap 7. §. 4. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 6. Rodriquez tom. 1. quæſtion. regular. quæſt. 60. art. 3. Miranda tom. 1. manualis Prælatorũ quęſtion. 45. art. 12. Layman lib. 5. ſumm. tract. 6. cap. 10. num. 19. Lezana tom. 1. ſumm. regulariũ cap. 19. num. 20.

52 Ad primum argumentum oppoſitę ſententiæ reſpondetur, diſtinguendo maiorem, magis pendet voluntas *Regularium* à voluntate ſuorum Prelatorum quam à ſola voluntate Epiſcopi in his, quæ pertinent ad bonum regimen *Religionis* cõcedo maiorem, in his, quæ non pertinent ad bonum regimen *Religionis*, nego maiorem, cum autem quod Epiſcopus deleget ſuam iuriſditionem *Regularibus*, vt poſſint confeſſiones ſuorum ſubditorum audire non pertineat ad bonũ regimẽ *Religionis*, ideò in hac parte magis pẽdent *Religioſi Regulares* à voluntate Epiſcopi, quam à voluntate ſuorum Superiorum, & ita conceſſa minori: neganda eſt conſequentia, nã licet Prælatus *Regularis* poſſit priuare ſuum ſubditum regularem facultate adminiſtrãdi pęnitentiæ Sacramentum ſuis *Religioſis* ſubditis: non tamen poteſt eum priuare iuriſdictione, quam habet ab Epiſcopo adminiſtrandi pœnitentiæ Sacramẽtum ſuis ouibus, nam cum Prelatus *Regularis* ſit inferior Epiſcopo non poteſt ſuſpendere, & minus annullare iuriſditionem ab ipſo traditam dicto *Religioſo Regulari* ſuo ſubdito. Deinde quia nihil contra nos conuincit argumentum, etiam ſi concedatur maior abſolute, nam iuriſdictionem, quam habent dicti *Religioſi Regulares* ad abſoluendũ in caſu prædicto virtute Bullę Cruciatę non immediate ab Epiſcopo acceperunt, ſed immediatè à *Summo Pontifice*, & approbatio Epiſcopi tantũ ſe habet, vt conditio ſine qua non vt ſupra probauimus. Quare poſſumus magis corroborare noſtrã ſententiam retorquendo argumentum, ſic, magis dependet voluntas *Regularium* à voluntate Summi Pontificis, vt porè Geralis Generaliſsimus omnium religionum, quam à volũtate ſuorum Prelatorum: atqui *Religioſus* ſuſpenſus à ſuo Prælato facultate audiendi confeſsiones: licet approbatus ab Epiſcopo, ſi eligatur virtute Bullę Cruciatę ad audiendas cõfeſsiones habet iuriſdictionem delegatam à Summo Pontifice immediatè virtute dicti priuilegij Bullę Cruciatę: Ergo non obſtante dicta prohibitione ſui Superioris: confeſsiones ab ipſo factæ erunt validę.

Ad

53 Ad ſecũdũ argumẽtum reſpõdetur: diſtinguendo maiorem eiuſdem potentiæ eſt dare, & auferre in eodem ordine, concedo maiorẽ, in diuerſo ordine nego maiorẽ. Cũ enim Prælatus Regularis ſolũ poſſit dare facultatẽ Sacerdotibus ſuis ſubditis ad audiendas confeſſiones ſuorum Religioſorum ſubditorum non autem ad audiendas confeſſiones Sęcularium, quia hoc pertinet ad Epiſcopum, cuius, ſunt oues: ideò illam ex iuſta cauſa poteſt auferre, non autem iſtam, præter quã quod cum iuriſdictionem, quam habet Religioſus Regularis in noſtro caſu habeat acceptam immediatè à Summo Pontifice virtute priuilegij Bullę Cruciatę, vt ſupra probauimus, non eſt in poteſtare Superioris illam auferre, ſicut nec illam dare, aliàs poſſet annullare iuriſdictionem conceſſam à Summo Pontifice, quod non eſt dicendum.

RESOLVTIO VI.

Vtrum Religioſus Regularis ab Epiſcopo approbatus: ſed à ſuo Prælato ſuſpenſus poſſit etiam abſque Bulla Cruciatæ valide pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare ſæcularibus ſubditis Epiſcopi, qui illum approbauit.

54 ABſolute negatiuè reſpõdent Henriquez, Sylueſter, Rodriquez, Fagundez, Pater Thomas Hurtado, & alij DD. citati §. præcedenti pro prima ſententia, negat etiam expreſſe Boſſius de iubilæo ſect. 3. caſu 2. §. 5. nu. 182. qui vltra DD. citatos citat etiam proſe Nauarrum cap. 4. n. 6. & cap. 27. num. 64. Ioannem à Cruce de ſtatu Religionis lib. 2. cap. 6. dub. 2. concluſ. 2. Tamburinum, Lezanam, & alios, vt refert Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. de Sacramento pœnit. diſp. 11. quæſt. 78. Ludouicus di San Iuan quæſt. 6. de pœnit. art. 3. dub. 7.

55 Probatur primo hæc ſententia à Patre Thoma Hurtado vbi ſupra num. 2154. quia Regulares non accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopo, ſicut Clerici ſeculares: ſed à Papa immediatè dependenter à religione; cui tale priuilegium in ipſius bonũ conceſſit: ergo ſi religio non approbat: imò potius reprobat aliquem religioſum ad audiendas ſæcularium confeſſiones nullam acquirit iuriſdictionem, nec approbatus eſt iuridicè ab Epiſcopo; ergo non poteſt excipere confeſsiones validè. Probat hanc vltimam conſequentiam Pater Thomas Hurtado ſequẽti exemplo: ſi Tribunal ſanctæ Inquiſitionis aliquem Sacerdotem ſententia iuridica faciat inhabilem ad excipiendas cõfeſsiones: etiam ſi approbatus fuerit aufertur ab illo approbatio idoneitatis, & declaratur non idoneus: ſi vero non fuerit approbatus, Epiſcopus tamẽ nõ poteſt ipsũ approbare ad excipiendas confeſſiones: quia declaratus eſt non idoneus ſententia iuridica, contra quam Epiſcopus non poteſt declarare approbando, quem ſacrum Tribunal reprobauit: ergo ſi ſuperior Religionis, etiam ſi ſit Prelatus localis iuridicè declaret aliquem regularem eſſe inhabilem ad audiendas confeſsiones: quantumuis velit Epiſcopus non poteſt illum, vt idoneum approbare: ſi quidẽ regularis quantum ad hoc omninò exemptus eſt à iurisdictione Epiſcopi, cui nullo modo

ſub-

ſubijcitur, & contra ſententiam iuridicam proprij Iudicis nihil poteſt, qui non eſt Iudex.

56 Secundo probat hanc ſentẽtiam idem Pater Thomas Hurtado ibidem num. 2155. quia Epiſcopus ex iuſta cauſſa poteſt regularem reprobare: ita vt nõ poſsit validè abſoluere, vt definiunt Summi Pontifices Pius Quintus: & Vrbanus Octauus: ergo etiam id poterit Superior regularis: cum iſte ſit illi ſubditus, cuius Superior cognoſcit mores: multo melius quam Epiſcopus: ergo ſi cognoſcat deliquiſſe, vel habere cauſſam in ordine ad confeſsiones, poterit maiori titulo ipſum declarare non idoneum contra approbationem Epiſcopi declarantis ipſum idoneum: cum præcipua miniſtri qualitas ſit integritas vitę, & morum honeſtas.

57 Secunda, & probabilior ſententia loquitur cum diſtinctione: affirmat enim, quod ſi Religioſus regularis approbetur ab Epiſcopo ad ſuarum ouium confeſsiones audiẽdas abſque licẽtia ſui ſuperioris: imò ipſo repugnãte; quod cõfeſsiones ab ipſo religioſo factę erunt validę: licet non licitę, ſi quidem faciet illas in tali caſu contra obedientiam ſui Superioris. Si tamen religioſus regularis eſset priuatus iuridicè per ſententiam latam facultate excipiendi ſęcularium cõfeſsiones ob aliquod delictum commiſsum in materia confeſsionis: ſiue ſententia ſit lata à Capitulo Generali ſui Ordinis, aut à Capitulo prouinciali, ſiue à Prælato, ſeu ſuperiore locali: dũmodo de dicto delicto ſit cõuinctus, affirmat non poſse dictum religioſum: ita iuridicè priuatum validè pœnitentiæ Sacramentũ ſęcularibus adminiſtrare: etiã ſi habeat approbationem ab Epiſcopo. ita quoad primam partem defendũt Nauarrus Acoſta, Diana, & alij citati reſol. præcedẽti pro noſtra ſententia, eã etiã defendunt Caſtropalaus part. 4. tract. 23. de Sacramento pœnit. diſp. vnica punct. 15. num. 23. Ludouicus à Cruce de expoſit. Bullę Cruciatæ diſp. 1. ca. 2. dub. 16. quod vtramque autem partẽ eam defendunt Pater Andreas Mendo in Bullam Cruciatę diſp. 22. cap. 9. Leander à Sanctiſsimo Sacram. dict. tract. 5. de pœnit. diſp. 11. quæſt. 78.

58 Probatur prima pars huius ſententię: quia Epiſcopus poteſt Sacerdoti idoneo, etiam regulari ſuam delegare iuriſdictionem ad ſuarum ouium confeſsiones excipiendas: atqui nõ eſt in libera voluntate Superioris regularis dictam Epiſcopi iuriſdictionem limitare, & multo minus annullare: ergo religioſus regularis approbatus ab Ordinario ad ſuorum ſubditorum cõfeſsiones audiendas abſque licentia ſui ſuperioris; imò ipſo repugnante cõfeſsiones à dicto religioſo factę virtute approbationis Epiſcopi erunt validæ.

59 Nec valet ſi dicas Iulium 3. in Bulla ſuperius citata reſol. antecedenti in fauorẽ religionis Sancti Dominici declarauit nullas & irritas fore confeſsiones factas à regularibus approbatis ab Epiſcopo abſque licẽtia ſuorum Superiorum: ergo religioſi Ordinis Prędicatorum, & per conſequẽs mendicantium, & omnium aliorum, qui ſuis priuilegijs gaudẽt licèt ſint approbati per Epiſcopos: ſi apdrobatio fuit illis data contra conſenſum ſuorum Superiorum non poterunt validè cõfeſsiones audire. Hoc inquã nõ valet: quia quidquid ſit de Re-

li-

ligioſis Ordinis Prędicatorum, quoad alias religiones (vt benè aduertit Caſtropalaus loco ſuperius citato num. 24. in fine) non conſtat prędictum breue Iulij 3. receptum eſſe, nec virtute illius annullatas eſſe confeſſiones ſine licentia Superiorum factas. Qua propter dùm non conſtat de annullatione dicēdum eſt validas eſſe, vt docent Rodriquez dict. tom. 1. quęſtion. regul. quæſt. 60. art. 3. Layman lib. 5. ſumm. tract. 6. cap. 10. quęſt. 3. verſu ſed dubitabis num. 19.

60 Secunda verò pars huius ſententię probatur argumentis factis à Patre Thoma Hurtado in fauorem primæ ſententiæ, quæ nihil aliud probant; vt poſtea videbimus. Deinde probatur: quia Prælati Regulares iuſta, & legitima exiſtenti cauſa poſſunt iuridicè per ſententiam latam declarare ſuum Religioſum ſubditum non idoneum ſed inhabilem ad confeſſiones ſæcularium audiendas: ergo ſtante hac iuridica declaratione inhabilitatis alicuius Religioſi regularis facta à ſuo Prælato iuridicè per ſentētiam latam non poterit Epiſcopus dictum Religioſum approbare ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum; nam approbatio Epiſcopi debet ſupponere idoneitatem vitę, & morum in Religioſo approbādo ad munus excipiendi ſęcularium confeſſiones: vt declarauit ſacra Congregatio Concilij: ergo cū prędictus Religioſus per ſententiā latam à ſuo Prælato ſit declaratus non idoneus in vita, & moribus, vt ſupponitur, non poterit Epiſcopus illum approbare ad confeſſiones ſæcularium audiendas ſi quidem non poteſt annullare ſententiā contra ipſū datam à ſuo Superiore: cum Religioſi regulares ſint exempti à iuriſdictione Epiſcopi: imò ſi religioſus regularis antea fuit legitimè approbatus ab Epiſcopo, & poſtea per delictū cōmiſsū in ordine ad cōfeſſionē fuit dictus Religioſus regularis iuridicè cōuinctus, & priuatus per ſentētiam latam facultate adminiſtrādi pœnitentiæ Sacramentū redditur virtute illius ſententię nō obſtāte approbatione Epiſcopi non idoneus, & inhabilis ad audiēdas cōfeſsiones ſæculariū: ergo confeſsiones à dicto religioſo factæ poſt dictam ſententiā iuridicè publicatam erūt nullæ, & inualidæ.

61 Sed dices, ex hac doctrina ſequeretur, quòd dictus religioſus regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſęcularium confeſſiones audiendas, et reprobatus iuridicè à ſuo ſuperiori per ſententiam latam non eſſet eligibilis virtute Bullę Cruciatę ad validè adminiſtrandum pœnitentię Sacramentū: atqui nos cōtrariū aſſeruimus reſol. præcedenti: ergo falsò nunc aſſerimus non poſſe validè dictū Religioſū antea approbatū ab Epiſcopo, & poſtea reprobatos iuridicè à ſuo Superiore per ſententiam latam pœnitentię Sacramentum adminiſtrare ſęcularibus Epiſcopo ſubiectis virtute eiuſdem Epiſcopi approbationis. Probatur ſequela: quia, vt aliquis Confeſſarius etiam regularis in confeſsorem eligatur virtute bullę Cruciatę requiritur neceſſariò, vt conditio: ſine qua non, quòd ſit legitimè approbatus ab Ordinario, ſeu Epiſcopo: atqui approbatio facta legitimè ab Epiſcopo alicui religioſo regulari ceſſat, & tollitur ſi dictus religioſus iuridicè ſuſpendatur à ſuo Prelato per ſententiam latam facultate exci-

piendi sæcularium confessiones; ergo iste talis non erit eligibilis virtute Bullę Cruciatæ ad validè administrandum pœnitentiæ Sacramentum.

62 Respondetur: negando sequelam, & ad eius probationem respondeo, quòd licet dictus Religiosus in prædicto casu non possit sæcularium confessiones audire virtute præcisè approbationis Episcopi propter rationē superius dictam nu. precedenti tamen potest eas audire virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ, cum solùm petat Confessarium eligibilem per dictam Bullam debere esse approbatum ab Episcopo, & cum prædictus religiosus sit vere, & realiter ab Episcopo approbatus, licet postea reprobatus iuridice à suo Superiore manet eligibilis per Bullam à pœnitente illam habente, qua electione supposita habet iurisdictionem delegatam immediatè à Summo Pontifice ad validè administrandum pœnitentiæ Sacramentum, quam potestatem non potest Prælatus regularis limitare, & multo minus suspendere, vt supra diximus, & quod sufficiat illa approbatio Ordinarij non obstante reprobatione Superioris, vt dictus religiosus sit eligibilis in Confessarium virtute priuilegij dictæ Bullæ Cruciatæ, ex eo patet: quia omnis lex, constitutio, aut priuilegiū generale generaliter, & absque vlla restrictione debet intelligi l. 1. ff. de legat. præstand. l. prospexit ff. qui, & à quibus manumit. vnde illa vox Bartholi in l. de pręt. ff. de publiciana, vbi ius non distinguit, nec nos distingue re debemus: ergo cum priuilegium Bullę Cruciatę generalissimum sit, & solùm petat, vt conditio requisita, vt aliquis Confessarius, siue sæcularis, siue Regularis, sit eligibilis per dictam Bullam, quod habeat approbationem ab Ordinario, & dictus religiosus illam habeat; non obstante quod postea fuerit reprobatus à suo Superiore iuridicè per sententiam latam manebit in Confessarium eligibilis virtute priuilegij Bullæ Cruciatę, & confessio ab ipso facta erit valida quamuis non licita, vt in resol. præcedenti diximus.

63 Ad primum argumentum primæ sententiæ: quatenus primæ parti nostræ sententiæ opponitur, respōdetur, quod dupliciter potest Episcopus religiosum regularem approbare vno modo absque presentatione, et licentia sui Superioris: imò, et ipso repugnante, et contradicente delegando illi suam iurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum, & tunc dictus Religiosus Regularis sic approbatus non accipit iurisdictionē administrandi pœnitentię Sacramentum immediatè à Summo Pontifice: sed immediate ab Episcopo: sicut eam accipiunt Sacerdotes Sæculares: quia Episcopus liberam potestatem habet à iure delegandi suam iurisdictionem ordinariam administrādi Sacramentum pœnitentiæ cuilibet habenti potestatem ordinis, siue Sæcularis, siue Regularis sit, quam potestatem delegatam non potest Prælatus regularis limitare, aut in totum delere pro suo libito, & mera voluntate, cum non sit superior Episcopo, & sic Religiosus Regularis habens delegatam iurisdictionē ab Episcopo ad audiendas confessiones suorum subditorum, non premissa licētia sui Superioris, imo ipso contradicente potest valide pœnitentię

tentię Sacramentum administrare ſæcularibus virtute approbationis Epiſcopi. Alio modo poteſt Epiſcopus approbare Religioſum Regularem ad audiendas ſæcularium confeſſiones ſcilicet præſuppoſita prius preſentatione, & licentia ſui Prælati, declarando dictum Religioſum ſic preſentatum medio examine, ſi illi videbitur neceſſariũ idoneum ad audiendas confeſſiones iuxta id, quod circa hoc diſponit Concilium Tridentinũ, & in hoc caſu verum eſt ſecundũ probabiliorem opinionem (de quo poſtea in hac reſolut. redibit ſermo,) quòd dictus Religioſus nõ accipit iuriſdictionem immediatè ab Epiſcopo: ſicut Clerici ſęculares; ſed immediatè à Summo Pontifice. Quare conceſſo antecedenti ſub hac diſtinctione neganda eſt prima conſequentia loquendo pręcipuè de primo genere approbationis: nam loquendo de ſecundo approbationis genere diuerſimodè loquuntur DD. nam alij affirmãt non poſſe regularem expoſitum ab Ordinario de licentia ſui Prælati confeſſiones ſęcularium validè audire, ſi poſtea Prælatus illum ſuſpendat à facultate audiẽdi dictas confeſſiones: etiam ſi ſuſpenſio non ſit iuridica per sẽtentiam latam: alij verò probabilius iudicant adhuc in hoc caſu confeſſiones factas à dicto Regioſo virtute approbationis Epiſcopi eſſe validas: quamuis nõ licitas, & ſolùm ſuſpenſionem ſuperioris tollere, vt non poſsit ſæculares abſoluere à caſibus reſeruatis virtute priuilegiorum ſuæ Religionis: quia priuilegia fuerunt à Summis Pontificibus conceſſa Religioni in communi in eius fauorem, & gratiam, & ſic non poſſunt: illis vti Religioſi particulares: niſi de licentia, & voluntate ſuorum Superiorũ. In quo ſenſu falſa eſt etiam ſecũda conſeqnentia: probatio autẽ illius conſequentię nihil cõuincit contra primam partẽ noſtrę ſententiæ; quamuis benè probet ſecundam dictæ noſtrę ſententię partem: ſcilicèt quod Sacerdos approbatus ab Epiſcopo, & reprobatus à ſuo Superiore iuridicè per ſententiam latam ob delictum ab ipſo commiſſum in ordine ad confeſsionem non poſſit valide pœnitentię Sacramentum adminiſtrare ſæcularibus præciſo priuilegio bullæ Cruciatę, quod nos libenter concedimus: imo, & fatemur, vt ex ſupra dictis conſtat.

64 Ad ſecundum argumentum reſpondetur concedendo antecedens, & primam conſequentiã & diſtinguendo ſecundam, poterit illum declarare non idoneũ, aut per ſimplicem declarationẽ, aut per ſententiam latam: ſi illũ conuincat de tali delicto commiſſo in ordine ad confeſsionem concedo conſequentiam: poterit illum declarare nõ idoneum per ſententiam latam iuridicè, ſi illum non conuincat de ſupradicto delicto commiſſo in ordine ad confeſsionem, nego conſequentiam: quare ſi illum declaret non idoneum Prælatus per ſimplicem tantummodò declarationem non iuridicam, validę erũt cõfeſsiones factę ab ipſo Religioſo virtute approbationis Epiſcopi vt diximus in prima parte noſtrę ſentẽtiã: ſi autẽ illũ declaret non idoneum iuridicè per ſententiam latam, et iuridicè publicatam inualidę erunt confeſsiones ab ipſo factę, vt in ſecunda parte noſtrę ſententię diximus.

RESOLVTIO VII.

Vtrum indulgẽtia plenaria, quę conceditur in Bulla Cruciatę pro mortis articulo poſsit applicari in articulo mortis, deficiente Sacerdote à Clerico tõſurato, et deficiente etiam Clerico tonſurato poſsit à laico applicari?

65 PArtem negatiuam quoad vtramque tituli partem tenẽt Pater Ludouicus à Cruce de expoſitione *Bullæ* Cruciatæ diſp. 1. cap. 8. dub. 14. Corduba de indulgentijs quęſt. 27. poſt ſextam concluſionem Pater Gobat in theſauro indulgentiarum par. 2. cap. 34. quęſt. 92. num. 626. Pater Magiſter Barnaba Gallegus in expoſitione Bullę Cruciatæ cap. 9; clauſula 9. duda 110. Pater Antonius de Eſcobar, et Mendoza tom. 1. vni uerſę Theologię moralis lib. 7. de expoſitione bullę Cruciatę ſect. 1. cap. 17. num. 224. D. Carolus Latius in dilucidatione bullę Cruciatę diſp. 4. quęſt. 5. difficult. 7. n. 25.

66 Probatur 1. hæc ſententia à Patre Ludouico à Cruce vbi ſupra: quia in Bulla Cruciatæ habetur, quod ſemel in articulo mortis poſſit Cõfeſſarius indulgentiam plenariam impendere: ergo qui non fuerit Sacerdos, non poterit id præſtare, probatur conſequentia, quia cum indulgentiæ ſint ſtricti iuris, vt late probat Corduba de indulgentijs quæſt. 9. propoſit. 4. & in reſponſion. ad 3. in propria ſua ſignificatione verba eius ſunt accipienda ſecundũ ius: atqui nomine Confeſſarij propriè intelligitur Sacerdos habens facultatem confitendi à iure: vel ab homine: ergo cum huic dumtaxat concedat Pontifex in Bulla facultatem impendendi indulgẽtiam nullus alius præter Sacerdotem id poterit præſtare.

67 Eodem ferè modo hanc ſententiam probat Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza dict. num. 224. quia (inquit) Pontifex hanc indulgentiam pœnitenti concedit non immediatè, ſed media Confeſſarij applicatione: ergo nullus non Sacerdos poteſt dictam indulgentiam applicare etiam in articulo mortis, cõſequentia ex antecedenti patet, antecedens autem probatur ex verbis ipſius Bullę Cruciatæ, vt poſſit (ait Bulla Cruciata) elligere Confeſſarium, &c. & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum plenariã indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, iterum in articulo mortis obtinere. Ex quibus verbis clare colligitur hanc indulgentiam conditionaliter concedi media ſcilicet confeſſarij applicatione: ergo nullus, qui non ſit Sacerdos poteſt hanc indulgentiam in mortis articulo applicare.

68 In eiſdẽ probationibus coincidit probatio in fauorẽ huius ſententiæ quam adducit D. Carolus Latius loco ſuperius citato, qui hanc ſententiam ita probat: quia quamuis relaxatio pœnæ non ſit actus ordinis, ſed ſolius iuriſdictionis: attamen talis iuriſdictio à nemine exerceri poteſt, neque per accidens, niſi ab illlo, cui Summus Pontifex illam delegauerit; atqui Summus Pontifex ſoli Confeſſario approbato concedit: ac delegat poteſtatem applicandi hanc indulgentiam: ergo nullus alius non Sacerdos neque ex Sacerdotibus, qui non ſit approbatus ad confeſſiones audiendas poterit hanc indul-

gen-

gentiam applicare etiam in articulo mortis, & multo minus laicus.

69 Secunda, & vera ſententia affirmat poſſe. Clericum tonſuratum in abſentia Sacerdotis hanc plenariam Bullæ indulgentiam in articulo mortis infirmo moribundo applicare, & deficiente Sacerdote, & Clerico tonſurato poſſe laicum illam applicare: ita Ioānes Vallerus in differentia vtriuſq; fori verbo abſolutio differētia 13. n. 3. Hēriquez lib. 3. de pœnit. cap. 9. num. 4. & lib. 7. de indulgentijs cap. 6. num. 4. Trullench. in Bullā Cruciatę lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 19. num. 6. in ſecunda editione Thomas Leandrus in theſauro Sāctiſſimi Rоſarij cap. 12. §. 1. Martinus de San Ioſeph. in monita Confeſſariorum tom. 1. lib. 2. tract. 8. de indulgentijs num. 1. Quintanaduenas in Theologia morali to. 1. in Appendice tract. 9. dub. 5. n. 5. Reginaldus in Praxi Theologię moralis tom. 2. lib. 7. cap. 13. ſect. 5. num. 157. Machadus de perfecto Confeſſario tom. 1. lib. 3. par. 2. tract. 4. docum. 4. num. 3. Diana par. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatę reſol. 106. §. no tandū eſt etiā, & par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 133. in fine, & par. 5. tract. 12. reſol. 46. & par. 8. tract. 1. reſol. 92. §. ſed etiam affirmatiua ſententia, & par. 10. tract. 16. reſol. 10. Doctor D. Marcus Serio in expoſitione Bullæ Cruciatæ diſp. 1. difficult. 10. §. 8. quæſt. 13. num. 2. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 4. cap. 5. n. 17. citans pro hac ſententia Nauarrum notabili 30. de indulgentijs num 9. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 5. de Sacramento pœnit. diſp. 14. de indulgentijs queſt. 175. & 176.

70 Probatur noſtra ſententia vnico, & validiſſimo fundamento retorquendo ad hominem fundamentum contrariæ ſentētię: quia ex contextu Bullę Cruciatę colligitur non pertinere ad ſolum ſacerdotem approbatum applicare indulgentiam plenariam cōceſſam à dicta Bulla pro mortis articulo: ergo abſente Sacerdote poteſt illam applicare alter, qui non ſit Sacerdos: conſequentia ex antecedenti manifeſtè ſequitur: antecedēs autem vt probemus, præmittere opere prætium erit verba ipſius bullę, quę hęc ſunt, vt ijdem omnes, ac eorum ſinguli dicto anno durante quemcūque Presbyterum ſęcularē: vel cuinſuis etiam mendicantiū ordinum regularem ex ijs, qui ab Ordinario, & quoad regulares ſemel tantum approbati fuerint in Confeſſorem eligere, & ab eo quorumcumque peccatorum, ac cenſurarum eorum videlicèt, & earum, quæ Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bulla ſolita publicari in die Cęnę Domini continentur plenariam indulgētiā, & remiſſionē ſemel in vita; & ſemel in mortis articulo obtinere: quę verba ſic explicat Cōmiſſarius Generalis in Bulla vulgari Italica, che poſſano eligerſi vn Cōfeſſore qualunque Sacerdote ſecolare, ò regolare delli approbati per l'Ordinario il quale poſſa aſſoluere loro vna volta in vita, è vn'altra nell'articulo della morte qualſiuoglia ſorte di peccati, e cenſure: bēche ſiano delli reſeruati, e reſeruate alla Sede Apoſtolica, e delli dichiarati nella bulla in Cęna Domini, eccetto del crimine del delitto dell'hereſia, e che cōſeguano, et habbino indulgēza ple-

plenaria di quelli, et in bulla vulgari hyſpana che puedean elegir confeſſor che los puedan abſoluer vna vez en la vida; y otra en el articulo della muorte de qualchiera peccados, etc. que conſiguan y ayan plenaria indulgentia dellos. vbi notat Pater Quintanaduènas in theolog. moral. tom. 1. tract. 9. du. 3. num. 1. non dicit que les pueda cõceder ò applicar la indulgentia; ſed quòd ij eam conſequantur, & in latina eumdem ſenſum efficit verbum, obtinere, et ly, ab eo cadit ſuper abſolutionum tantum, non ſuper lucrationem indulgentiæ, quibus ita prẹmiſſis.

71 Probatur antecedens noſtri fundamenti; quia applicatio indulgentię plenariæ Bullę Cruciatę in articulo mortis nõ dependet eſſentialiter ab abſolutione ſacramẽtali peccatorum; neque habet connexionem eſſentialem cum illa: ergo ex cõtextu Bullę Cruciatæ rectè colligitur non pertinere neceſſariò dictam indulgentiam applicare ad ſolum Sacerdotem in actu confeſsionis pro articulo mortis: probatur antecedens: quia quãdo aliqua res depẽdet eſſentialiter ab alia: vel habet connexionem eſſentialẽ cum illa non poteſt dari: neque exiſtere talis res: niſi prius detur, & exiſtat illa, à qua eſſentialiter dependet; vel cum qua connexionem habet eſſentialem: atqui indulgentia plenaria, quãm Bulla Cruciatæ cõcedit pro articulo mortis poteſt applicari in dicto articulo, abſq; eò quod præcedat confeſsio ſacramẽtalis peccatorum, vt in caſu, quo infirmus antea confeſſus fuiſſet ſua peccata legitimo Confeſſario, aut non habeat conſcientiã peccati mortalis: ergo applicatio indulgentię plenariæ Bullæ Cruciatæ in articulo mortis non dependet eſſentialiter ab abſolutione ſacramentali peccatorum: neque cum illa connexionem eſſentialem habet. Maior eſt primũ principium methaphyſicæ: minor autem communiter conceditur à Theologis moralibus, & illam concedit Pater Ludouicus à Cruce loco ſuperius citato nu. 6. per hæc verba: nam ſicut virtute bullæ poteſt extra confeſsionem commutare vota, & abſoluere à cenſuris, vt ſupra oſtendimus, ita, & impẽdere indulgẽtiã, erit tamen neceſſarium, vt talis confeſſus fuerit alteri, vel propoſitum confidendi habeat: ita ille. Etiam dictam minorem concedit Pater Magiſter Barnaba Gallegus vbi ſupra duda 109. in fine vbi poſtquam refert verba Bullæ Latinæ, ſcilicet conceditur, vt poſsint eligere quemcũque Præsbyterum ſæcularem, ſeu Regolarem ex approbatis ab ordinario, & ab eo poſſint abſolui, &c. & plenariam indulgentiam ſemel in vita, & in articulo mortis obtinere, & in illis notat illam particularem, ab eo affirmans ex ea ſequi Bullam loqui de Confeſſario actu exercente ſuam iuriſdictionem media abſolutione Sacramentali in actu Sacramentalis cõfeſſionis: immediate ſubdit, alio modo loqui debere de indulgentia plenaria concedenda in articulo mortis, quæ poteſt applicari infirmo extra confeſsionem Sacramentalem, vt in ipſa Bulla conceditur clauſ. 10. Vnde non video, quomodo hæc doctrina cohereat cum alia, quæ ipſe Gallegus dixit antea in eadem duda explicando verba Bullę Cruciatę ſuperius relata: inquit enim prẹfatus Doctor, quod in prædictis ver-

verbis Bullæ, ſcilicet, & ab eo poſſint abſolui, &c. & plenariam indulgentiam ſemel in vita, & in articulo mortis obtinere Summum Pontificem ſimul coniungere hæc duo, nempe confeſsionem, & abſolutionem peccatorum, & applicationem plenariæ indulgẽtiæ. Ex quibus hanc conſequentiã infert; ergo ſi pro abſolutione peccatorum neceſſario requiritur, vt præcedat Sacramẽtalis confeſsio etiam debet præcedere confeſsio Sacramentalis ad applicationem indulgentiæ plenariæ Bullæ, ex eo quod illa particula, ab eo, denotat Confeſſarium actu adminiſtrantem pœnitentię Sacramentũ per Sacramentalem abſolutionem. Verum enim verò non video quomodò poſſe cohærere hęc duo, & quod neceſſariò in articulo mortis debeat applicari indulgentia plenaria Bullę infirmo in ipſo actu Sacramentalis pœnitentię, & quod poſsit dicta indulgentia in articulo mortis poſsit applicari infirmo extra Sacramentalem confeſsionem, cum ſint doctrinę contrariæ inter ſe, vt ex ipſis manifeſtè patet. Ergo cum certum ſit, quod applicatio indulgentię plenariæ in mortis articulo poteſt fieri extra pœnitentię Sacramentum, vt concedunt prędicti DD. ergo poterit illam applicare in defectu Sacerdotis Clericus tõſuratus, cum communicatio dictę indulgentię nõ ſit actus ordinis: ſed actus iuriſdictionis, & ſicut ob hanc rationẽ poteſt Clericus tonſuratus in articulo mortis aliquem abſoluere à cenſuris, vt in loco ſacro ſepeliri valeat, vt eſt communis Doctorum opinio ita ſimiliter poterit in abſentia Sacerdotis applicare alicui in mortis articulo indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatę: ne infirmus abſque applicatione dictæ plenariæ indulgentię è vita diſcedat. Et ſicut ſaltem probabiliter dicitur quod in defectu Sacerdotis, & Clerici tonſurati poteſt Sæcularis, ſeu laicus in articulo mortis abſoluere à cenſuris: ita ſimiliter æque probabiliter poterit in dicto caſu indulgentiam plenariam Bullę moribũdo applicare, vt docent Nauarrus, Valerus, Reginaldus, Trullench, Machadus, & Diana locis ſuperius relatis, & Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramẽto dict. diſp. 14. de indulgent. & ſuffragijs. queſt. 176.

72 Ad Fundamenta oppoſitę sẽtentię, quę omnia in vnũ coincidunt, reſpondetur, negando, intentionem Summi Pontificis eſſe, vt ſolus Sacerdos ab Ordinario approbatus poſſit in mortis articulo indulgentiam plenariam Cruciatæ Bullæ applicare: quia ſi in illis verbis bullę: ſcilicèt conceditur, vt poſſint eligere quemcumque Præſbyrerum ſæcularem, aut regularem, ex approbatis ab Ordinario, & ab eo, quorumcumque peccatorũ etiam cenſurarum, etiam Sedi Apoſtolicę, & in Bulla Cænę Domini reſeruatorum, & reſeruatarum plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo obtinere. Intentio Summi Pontificis eſſet (vt volunt DD. oppoſitæ ſententiæ) quòd ſolus Sacerdos ab Ordinario approbatus poſſit in dicto mortis articulo dictam plenariam Bullę indulgentiam applicare, & nullus alius ſequeretur, quod in dicto mortis articulo non poſſet ſimplex Sacerdos non approbatus ab Ordinario dictam plenariam bullæ indulgentiam applicare: atqui hoc eſt contra communem cõ-

ſen-

ſenſum Doctorum, qui non obſtantibus prædictis verbis Bullę affirmant: quod in articulo mortis quilibet ſimplex Sacerdos poteſt prædictam bullæ indulgentiam applicare cum in dicto articulo quilibet ſimplex Sacerdos ſit verè, & proprius Confeſſarius habens iuriſdictionem ab Eccleſia: ergo falſum eſt, quòd intẽtio Summi Pontificis in ſupradictis Bullæ Cruciatę verbis ſit, quod ſolus Sacerdos approbatus ab Ordinario in articulo mortis poſsit dictam indulgentiam cõcedere, & nullus alius. Nec cõtra hoc facit id, quod aſſerit Pater Barnaba Gallegus: ſcilicet, quod Summus Põtifex in dictis verbis Bullæ ſimmul coniungit abſolutionem Sacramentalem peccatorum, & applicationem plenarię indulgentiæ: nam licèt hoc conuincat, quod extra articulum mortis ſolus Sacerdos ab Ordinario approbatus poſſit dictam bullæ indulgentiam applicare: non tamen conuincit pro articulo mortis: quia ex hoc ſequeretur, quod dicta indulgẽtia non poſſet in mortis articulo extra confeſſionem ſacramentalem applicari, quod eſt falſum, vt fatetur ipſe Magiſter Gallegus dicta duda 109. ergo cum ex vna parte habeamus, & quod ex dictis verbis Bullæ nõ colligatur certè, quòd ſolus Sacerdos ab Ordinario approbatus debeat in articulo mortis dictâ Bullæ indulgentiam applicare, & quod dicta indulgẽtiæ applicatio in mortis articulo poteſt fieri extra ſacramentalem confeſſionem, & ex alia quod relaxatio pœnæ nõ ſit actus Ordinis: ſed iuriſdictionis rectè ſequitur, quod non requirit Sacerdotium, ſicuti ob eãdem cauſsam, vt ſupra, diximus neque abſolutio à cenſuris: vnde deficiẽte Sacerdote videtur poſſe à non Sacerdote, & etiam Laico hanc indulgentiam applicari

RESOLVTIO VIII.

Vtrum indulgentia plenaria, quã Bulla Cruciata concedit pro mortis articulo poſſit à Confeſſario etiam in periculo mortis applicari?

73 PRima ſentẽtia affirmat indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ poſſe applicari à Confeſſario non ſolum in articulo mortis: ſed etiam in mortis periculo. ita Pater Magiſter Barnaba Gallegus in expoſitione bullæ Cruciatæ cap. 9. clauſula 9. duda 106. vbi pro hac ſententia citat Trullench. in expoſitione Bullæ Cruciatę lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. & Patrem Andream Mẽdo in Bullam Cruciatæ diſp. 27. cap. 3. Machadum lib. 3. par. 2. tract. 4. documento 4. ſed Trullench in dict. dub. 4. non loquitur de applicatione indulgentię Bullæ Cruciatæ in periculo mortis, ſed de abſolutione à caſibus reſeruatis in dicto periculo virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ. Pro contraria ſententia citat Pater Magiſter Barnaba Gallegus Doctorem D. Marcum Serio, in quodam §. qui habetur apud dictum Magiſtrum Gallegum in dicta expoſitione Bullæ Cruciatæ in fine Indicis dicti libri folio mihi 234. immeritò tamen quia neque vnum verbum loquitur Doctus D. Marcus Serio in toto ſuo tractatu de bulla Cruciatæ; ex quo colligi poſſit ipſum ſtare pro contraria ſententia: imo potius videtur pro hac ſententia ſtare: nam in dicto tractatu de expoſitione Bullæ diſp. 1. difficult.

cult. 10. quæſito 11. vbi inquirit an virtute Bullæ Cruciatę poſſit quis in mortis articulo abſolui à reſeruatis Papæ affirmat cum Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 26 ſect. 4. num. 3. quod pro articulo mortis quantum ad effectum obtinendi abſolutionem à caſibus reſeruatis, de quibus Bulla Cruciata loquitur debet etiam intelligi periculum mortis per hæc verba. Semper mihi placuit id, quod aſſerit Suarez tom. 4. diſp. 26. ſect. 4. num. 3. ſcilicet verius eſſe per mortis articulum quoad hunc effectum abſoluendi à reſeruatis, de quo loquitur noſtra Bulla intelligi etiam periculum, & pro eodem ſumi articulum, et periculum mortis. Et poſtea num. 5. aſſerit. Quoties vero quis in huiuſmodi articulo, vel periculo mortis abſolutus eſt à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & lucratus eſt plenariam indulgentiam, ſi de eo naturaliter: vel per miraculum à morte liberetur nõ poſſe iterum plenariam indulgẽtiam lucrari docet Manuel §. 9. dub. 3. num. 28. En quomodo D. Marcus Serio ſtat pro hac ſententia, et non pro contraria, vt male iudicat Pater Magiſter Gallegus. Caſtropalus part. 4. tract. 24. diſp. vnica punt. 4. num. 12. D. Carolus Latius in expoſitione Bullæ Cruciatæ diſp. 4. quæſt. 5. difficult. 3. nu. 9. quæ ſententia probabilis eſt.

74 Fundamentum huius ſententiæ eſt quia in iure canonico pro eodem vſurpatur articulus mortis, et periculum mortis: ergo ſi Bulla Cruciatæ concedit facultatem Confeſſarijs applicandi plenariam indulgentiã in mortis articulo: etiam illam concedit in mortis periculo: conſequentia ex antecedenti videtur ſequi, et antecedens probatur ex capite ſi quis ſuadente Diabolo decimo ſettimo queſt. 4. vbi Summus Pontifex Innocentius II. inquit: Si quis ſuadente Diabolo in huius ſacrilegij vitium: vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus inuxerit anathematis vinculo ſubijaceat, et nullus Epiſcoporum illum preſumat abſoluere: niſi mortis vrgente periculo: donec Apoſtolico conſpectu præſentetur, et eius mandatum ſuſcipiat. Et libro decretalium cap. non dubium eſt de ſentẽtia excommunicationis tit. 39. Alexander 3. ſic inquit non dubium eſt, quod ij, qui violentas manus in Clericos, vel Canonicos, aut cuiuslibet Religionis conuerſos injciunt ex conſtitutione Concilij ſententiã excommunicationis incurrunt: nec niſi in articulo mortis ſine Romani Pontificis abſolutione poſſũt beneficium impetrare, et in 6. decretalium lib. 5. de ſententia excõmunicationis cap. eos, qui. dicitur eos, qui ſententia Canonis, vel hominis (cum ad illum, à quo alijs de iure fuerant abſoluendi nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro abſolutionis beneficio habere recurſum) ab alio abſoluuntur, ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento homini, ſe illi à quo is ceſſantibus abſolui debebant; quam citò commodè poterunt contempſerint preſẽtare, mandatum ipſius: ſemper illis, pro quibus excommunicati fuerant humiliter recepturi, et ſatisfacturi prout iuſtitia ſuadebit: decernimus (ne ſic cẽſurę illudant Eccleſiaſticę) in eamdem ſentẽtiam recidere ipſo iure: ergo in iure canonico pro eodẽ vſurpatur articulus, et periculũ mortis.

75 Secunda, et probabilior ſententia negat poſſe Confeſſarium plenariam indulgentiam Bullę Cruciatę conceſſam pro mortis articulo poſſit alicui applicari in mortis periculo: ita Henriquez lib. 6. de penit. cap. 9. in commentario littera N. vbi ſic ait, Bulla Cruciatæ concedit abſolui à cenſuris directè, & ſemel in vita, & iterum in articulo mortis: aliàs bulla nihil daret hinc Syluester de indulgentijs §. 10. verſiculo 2. ſupplemento 4. diſt. 41. dub. 1. & Diuus Antoninus fatentur ſatis eſſe articulum mortis præſumptum, vt ſic abſoluatur directè à peccatis, & cenſuris quòd vero Bulla hyſpana addit, vt reſeruetur pro vero articulo loquitur de indulgẽtia plenaria. Nauarrus in manuali cap. 26. n. 31. & lib. de oratione par. 2. miſcellaneo 27. num. 36. Pater Antoninus Diana par. 1. tract. 11. reſol. 109. & par. 5. tract. 3. reſolut. 59. vbi inquirit an ſolum exiſtentes in articulo mortis: ſed etiam in periculo poſſint abſolui à quocumque Sacerdote ab omnibus caſibus? poſtquam refert ſententiam negatiuam Soti, & aliorum reſpondet, ſed affirmatiua ſentẽtia tenenda eſt, quam tuetur Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 6. Corollareo 3. nu. 92. licet immeritò me citet pro negatiua ſententia: nam ego in loco à me ipſo citato nõ loquor, vt legenti patet de abſolutione à cenſuris, & reſeruatis, ſed de applicatione indulgentiarum, quas modo etiam teneo nõ poſſe applicari in periculo mortis, quod etiam aduertit Pater Antonius Auſonius Noctinocin re copilatione ſummæ Dianæ verbo Bullę Cruciatę per hęc verba aduerto 1. quod indulgentia cõceditur tantum pro articulo: nõ periculo mortis. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullę Cruciatę part. 2. tract. 6. cap. 6. ſect. 2. nu. 17. Trullench in premio ad expoſitionem Bullę Cruciatę dub. 4. concluſ. 3. num. 7.

76 Probatur hęc ſententia: quia quotieſcumque habemus ſufficiens fundamentum ad ampliandum, & extendendum priuilegiũ fauorabile illud debemus ampliare, & extendere, & quotieſcumque habemus rationem ſufficientem ad illud reſtringendum tenemur illud reſtringere: atqui licèt habeamus ſufficiens fundamentum ad ampliandum priuilegium Bullę Cruciatę circa abſolutionem à caſibus reſeruatis, & cenſuris, vt intelligatur non ſolum pro articulo; ſed etiã periculo mortis: tamen nullum habemus ad ampliandum illud, quoad applicationẽ plenarię indulgentię, vt intelligitur, nõ ſolũ pro articulo, ſed etiã pro periculo mortis: imò habemus fũdamẽtum efficax ad reſtringendum dictum priuilegium Bullę Cruciatę de applicatione indulgentiæ plenariæ ad ſolũ mortis articulum: ergo licet virtute priuilegij Bullę Cruciatę poſsit Confeſſarius aliquem à peccatis reſeruatis, & cenſuris abſoluere: non ſolum in articulo; ſed etiam in periculo mortis non poterit indulgentiã plenariam Bullę applicare: niſi tantum in articulo mortis. Maior ex ſe eſt manifeſta, & à nemine negatur, minor verò quoad primam partem conceditur, etiã à Doctoribus oppoſitę ſententię: quoad ſecundam vero partem probatur, tum ab extrinſeco authoritate Doctorum, nam eam docent Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 30. num. 8. vbi inquit indulgentię actus quatenus per abſolutionem liberat à pręcep-

cepto pœnitentię iniunctę eſt ſtrictè interpretandus, & in quãtitate, aut duratione temporis, vt non plus valeat quam ſonat. Reginaldus lib. 7. cap. 13. ſect. 5. n. 156. Trullench. loco ſuperius citato, & plures alij: ergo cum Bulla Cruciatę concedat plenariam indulgentiam pro articulo mortis, & Commiſſarius Generalis dictę Bullę in traditione vulgari Bullæ Cruciatæ tã Italicã: quam hyſpanica explicet illa verba pro vero, & reali articulo mortis, non debemus illa extendere ad periculum mortis, tum etiam ratione probatur eadem ſecunda pars eiuſdem minoris, nam licet indulgentia ſit fauorabilis reſpectu eius cui conceditur, eſt tamẽ ex ſe odioſa, & continet quamdã diſpenſationem in iure diuino in præcepto ſatisfaciendi, atqui diſpenſatio contra ius commune, & in fauorem certæ perſonæ conceſſa ſtrictè eſt interpretanda, & non extendenda vltra propriam verborum ſignificationẽ & naturam, quia actualis diſpenſatio exorbitat à iure communi: lex autem, quę omnibus eſt ęqua ſi ius commune lædat ipſum corrigens eſt odioſa, & valde reſtringenda regula, quæ à iure de regulis iuris in 6. ergo cum eneruetur per indulgentiarum conceſſionem pœnitentialis ſatisfactio tantopere vtilis, & ad quam tanto nos ſtudio Eccleſia inuitat per tot canones pœnitentiales, & per ieiunij quadrageſimalis, quatuor temporum, & vigiliarum impoſitionem ſub pęna peccati mortalis indulgentiam plenariam Bullę Cruciatę ſtrictè debemus interpretare, vt verba ipſius Bullæ ſonant, & non illa ampliare vltra eorum ſignificationem, & naturam: atqui Bulla Cruciatæ plenariam indulgentiã concedit pro articulo mortis: ergo debemus hoc reſtringere, & ſtrictè interpretari pro ſolo, vero; & reali articulo mortis. Deindè quia vt bene docet Trulench. loco ſuperius citato cum indulgentiam concedens ſoluat de alieno alterius debita præſumi debet id potius facere parce, quam effuſe ne cenſeatur potius diſſipator, quam bonorum Domini ſui fidelis diſpenſator. Vnde indulgentia conceſſa pro iniunctis nõ extenditur ad infungendas, & conceſſa plena, non extenditur ad pleniſſimam, atqui Summus Pontifex ex Theſauro Eccleſiæ concedit fidelibus ſumentibus Cruciatam bullam plenariam indulgentiam ſuorum peccatorum pro mortis articulo media qua ſatisfaciant pœnis Purgatorij debitis pro ſuis peccatis, ergo debemus præſumere dictam indulgentiam plenariam concedere Summus Pontifex tãtum pro vero articulo mortis, & non debemus eam extendere ad mortis periculum.

77 Ad fundamentũ oppoſitę ſententiæ reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam: nam cum priuilegiũ abſoluendi à peccatis, & cenſuris reſeruatis ſit omni ex parte fauorabile, debemus illud extendere & ampliare iuxta communem regulam iuris, fauores ſunt ampliandi: odia vero reſtringenda, & ſic poteſt Confeſſarius abſolue re pœnitentem virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ à caſibus, & cenſuris reſeruatis: non ſolum in articulo vero, & reali mortis, ſed etiam in probabili periculo mortis: at vero indulgẽtia plenaria, cum quamuis ſit fauorabilis reſpectu eius cui conceditur, ſit ex ſe odioſa in quantum continet quamdam diſpenſationem in

iure diuino, & præcepto ſatisfaciendi, vt ſupra probauimus: ideò ſtrictè eſt interpretranda pro vero mortis articulo, & non extẽdenda, & amplianda ad morris periculum.

RESOLVTIO IX.

Vtrum vigore Bullæ Cruciatæ poſſit illam habens abſolui ab vnoquoq; caſu reſeruato quouſque abſoluatur ab omnibus ab vnoquoque tamen ſemel durante anno publicationis Bullæ Cruciatæ?

78 AFfirmatiuè reſpondet Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 4. tract. 2. de excommunicat. diſp. 17. quæſt. 82. affirmans poſſe pœnitentẽ vigore priuilegij Bullę Cruciatę, quod obtinuit abſolui à Confeſſario ab ipſo electo ab vnoquoque caſu Pontifici reſeruato: donec abſoluatur ab omnibus, dummodo ab vnoquoque in ſpecie ſemel tantum in vita intra publicationis annum abſoluatur vi eiuſdem Bullæ. Quare ſi quis incidat in peccatum ſimoniæ commiſſum in adeptione beneficij Eccleſiaſtici (quod eſt reſeruatum Summo Pontifici) & ab illo vi Bullæ Cruciatę abſoluatur, ſi poſtea incidat in alium ſpecie diuerſum caſum Pontifici reſeruatum, optimè poterit dictus Simoniacus abſolui virtute eiuſdem Bullæ ab iſto caſu Papali ſpecie diuerſo à primo, & ſic à cęteris peccatis ſpecie diuerſis: ſemel tantum in vita, in qua tamen nunquam bis ab eodẽ in ſpecie peccato.

79 Probat 1. Pater Leander ſuam ſententiam: quia priuilegium illud, per quod concedit Summus Pontifex poteſtatem circa abſolutionem à caſibus: ſcilicet reſeruatis: cum ſit fauor Principis ſine alicuius præiuditio, & opus liberalitatis, & clementię eſt latè interpretrandum: ergo ſi illa verba, & limitatio bullę: nempè de ſemel à reſeruatis Pontifici abſoluendo intelligi poſſunt modo ſuperius explicato; talis ſenſus; vt potè fauorabilior eſt amplectendus.

80 Nec valet ſi cũ Patre Franciſco Bardi aliquis reſpondeat ad hoc argumentum: concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ſcilicet; quod prædicta verba Bullę intelligi poſſint in ſenſu ſuperius explicato: eòquòd ſenſus prædictus plane repugnet cum ipſiſmet verbis, quæ in bulla continentur; videlicet: quorumcumque peccatorum, & cẽſurarum Sedi Apoſtolicę reſeruatorum, & reſeruatarum remiſſionem ſemel in vita obtinere poſſint. Nam cum in his verbis Summus Pontifex clare limitet genus peccati reſeruati: non autem ſpeciem tantùm, vt exponitur in ſupradicta explicatione: ideò quamuis poteſtas abſoluendi à caſibus reſeruatis ſit fauorabilis, & latè exponenda: nõ tamen adeò, vt expoſitio, & ampliatio ſit vltra ſenſum, quem ipſa verba habere poſſunt.

81 Hoc inquàm nõ valet: nã nulla apparet ratio, qua ſuaderi poſſit, quod incompatibilis ſit prædicta explicatio cum verbis illis Bullæ quorumcumque peccatorum, & cenſurarum Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, & reſeruatarum remiſſionem ſemel in vita obtinere poſſint: imò potius cõpatibilis vti genuina: quia abſoluendo Confeſſarius pœnitentẽ nõ bis, ſed ſemel à quocũque peccato reſeruato ſpecie ab alio diuerſo etiam ſi id faciat per itera-

tas

tas absolutiones planè verificatur, quod pœnitens semel obtineat quorumcumque peccatorum reseruatorum absolutionẽ, & remissionem cum non bis: sed semel dumtaxat ab vno in specie peccato reseruato remissionem obtineat; ergo compatibilis est prædicta Bullæ explicatio cum eiusdem verbis bullæ.

82 Secundo probat: quia pœnitens si confiteretur in vna eadẽque confessione plura peccata reseruata Pontifici specie diuersa posset simul, & per vnicam absolutionẽ absolui ab omnibus virtute clausulę dictę Bullę Cruciatæ: ergo similiter poterit absolui ab eisdem sigillatim, & seorsim per plures, & iteratas absolutones; antecedens conceditur à Doctoribus oppositæ sentẽtiæ, & consequentia probatur: quia per illum modum absoluẽdi à dictis peccatis reseruatis specie diuersis nihil amplius priuilegium extenditur ex parte rerum concessarum, vt constat: ergo sicut potest pœnitẽs absolui per vnam absolutionem à multis peccatis reseruatis Summo Pontifice specie diuersis simul confessis: ita poterit à quolibet peccato reseruato specie diuerso semel in vita per iteratas confessiones absolui.

83 Tertio probat: quia si suprадicta explicatio priuilegij Bullæ Cruciatę, quoad facultatem absoluendi à reseruatis non esset vera: sequeretur, quod is, qui in plura incidisset peccata Papę reseruata maiori frueretur priuilegio, & fauore: quã alius, qui in paucioria: atqui hoc videtur alienũ à iustitia distributiua, & ratione: ergo, & illud, ex quo sequitur: sequela probatur: quia si quis cõmitteret omnia peccata Papę reseruata, & pœnitentia ductus ab omnibus absoluetur vi Bullę Cruciatę per vnicum Sacramẽtum maiori esset condecoratus priuilegio: quam alius, qui semel in vnicum incidisset reseruatum: & postquam vigore Bullæ fuisset per confessionem ab eo absolutus: statim in aliud vnicum alterius speciei reseruatũ incideret, si ab hoc per nouam confessionẽ absolui vi eiusdem Bullæ nequiret: si quidem ille, ab omnibus reseruatis Papę absolutus foret vi Bullę: hic verò posset ab vnico tantum, quod non solum menti Pontificis, euiusque pietati oppugnare videtur: verum etiam rationi, vt constat; ergo &c.

84 Quarto probat, quia ex opposita sententia sequeretur, quod si quis sciret, quod semel absolutus à reseruato etiam vnico non posset iterum ab alio distincto in specie: saltem vi eiusdem Bullæ absolui minime vellet ad confessionem statim ac in reseruatum incideret accedere: sed consulto spectaret ad hoc, vt si fortè ob fragilitatem carnis in alia reseruata incideret ab omnibus simul posset per vnicum Sacramentum absolui, ne aliàs adstringeretur, vel ad sumendam Bullam, vel ad aliud inquirendum remedium: atqui hoc est maximum inconueniens: vtpotè redundans in præiuditium animarum, eas ad salutem spiritualem inquirendam retardans: ergo piè credendum est non esse mentem Pontificis illam explicationem, quam contraria sententia affert sed illa, quam superius fuit dicta.

85 Secunda, & vera sententia negat, quod si quis incidat in casum Papæ reseruatum, & ab eo absoluatur virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ, & postea incidat in casum alium Papalem specie distinctum à primo, posse virtute illius

Bul-

Bullæ Cruciatæ ab illo ſecundo caſu abſolui, & ſic de cęteris caſibus Papæ reſeruatis ſpecie diuerſis, ſi in illas incidat durante anno publicationis dictæ Bullæ, quia particula ſemel in vita cadit ſupra abſolutionem vt ſic, & genus peccatorum reſeruatorum, & nõ ſupra eorum ſpecies: ita vt ſit ſenſus, quod quęlibet ſpecies reſeruatorũ poſſit ſemel in vita, & in morte abſolui vi vnius, & eiuſdem Bullæ intra tamen annũ durationis eiuſdem Bullæ, vt cõtra communem Doctorum ſententiam ly ſemel explicat Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento vbi ſupra: ita cum communi Doctorum ſententia tenent Villalobos tom. 1. ſummæ tract. 27. de Bulla Cruciatæ clauſula 9. §. 2. num. 5. Trullench. in expoſitione Bullę Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3. num. 2. Ludouicus à Cruce de expoſitione Bullę Cruciatę diſp. 1. cap. 3. dub. 13. num. 3. Petrus de Ledeſma tom. 1. ſummæ tract. de pœnit. cap. 13. dub. 1. concl. 2. Moura in examen Theologiæ moralis par. 3. cap. 9. §. 9. num. 1. Rodriqnez in expoſitione Bullæ Cruciatæ §. 9. dub. vnico num. 35. Diana par. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatæ reſolut. 18. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. 1. ſect. 1. num. 6. & in 2. editione in additione ad dictam ſectionem num. 9. contra Patrem Leandrum à Santiſſimo Sacramento D. Carolus Latius in dilucidatione Bullę Cruciatæ diſ. 6. quæſt. 1. difficultate 14. n. 69.

86 Probatur primo hæc ſententia à Trullench. vbi ſupra ex verbis ipſius Bullæ Cruciatæ, videlicet conceditur, vt poſſint eligere quemcumque Preſbyterum ſecularem: aut regularem ex approbatis ab Ordinario, et ab eo quorumcumque peccatorum, et cẽſurarum Sedi Apoſtolicę, et in Bulla Cęnę Domini reſeruatorũ, et reſeruatarum plenariam indulgentiam, et remiſſionem ſemel in vita: et ſemel in mortis articulo obtinere: atqui ſenſus iſtorum verborum manifeſtè videtur eſſe, quod ly ſemel in vita poſſint obtinere remiſsionem cadat ſupra abſolutionem, vt ſic: ac genus peccatorum, et non ſupra eorum ſpecies, vt vult oppoſita ſententia: ergo ſemel abſolutus in vita ab vno caſu papali, ſi poſtea incidat in alium ſpecie diuerſum non poterit ab illo abſolui virtute eiuſdem bullę: probatur minor: quia non videtur quomodo prędicta verba bullę pati queãt aliam interpretationem, vel extenſionem: nam poſſe ſemel in vita abſolui à reſeruatis Papę planè ſignificat ſemel dare, vel recipere abſolutionem: ergo ſemel per vnum Sacramẽtũ fieri debet, non autem per plura, aliàs enim ſi ab vno hodiè, et ab alio ſequenti die quis abſoluatur: iã non ſemel tantum, ſed bis abſolueretur à reſeruatis, vel à reſeruato, quod nullo pacto bulla cõcedit, quod colligitur apertè ex indulto, quod habetur in bulla latina. quo Gregorius 13. concedit, vt poſsimus ſecundam bullã accipere, et iterum frui priuilegio abſoluendi à reſeruatis ſemel in vita, et ſemel in articulo mortis, etenim ſi ratione vnius bullę intra annum per vnam, aut plures cõfeſſiones abſolui poſſumus ab omnibus: vel ſingulis reſeruatis, non erat cur concederet Gregorius nouum indultum, et nouam à peccatis Papę reſeruatis abſolutionem.

87 Sed hæc probatio non videtur conuincere contra Patrem Leandrum à ſanctiſsimo Sacramento

ro; quia ille facile reſpondet, negando minorem, et ad eius probationem dicendo, quod licèt aliquis non poſſit, niſi ſemel à reſeruatis Papę abſolui: hoc eſt intelligendum de reſeruatis eiudẽ ſpeciei: non autem de peccatis ſpecie diuerſis, neque ex hoc ſequitur, quod ſi aliquis ab vno peccato hodiè Pontifici reſeruato abſoluatur, et ab alio ſpecie diuerſo ſequenti die abſoluatur; quod bis à reſeruato abſoluatur, ſed ſemel tantum, cum ab vnoquoque ex illis in ſpecie nõ poſſit vlterius abſolui virtute illius Bullæ, licèt bene à quocumque alio ſpecie ab illis diuerſo, ſeu diſtincto, cum verba Bullę ſemel in vita remiſſionẽ valeant obtinere, cadãt ſupra ſpecies, et non ſupra abſolutionem, et genus peccatorum. Ad id autem, quod addit Trullench. in dicta probatione, ſcilicet, quod ſi ratione vnius Bullę poſſit quis abſolui ſemel à ſingulis reſeruatis ſpecie diuerſis non erat cur Gregorius 13. concederet, vt poſſit quis ſecundam Bullam accipere; vt iterum poſſet ſemel abſolui à reſeruatis Papæ. Reſpondet dictus Pater Leander à Sanctiſsimo Sacramento non ideò eſſe ſuperuacaneum: quia reuerà effectũ habebit: quãdo quis incidat in eũdem ſpecie caſum, à quo ſecunda vice non poſſet vi primæ Bullæ abſolui, et ideo indultum de ſumenda bulla videtur maximę fauere fidelibus.

88 Secundo, et melius probatur noſtra ſententia: qnia licèt priuilegium fauorabile, quando neceſſitas cogit ſit latè interpretandum: tamen interpretratio non debet eſſe talis, vt ſit vltra ſenſum, et naturalem ſignificationẽ verborum priuilegij fauorabilis, vt communiter DD. concedunt; at qui priuilegium Bullæ Cruciatæ de abſolutione à reſeruatis cõtentum in illis verbis *Bullæ*, ſcilicet conceditur, vt poſſint eligere quemcumque Præsbyterum ſæcularem, aut regularem ex approbatis ab Ordinario, & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum: etiam Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cænæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo obtinere: licèt ſit fauorabile: nulla adeſt neceſſitas, quæ nos cogat ad illud interpretrandum: ita latè vt interpretatur à cõtraria ſentẽtia: præcipuè cum talis interpretatio, & extenſio ſit vltra ſenſum, & naturalem ſignificationem verborũ: ergo cum Pontifex limitet confeſſionem hanc, reſtrictio immediate afficiat abſolutionem, & genus peccati, non poſſumus abſque extorſione verborum, & sẽſus ſubſtituere tanquam immediatum ſubiectum reſtrictionis ſpeciem peccatorum, & tollere genus: de quo eſt immediata locutio: cum facultas abſoluendi cõcedatur in ordine ad genus: nẽpè ad peccata, & cenſuras, quæ Sedi Apoſtolicæ ſunt reſeruatæ: peccata enim ita reſeruata immediatè important genus, & non ſpecies, niſi mediatè: ergo reſtrictio modificans cõceſſionem fertur in illud ipſum ſubiectum, in quod fertur ipſa conceſsio, vt de ſe patet: ac proindè explicatio prædictorum verborũ Bullæ data à contraria ſententia nõ poteſt adaptari ipſis verbis. Maior eſt per ſe nota, & minor probatur: quia ſi Sũmus Pontifex intellexiſſet in dictis verbis facultatẽ concedere, vt poſſet quis ſemel in vita abſolui à quocumque caſu Pontifici reſeruato ſpecie diuerſo,

o; ita vt ly ſemel caderet ſupra ſpeciem peccatorum, & non ſupra genus immediatè debuiſſet alio modo in dicto bullæ priuilegio loqui; nam debuiſſet ſic dicere (vt bene notat Pater Franciſcus Bardi dicta ſect. 1. num. 8.) & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, & reſeruatarum indulgentiam, & remiſsionem obtinere: ita vt ab eodem peccato, & cenſura ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo abſoluatur, &c. ergo cum hoc pacto non loquatur: ſed abſolutè dicat quorumcumque peccatorum, & cenſurarum remiſsionem ſemel in vita obtinere poſsit: videtur clarè prædictam limitationem immediatè afficere genus peccati, & non ſpeciem tantum; atque adeò ampliare, & interpretare dictam limitationem, vt afficiat ſolum ſpeciem peccati eſt extendere verba priuilegij Bullæ vltra ſenſum, & naturalem ſignificationem verborum: nimirum illam, quæ ex communi hominũ vſu eſt recepta, quod facere non licet.

89 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur ſolutione ibi data, ex doctrina Eruditi Patris Franciſci Bardi; ad id autem, quod in contra arguit Pater Leander à Sanctiſsimo Sacramento reſpondeo negãdo antecedens, & ad probationem ibi incluſam dicto, quod licèt ſi Cõfeſſarius abſolueret pœnitẽtẽ ſemel per repetitas abſolutiones à diuerſis ſpecie peccatis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis: verificaretur, quod ſemel tantum in vita pœnitens eſſet abſolutus ab vnoquoque illorum peccatorum ſecundum ſpeciem: nihilominus iſte modus abſoluendi non eſt licitus Confeſſario, quia eſt contra voluntatem Summi Pontificis concedentis prædictum priuilegium abſoluendi à reſeruatis ſemel in vita, cũ limitatio facta à Summo Põtifice in dictis bullæ Cruciatę verbis cadat ſupra abſolutionem, vt ſic, & genus dictorũ peccatorũ, & non ſupra ſpecies tantum, vt oſtendimus ſupra in ſecunda probatione noſtræ ſententiæ, & ita explicatio dictorũ verborum tradita à Patre Leandro eſt incompatibilis cum dictis verbis Bullæ Cruciatę, cum ſit illa ampla interpretratio ipſius Leandri vltra ſenſum, & naturalem ſignificationem dictorum verborum, vt in dicta ſecundo ſecunda probatione in fauorem noſtræ ſententiæ diximus.

90 Ad ſecundum reſpondetur cõcedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis in vtroque caſu eſt: quia in primo caſu quando pœnitens in vna, & eadem confeſſione ſacramentali confitetur plura peccata Põtifici reſeruata ſpecie diuerſa, in quibus lapſus fuit & petijt a Confeſſario ab illis abſolui virtute priuilegij Bullæ Cruciatę nequit vnius abſolutionem obtinere, & non aliorum peccatorum, cum peccata mortalia quoad remiſſionem ſint inſeparabiliter connexa: ideoque, vt priuilegium nõ ſit inutile intelligi debet neceſſario de omnibus peccatis reſeruatis, quorum pœnitens eſt reus. In ſecundo verò caſu, ſcilicet quando pœnitens lapſus in vnum peccatum reſeruatum Summo Pontifici, poſtea quam ab eo abſoluitur virtute priuilegij Bullæ Bruciatę in aliud ſpecie diuerſum labitur peccatũ reſeruatum Summo Pontifici nõ poteſt ab illo apſolui vigore priuilegij eiuſdem Bullæ Cruciatæ, quia inter hæc peccata nulla eſt

con-

connexio, ſiquidem quando ſecundum committitur inuenitur primum extinctum vi antecedẽtis abſolutionis. Deinde quia cum limitatio illa ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo cadat ſupra abſolutionem, vt ſic, & ſupra genus peccatorum immediate, & non ſupra ſpeciem peccati, niſi tantum mediate, vt ſupra diximus, ideò ſi pœnitens poſtquam abſolutus fuit Sacramentaliter virtute priuilegij bullę Cruciatę ab vno peccato Pontifici reſeruato: poſtea ab alio peccato reſeruato ſpecie diuerſo ab ipſo commiſſo poſt abſolutionem primi à Confeſſario abſolueretur vigore priuilegij eiuſdem Bullæ deberent duo iudicia fieri, quod per Bullam non conceditur, cum limitatio illa ſemel in vita feratur in vnitatem iudicij Sacramentalis, & non in vnitatem peccatorum: aſſerere debemus mentem Summi Pontificis eſſe in verbis Bullæ Cruciatæ, vt Sacramentalis ſententia impendenda à Confeſſario vi eiuſdem Bullæ in ordine ad peccata ipſi Pontifici reſeruata ſemel tantum daretur; & ideo non eſt paritas inter vnum, & alium caſum.

91 Ad tertium argumentum reſpondetur: diſtinguendo ſequelam; ſequeretur, quod is, qui in plura incidiſſet peccata Papæ reſeruata maiori frueretur priuilegio, & fauore quam alius, qui in pauciora. extenſiue, & materialiter quoad fructum abſolutionis Sacramentalis pœnitentiæ concedo ſequelam, intenſiue, & formaliter nego ſequelam, nã ille, qui à paucioribus peccatis Pontifici reſeruatis in confeſſione abſoluitur vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ; licet extenſiue, & materialiter minorem percipiat fructum intenſiue tamen, & formaliter eumdem obtinet fructum, nempe vnicam abſolutionem à reſeruatis Summo Pontifici: quare neganda eſt minor: nam, vt ſupra diximus, intentio Summi Pontificis in conceſsione dicti priuilegij Bullę eſt; quod pœnitens ſemel tantum in vita per vnum dumtaxat Sacramentalis pœnitentiæ iudicium poſſit peccatorũ reſeruatorũ Sũmo Pontifici indulgentiã, & remiſsionẽ obtinere, vt in ſolutione præcedẽtis argumenti diximus.

92 Ad quartum argumẽtum reſpondetur primo, retorquendo illud in ſuũ Auctorẽ. nãvt ipſe fatetur, non poteſt pœnitens abſolutus ſemel vigore priuilegij Bullę Cruciatę ab vno peccato Põtifici reſeruato: poſtea ab alio abſolui peccato Põtifici reſeruato eiuſdem ſpeciei, ſi in illud lapſus fuerit virtute priuilegij eiuſdem Bullæ, qua doctrina iſtius Doctoris ſuppoſita ſic argumentor. ille, qui ſcit quod ſemel abſolutus ab vno peecato Pontifici reſeruato non poſſe iterum ab alio diſtincto eiuſdem ſpeciei peccato reſeruato abſolui vi eiuſdem Bullę, poteſt minimè vel le ad confeſsionem ſacramentalem ſtatim accedere pro abſolutione dicti peccati: ſed conſulto vult expectare ad hoc, vt ſi fortè ob fragilitatem carnis in alia reſeruata eiuſdem ſpeciei ei incidere contingat ab omnibus ſimul in vnico confeſsionis Sacramento per vnicam ſacramentalem abſolutionẽ abſolui poſsit: ne aliàs adſtrictus ſit, vel ad ſumendam ſecundam Bullam: vel ad aliud inquirendum remedium: atqui hoc non habetur pro maximo inconuenienti à Patre Leandro in iſto caſu; ergo nec nos habere debemus pro maximo inconuenienti, quod

ex eò quod aliquis ſciat, quod ſi ſemel abſoluatur virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ ab vno peccato Pontifici reſeruato: ſi poſtea aliud committat ſpeciè diuerſum nõ poſſit ab illo abſolui vigore eiuſdẽ Bullę retardet ſe cõfiteri de primo peccato, vt ſi forte ob fragilitatem carnis in alia peccata reſeruata diſtincta ſpecie incidat poſſit ſimul in eadem confeſſione ſacramentali abſolui vigore priuilegij Bullæ Cruciatę, nec videatur coactus, vel ad ſumendam ſecundã Bullam, vel ad inquirendum aliud remedium, vel ſi hoc eſt maximum inconueniens, vt vult dictus Pater Leander aſsignet nobis diſparitatẽ in vtroque caſu, & quamcũque aſsignauerit pro primo caſu à nobis poſito, aſsignauimus, & nos pro ſecundo poſito in ſuo argumento.

93 Secundo reſpondetur cum Patre Franciſco Bardi vbi ſupra in addictione ad primam ſectionem ſuperius citatam num. 16. in commodum illud in argumento aſsignatum à dicto Patre Leãdro à ſanctiſsimo Sacramento eſſe ex defectu ipſius pœnitẽtis, quia licèt per eamdem Bullam nequeat ſecundam obtinere abſolutionem, poterit tamen alia via ſibi prouidere, vel accipiendo ſecundam Bullam, vel recurrendo ad Regulares, qui virtute ſuorum priuilegiorum facultatẽ habent abſoluẽdi toties, quoties à peccatis Summo Pontifici reſeruatis, exceptis ijs, quę ſunt in Bullę Cęnę Domini, vel ad Ordinarium loci.

94 Sed inquires, quid faciet, qui ſemel in vita fuit abſolutus à peccatis Sũmo Pontifice reſeruatis virtute priuilegij duarũ Bullarũ Cruciatę, quas poteſt in eodem anno ſumere, ſi in alia peccata reſeruata in eodẽ anno incidat, an ſcilicèt poſsit vti Bullis prętéritis ſi vi illarum non fuit abſolutus à caſibus reſeruatis Pontifici; quia in peccata reſeruata durantibus dictis Bullis non incidit, & ſic illis vſus non fuit quoad hunc effectum obtinendi beneficium abſolutionis ſacramentalis quoad reſeruata Summo Pontifici.

95 Affirmatiuè reſpõdet Nauarrus lib. 5. conſiliorum tit. de priuilegijs conſil. 17. per totum vbi inquirit an ſuſcipientes Bullam in iſto pręſenti anno gaudeant indulgentijs, & gratijs per Bullam Cruciatæ in præterito anno cõceſſis? & reſpondet. Reſpondeo, quod poterit frui priori bulla, quoadillas clauſules, quæ non ſunt ſublatæ per Bullã poſteriorem. quod probatur, quia gratia ſemel facta durat: do nec reuocetur, vel ſuſpendatur cap. ſi ſuper gratias lib. 6. tum etiam: quia ſi ſuſpendatur ſublata ſuſpenſione remanet tam efficax, quàm erat ante ſuſpenſionem argumento ex cap. paſtoralis de cauſs. poſſeſſion. & propr. & per poſita in caſu, per poſteriorem Bullam acceptam tollitur ſuſpenſio priorum Bullarum hãc opinionem videtur iudicare probabilem. Trullench. in expoſitione Bullę Cruciatę lib. 1. §. 7. ca. 2. dub. 3. n. 3. vbi ad difficultatem propoſitã: ſcilicet, quid facere debeat, qui à caſibus reſeruatis Summo Põtifici abſolutus in vno anno per primam, & ſecundam Bullam Cruciatæ: ſi in eodem anno incidat in alia peccata reſeruata Summo Pontifici, inquit. Reſpondeo primo poſſe vti Bullis prętéritis ſi fortè quoad abſolutionem reſeruatorum illis vſus non fuerit, vt quidam exiſtimãt

&

et abſolute probabilem, & tutã in praxi eam iudicat Pater Leãder à Sanctiſſimo Sacramento par. 4. tract. 2. de cenſuris diſp. 17. queſt. 83.

96 Secunda, & vera ſententia negat poſſe aliquem vti bullis præteritis quoad effectum recipiendi beneficium abſolutionis à caſibus Papę reſeruatis: ſi illis, quoad dictum effectum obtinendi dictam abſolutionem à reſeruatis vſus non fuis in dictis annis præteritis: ita Eruditus Pater Franciſcus Bardi, qui meritò contrariam ſententiam improbabilem appellat in expoſitione Bullæ Cruciatæ part. 2. tr. 6. cap. 1. ſect. 2. num. 19. & in additione ad dictam ſectionem in ſecunda editione à nu. 24. vſque ad 30. Caſtropalaus part. 4. tract. 25. de Bulla Cruciatę diſp. vnica punt. 3. num. 1. in principio Pater Andreas Mendo in elucidatione Bullæ Cruciatæ diſ. 29. cap. 3. num. 17. Trullench. in expoſitione bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 9. dub. 2. cap. 3. Rodriquez in expoſitione bullę Cruciatæ §. 12. num. 2. D. Carolus Latius in dilucidatione bullæ Cruciatę diſp. 6. queſt. 1. diffic. 12. num. 61.

97 Probatur noſtra ſententia, quia elapſo anno publicationis Bullæ Cruciatæ omnino petit vigor Bullę illius anni, ergo non poteſt quis dicta Bulla vti ſequẽti anno quoad effectum obtinendi beneficium abſolutionis à caſibus reſeruatis commiſſis in anno ſequenti, etiam ſi dicta Bulla anni præteriti vſus non fuerit præterito anno quoad effectum ſe abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis. Conſequentia eſt formalis, & antecedens probatur: tũ: quia vt diximus reſolut. 1. huius tractatus; ſicut promulgatio eſt veluti quędam ratio dans vigorem nouæ Bullæ: ita eſt etiam ratio tollens vigorẽ à Bulla precedenti: ergo elapſo anno durationis Bullæ per nouæ Bullæ publicationem vigor Bullæ illius anni omnino perit, & cõſequẽter nõ poterit aquis illa vti neq; illius priuilegijs gaudere tranſacto dicto anno durationis Bullæ, tũ etiam quia hoc expreſsè cauetur in ipſamet Bulla Latina, in cuius initio dicitur illos frui poſſe priuilegijs Bullæ, qui intra annum à die publicationis dictæ Bullæ, &c. ergo Bulla præteriti anni expirat, & ceſſat tranſacto dicto, publicationis anno, ergo non poteſt quis illa vti, neque illius priuilegijs gaudere in anno ſequẽti poſt publicationem nouę Bullę.

98 Ad fundamentum, quod ex Nauarro affert Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento, vt probet opinionem contrariã eſſe probabilem, & tutam in praxi: tum propter authoritatem tanti Doctoris, quæ illi ſatis ſufficere videtur ad reddendam contrariam opinionem æque probabilem cum noſtra: tum etiam ob fundamentum ibi aſſignatum reſpondeo in primis: quod licet authoritas Doctiſſimi Nauarri ſit magni ponderis: nihilominus cum ſua opinio ſit contra communem omnium Theologorum conſensũ, qui non audent hanc contrariam opinionem adhùc probabilem appellare, & deindè ſit contra praxim, & cõmunem vſum fidelium, & fundamentum Nauarri nihil conuincat in contrariũ vt ſtatim videbimus: ideo eius authoritas nõ ſufficit ad cõſtituendam probabilem dictam opinionem, quarè immerito Leander cenſurat eruditum Patrẽ Franciſcum Bardi, eoquod illam

affirmet loco ſuperius citato nõ eſſe probabilem.

99 Ad fundamentum ex ratione adductum, vt reſpondeamus ſupponere oportet aliud eſſe ſuſpendere aliquod priuilegium, aut iuriſdictionem, aliud verò reuocare, ſuſpendere enim eſt priuare rem aliquam ſua facultate, & vi per aliquod tempus, quo elapſo recuperat eamdem vim, & vigorem, quem antea habebat, vt colligitur ex Tridẽtino ſeſſ. 14. cap. 3. de reformatione ibi Epiſcopus quoſcumq; ſuos Clericos; præſertim in Sacris conſtitutos abſque ſuo præcedenti examine, & commendatitijs literis quacũque authoritate promotos: licet tanquam habiles ab eo, à quo ordinati ſũt probatos; quos tamen ad diuina officia celebranda: ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minus idoneos, & capaces repererit, à ſuſceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur ſuſpendere, & illis: ne in Altari: aut aliquo ordine miniſtrent, interdicere poſſit. Reuocare vero, eſt quando res aliqua ammittit ſuam vim omninò eaque derogatur abſque intentione aliqua, vt eam ſcilicet recuperare poſſit.

100 Quo ſuppoſito ad fundamentum ſententiæ oppoſitæ reſpondeo, concedẽdo quod gratia ſemel facta durat donec reuocetur vt conſtat ex cap. in fundamento contrariæ ſententiæ allegato, ſi ſuper gratia, in 6. decretaliũ lib. 1. de offic. & poteſt. iud. delegat. tit. 14. vbi dicitur, ſi ſuper gratia cuiquam ab Apoſtolica Sede facta executores fuerint deputati, & cum æquum eſſe cenſemus, vt ſicut ipſa gratia (licet non dum ſit in eius executione proceſſum) morte non perimatur concedentis, ſic nec etiam re integra perimatur executoribus data poteſtas, quam veluti gratiæ prædictæ acceſſoriam naturam ſequi congruit principalis, ne gratiam eamdem, vel reddi quandoque omnino inutilem vel ipſius effectum in tempus lõgius (cum illius diſpendio cui facta extitit) differri contingat. Nego tamen ſuppoſitum, quod ſupponit Nauarrus, ſcilicet Bullam Cruciatam præteritam per publicationem ſequentis Bullæ non eſſe ſublatam, & reuocatam quoad omnes eius clauſulas, nã vt ſupra probauimus, publicatio ſequentis Bullæ tollit vim, & efficaciam prioris Bullę, eamque abſolutę reuocat, vnde textus illius capituli ſi ſuper gratia non ſolum non fauet contrariæ ſententiæ imò eam valide infirmat; quod ſic probo, ex dicto cap. ſi ſuper gratia, priuilegium conceſſum à Summo Pontifice abſolute, & abſque aliqua limitatione, ſi prædictum priuilegium eſt gratioſum non expirat morte concedentis, donec reuocetur ab alio ſuperiore potenti dictum priuilegium reuocare, vt conſtat ex dicto cap. ſi ſuper gratia, ergo priuilegium gratuitum conceſsũ pro aliquo tempore determinato cum clauſula expreſſa reuocatoria tranſacto dicto tempore expirat, & nullius roboris, & efficaciæ eſt dicto tẽpore tranſacto aſſignato: atqui priuilegium Bullæ Cruciatæ conceditur à Summo Pontifice ſolummodo durante anno publicationis dictæ bullæ, vt ex ipſa bulla latina ſatis conſtat: ergo elapſo anno publicationis ſpirat per publicationem nouæ Bullæ priuilegium Bullę antecedentis: ergo non poteſt quis dicta Bulla vti ſequenti anno

no: etiam pro obtinendo bene-
ficio abſolutionis à caſibus Pa-
pæ reſeruatis quo priuilegio nõ
fuit vſus anno prȩcedenti virtu-
te dictȩ Bullæ, patet hȩc vltima
conſequentia, nam eo ipſo, quod
Bulla Cruciata prȩcedens cen-
ſetur reuocata per publicationẽ
ſequentis Bullȩ amittit ſuã vim
omninò abſque intentione ali-
qua, vt eam recuperare poſſit.
Nec ſecundus texus allegatus ex
cap. paſtoralis de cauſſa poſſeſſi-
onis ex libro 2. Decretalium ti-
tulo 12. de cauſſa poſſeſſionis, &
propietatis aliquid conuincit;
nam falsò ſupponitur per publi-
cationem nouȩ bullȩ auferri, &
tolli ſuſpenſio prȩcedẽtis bullȩ,
cum potius per dictam publica-
tionem nouȩ Bullȩ prȩteritȩ
bullȩ reuocentur, & nullã vim,
& efficaciam habeant: atqne a-
deò non ſuſpenduntur: ſed om-
nino tolluntur, reuocantur; caſ-
ſantur, & expirant. Quod in-
ſinuat apertè Summus Pontifex,
quando concedit per particula-
re priuilegium, vt poſsit quis
accipere aliam bullam intra an-
num publicationis, & bis illius
priuilegijs frui. Quod non con-
ceſsiſſet ſi ęxiſtimaſſet bullas
prȩteritas per publicationẽ prȩ-
ſentis reualidari: vnde manife-
ſtè infertur non poſſe habentem
bullam prȩſentem ratione prȩ-
teritarum abſolui à caſibus Pon-
tifici reſeruatis.

RESOLVTIO X.

Vtrum virtute Bullȩ Cruciatę
poſsit pœnitens abſolui à Cõ-
feſſario ab ipſo electo virtute
priuilegij dictę bullę à caſibus
Pontifici reſeruatis non ſolũ
ſemel, ſed toties quoties: dũ-
modò ſint occulti?

101 NEgatiuam ſentẽtiam ſuſti-
nent Rodriquez in expli-
catione Bullę Cruiatæ §. 9. num.
118. aliàs 135. Bannes 2. 2. qu.
64. art. vlt. in fine Riccius in ad-
dit. ad §. 9. Bullæ num. 36. Vega
in ſumm. verbo abſolutio caſu
39. Ledeſma tom. 1. ſummæ tr.
de pœnit. cap. 13. concl. 2. dub.
1. Fernandez in examine Theo-
log. moral. par. 3. cap. 9. §. 2. n.
5. Ludouicus à Cruce de expoſi-
tione Bullæ Cruciatæ diſput. 1.
cap. 3. dub. 13. num. 3. Henri-
quez lib. 6. de pœnit. cap. 14. n.
7. Caſtropalaus par. 4. tract. 25.
de Bulla Cruciatæ diſp. vnica
punt. 8. §. 1. num. 7. Pater Fran-
ciſcus Bardi in explicatione Bul
lę Cruciatæ part. 2. tract. 6. cap.
1. ſect. 10. num. 106. concl. 2. &
in vindicatione contra Patrem
Andream Mendo a n. 107. vſque
ad 112. quamuis concluſ. prima
num. 102. oppoſitam ſententiã
probabilem appellet D. Carolus
Latius in dilucidatione Bullę
Cruciatæ diſp. 6. quæſt. 1. diffi-
cult. 18. num. 84.

102 Probatur 1. hæc ſententia à
Patre Ludouico à Cruce dict. n.
3. quia abſolutio à prædictis ca-
ſibus occultis conceditur Epiſ-
copis, ſolum ob ſpecialem per-
ſonæ induſtriam, & authoritatẽ,
& ad euitandum periculum ani-
marum; atqui id, quod compe-
tit Epiſcopis ſolùm ob ſpecialẽ
perſonæ induſtriam, & authori-
tatem ad euitandum periculum
animarum eis non competit iu-
riſdictione ordinaria eis debita
ratione dignitatis Epiſcopatis:
ſed iurisdictione delegata: ergo
prędicti caſus papales: licet poſ-
ſint abſolui ab Epiſcopo in ordi-
ne ad oues ſuas iuriſdictione ei
delegata, non poterunt Confeſ-
ſarij Ordinarij ab illis obſoluerĩ
toties quoties virtute priuilegij

af-

Bullæ Cruciatæ; ſed tantum ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis: probatur conſequentia tũ: quia iſti caſus occulti verè & propriè ſunt Papales: tum etiã: quia oppoſitũ directè aduerſatur, vi Bullæ Cruciatæ in quibus ſolũ conceditur poſſe abſolui virtute dicti priuilegij Bullę Cruciatę à caſibus Papę reſeruatis ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, vt cõſtat ex illis verbis eiuſdẽ bullę, cõceditur, vt poſſint eligere quemcumque Præſbyterum ſæcularem, aut Regularem ex approbatis ab Ordinario, & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum, etiam Sedi Apoſtolicę. & in Bulla Cænæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo obtinere: atqui dicta verba Bullę ſunt vniuerſaliſſima: ergo vniuerſaliter de omnibus caſibus Papę ſunt intelligenda, & cum caſus Papę reſeruati: licèt occulti ſint, non deſinant eſſe Papales: conſequẽs eſt, vt non poſſit Confeſſarius ab illis abſoluere toties quoties virtute dicti priuilegij Bullę Cruciatę, ſed tantum ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo.

103 Secundo probatur hęc ſententia à Patre Franciſco Bardi vbi ſupra dicta n. 106. quia cum Sũmus Pontifex abſolutè, & ſimpliciter ſine vlla limitatione: aut qualitate ſuperaddita caſus illos ſibi reſeruet; idcirco ij caſus: ita reſeruati aliquid plus habẽt: quã illi, qui omninò non ſunt reſeruati; ergo eſſe occultum cum ſua aptè natura non opponatur reſeruationi, vt de ſe patet: nequè aliundè nos habeamus declarationẽ, ob quàm caſus ex eo quod ſint occulti ceſſent à reſeruatione: quod tamen aduerſarij non probant cum id deberent efficaciter probare, igitur probabilius, & congruentius dicendum eſt non poſſe vi bullæ caſus iſtos: toties quoties remitti ſicut non reſeruatos: probatur hæc vltima conſequentia, quia hoc importat clauſula illa, quæ in ipſamet bulla habetur, ſcilicèt, aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum, ac reſeruatarum toties quoties confitebũtur abſolutionem mediante ſalutari pœnitẽtia ſecundum culparum exigentiam obtinere: ergo ſolum toties quoties poſſunt abſolui virtute Bullæ Cruciatæ peccata, quæ nullo modo ſunt Sedi Apoſtolicæ reſeruata: atqui caſus papales etiã ſi occulti ſint non cenſentur omninò eſſe extra papalem reſeruationem: ergo dum in Bulla conceditur facultas abſoluendi à caſibus Summo Pontifici non reſeruatis toties: quoties id explicare debet de caſibus qui omni papali reſeruatione carent: probatur minor: nam licet Concilium Tridentinum facultatem concedat Epiſcopis abſoluendi à caſibus reſeruatis Summo Pontifici: dũ manent in occulto: non tamen hoc relinquit in omnimoda libertate Epiſcopi: quia nequeũt Epiſcopi abſolutionem dictorũ caſuum ad ſuum libitum exercere in quocumque loco reſpectu quarumcumque perſonarum: nam Concilium dictam facultatem limitat ad ſubditos Epiſcopi, & in dięceſi Epiſcopi abſoluentis: ergo dicti caſus papales etiam ſi occulti ſint detinentur in reſeruatione papali.

104 Secunda ſententia, & quod mihi verior, & probabilior videtur affirmat poſſe Confeſſariũ virtute Bullę Cruciatæ pœnitẽtem abſoluere toties, quoties à caſibus Summo Pontifici reſeruatis: dummodo occulti ſint: ita

Doc-

Doctiſſimus Pater Thomas Sanchez in ſumma in præcepta Decalogi to. 1. lib. 4. c. 54. n. 27. Trullēch in expoſitione Bullę Cruciatę lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 6. Diana par. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatæ reſolut. 28. & par. 3. tract. 2. reſol. 13. §. nota 4. & in additione ad dictam 3. part. reſol. 17. & magis ex profeſſo par. 11. tr. 2. reſol. 45. Pater Andreas Mēdo in Bullam Cruciatę diſp. 23. cap. 3. nu. 72. cum ſequent. & in appendice contra Patrem Frāciſcum Bardi diſp. 2. cap. 26. n. 141. Pater Bertrandus Lothe in reſolutionibus Theologicis tr. 1. queſt. 1. art. 5.

105 Antequam noſtram ſententiā probemus ſupponere oportet cum communi Doctorum ſententia occultum bifariam accipi poſſe: nempe vel pro eo quod eſt iſta ſecretum, vt nequeat in foro externo probari ſicuti euenit quando factum neque apud duos eſt notum; quia tempore, quo actio illa exercebatur non nemo aderat. Ac proindè ſolus ille, qui eam exercuit notitiam de illa habet. Secundo ſumitur occultum, prout opponitur manifeſto: ſeu notorio, licèt de reliquo ſit probabile in foro externo v. g. ſi actio aliqua mala ſcit à duobus; ſeu tribus, quipoſſunt eam in foro contētioſo probare: tamē reliquis eſt occulta: tunc talis actio non dicitur ſimpliciter manifeſta: ſeu publica: ac proindè adhuc manet occulta prout occultū opponitur publico, ſeu manifeſto, aut famoſo: non autem vt opponitur probabili.

106 Præterea ſuppono, vt certum Concilium Tridentinum cōcedere Epiſcopis ſeſſ. 24, cap. 6. de reformat. authoritatem abſoluendi à caſibus reſeruatis ſi occulti ſint. vbi occultum ſumitur prout in iure diſtingui ſolet à publico, notorio, & manifeſto: quamuis aliàs delictum, vel excōmunicatio probabile ſit: dūmodo delictum non ſit deductum ad forum contentioſum, vt docent Barboſa in remiſſionibus ſupra Cōcil. Trident. verſu ex delicto occulto Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 255. Pater Franciſcus Bardi dicta ſect. 10. ſuperius citata num. 97. & communiter DD. contra Graphium tom. 1. deciſionum lib. 1. cap. 13. nu. 43. dicitur autem deductum delictum ad forum contentioſum quando Iudici eſt delatum, & parti intimatum, vt docent Henriquez lib. 14. de irregularit. cap. 20. nu. 4. Sayrus in theſauro lib. 4. cap. 17. n. 21. & cum alijs Barboſa de officio, & poteſtate Epiſcopi allegat. 39 à nu. 39. vbi aſſerit requiri, vt lis ſit conteſtata, vt dicitur delictum eſſe deductum ad forum contentioſum. Quare ſi delictum, quatuor vel quinque perſonis innoteſcat adhuc non notorium: ſed occultum dicitur. Requiritur, ergo ad notorium, & publicum, vt ſciatur à maiori parte vicinę, Collegij, vel cōmunitatis, dummodo incommunitate, vel Collegio ad minus decem reperiantur perſonę, vt docent communiter DD. Vndè in magna Ciuitate quatuor, quinque, aut ſex vidiſſe Teſtes non ſatis videtur ad notorium, vt docent Henriquez lib. 13. de excommunicatione cap. 5. nu. 2. Sayrus in Theſauro lib. 2. ca. 12. num. 19. Sanchez tom. 1. in decalogum lib. 2. cap. 11. n. 19. et alij. quibus ſuppoſitis.

107 Probatur noſtra ſententia, quia Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt toties quoties

pœ-

pœnitentem absoluere à casibus solum Episcopo reseruatis, vt constat ex verbis ipsius Bullæ Cruciatæ: scilicet aliorum verò Sedi Apostolicæ non reseruatorum: ac reseruatarũ toties quoties, confitebuntur absolutionem mediante salutari pœnitẽtia secundum culparum exigentiam obtinere possint, atqui casus Sedi Apostolicæ reseruati si sint occulti desinunt esse absolute, & simpliciter casus Papales, & reddũtur absolutè, & simpliciter casus Episcopales, seu Episcopis reseruati, ergo potest Cõfessarius virtute Bullæ Cruciatæ ab illis pœnitentẽ toties quoties absoluere, consequentia ex præmissis euidenter sequitur. Maior verò ex se est manifesta: tum ex verbis supra relatis ipsius Cruciatæ Bullæ, tum etiam quia ab omnibus Doctoribus absque cõtrouersia conceditur. Minor vero, in qua est tota difficultas probatur primo ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat. vbi sic dicitur liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscumque, siue subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ab id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere imposita pœnitentia salutari. Atqui hæc facultas absoluendi à dictis casibus occultis Pontifici reseruatis, quã habent Episcopi virtute Concilij Tridentini est facultas ordinaria illis competens ratione suæ dignitatis Episcopalis: ergo prædicti casus Pontifici reseruati quando sunt occulti desinunt esse simpliciter, & absolutè casus Papales, & redduntur omninò Episcopales: Probatur minor, quia reseruatio competens Sũmo Pontifici, dum per Concilium Tridentinum Episcopis concessa est potestas absoluendi ab illis peccatis ablata est, sicut si peccata essent aliqua reseruata Episcopis, & in aliquo Concilio, aut Synodo concederetur omnibus Parochis facultas absoluendi: ab illis, iam prædicti casus dsinerent esse simpliciter, & absolute Episcopales, & redderẽtur omnino Parochiales, ergo sic similiter eò ipso, quod Concilium Tridentinum concedit facultatem Episcopis, vt possint absoluere à casibus Pontifici reseruatis si sint occulti iam dicti casus desinunt esse simpliciter, & absolutè casus Papales, seu Papæ reseruati, & redduntur omnino casus Episcopales: seu Episcopis reseruati, & consequẽter poterit Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ ab illis toties quoties absoluere.

108 Nec valet si dicas cum Patre Francisco Bardi, quod in illo decreto Concilij Tridentini absolutio casuum, & censurarũ summo Pontifici reseruatarum, etiam dum manet in occulto non relinquitur in omnimoda libertate Episcopi, quia adhuc casus detinẽtur in reseruatione Papali quia nequeunt Episcopi prædictorum casuum absolutionem ad libitum respectu quarumcũque personarum, & in quocumque loco exercere: nam Concilium eam limitat ad subditos Episcopi, & in Diœcesi Episcopi absoluentis, ergo non censentur omnino esse extra Papalem reseruationem, & per-

consequens dum in bulla conceditur facultas absoluendi toties quoties à casibus Summo Põtifici nõ reseruatis, id explicari debet de casibus, qui omni Papali reseruatione carent.

109 Hoc inquam non valet, nam vt bene cum Patre Andrea Mẽdo locis superius citatis docet eruditus Pater Antoninus Diana dict. par. 11. tract. 2. resol. 44. §. verum his non obstantibus Põtifex Summus dum committit in Tridentino Episcopis facultatem ordinariam absoluendi à casibus aliunde sibi reseruatis, dummodo sint occulti, tollit ab eis reseruationem Pontificiam: limitatque eam, quam apposuerat ad huiusmodi casus non occultos, qua reseruatione ablata, consequens est, vt virtute Bullæ possit toties, quoties ab eis absolui. neque ea limitatio Concilij: scilicèt in quibuscumque casibus occultis etiã Sedi Apostolicę reseruatis nõ opponitur ablationi reseruationis *Pontificiæ*, nec recte potest intelligi, quo pacto duret reseruatio *Põtificia* si inferiori *Prelato* nõ reseruãtur illi casus: reseruatio enim pontificia ex se id dicit: scilicet, quod nullus Prælatus inferior absoluere valeat. Itaque cum Tridentinum Concilium pręstat Episcopis facultatem, vt absoluere valeant à reseruatis occultis cũ adhibita limitatione: perinde se habet ac si assereret peccata, quę sunt Sedi Apostolicę reseruata: si sint occulta: deinceps solum Episcopis in sua dięcesi si sint peccata subditorum, reseruata maneãt. Sicut si in *Religione* in qua peccatum, v. g. periurij est reseruatum Superiori statueretur: vt deinceps Confessarius domus Religiosę posset ab illo absoluere commorantes in eadem domo, quis dubitet reseruationem Superioris auferri quamuis limitarentur Confessarius, & personæ? atque adeò Regularis qui in id peccatum incidisset si haberet priuilegium, vt per quem Confessarium absolueretur à non reseruatis Superiori, posset per quemlibet absolui à periurio: ergo etiam id dicendum est omninò in nostro casu seruata proportione, hæc ex Mendo Eruditus Diana. Neque quòd Episcopus non possit ad suum libitũ absoluere à dictis casibus occultis extra suã diœcesim sed solũ suos subditos in sua diœcesi facit, vt prædicti casus occulti non sint omninò Episcopales: sed retineant aliqualem papalem reseruationem: quia sicut etiam Episcopus non potest absoluere in aliena diœcesi saltem à reseruatis Episcopo illius diœcesis, non probat hæc ratio eos casus habere maiorem reseruationem; quam Episcopalem: sed solùm actus iurisdictionis suis terminis, locis, & personis esse circumscriptos. ita similiter in nostro casu: illa limitatio, quod Episcopus solũ in sua diœcesi, aut eius Vicarius ad hoc munus deputatus possint absoluere à prędictis casibus reseruatis occultis nõ facit prędictos casus habere maiorem reseruationem quam Episcopalem: ergo cum virtute Bullæ Crucia-tę possit Cõfessarius toties quoties absoluere à cãsibus, qui nullo modo Pontifici sunt reseruati consequens est, vt à prædictis casibus occultis reseruatis possit toties quoties absoluere virtute dictæ bullæ vtpotè casus merè Episcopales, & nullo modo Papales ex Concilij Tridentini determinatione.

110 Secundo probatur: quia reseruatio, vt potè odiosa est limi-

tanda, quando verba talem limitationem patiuntur: atqui illa reſtrictio Bullæ Cruciatę: ſcilicet, vt illam habentes poſſint caſuum, & cenſurarum etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, & reſeruatarum ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo indulgentiam, & remiſſionem obtinere: poteſt alligari ſoli abſolutioni caſuum prędictorum, qui publici ſunt: ergo ſolùm reſpectu eorum, & earum negabitur per bullam facultas in eodem anno repetendi abſolutiones toties quoties oportuerit: ergo quãdo dicti caſus papales non ſunt publici, & notorij, ſed occulti etiã prout occultum opponitur manifeſto, ſeu famoſo, dum non ſint reducti ad forum contentioſum modo ſuperius explicato poterit Confeſſarius toties quoties ab illis abſoluere virtute Bullæ Cruciatæ durante anno publicationis dictę Bullę.

111 Sed dices etiam Concilium Tridẽtinum in dicto cap. 6. ſeſs. 24. concedit Epiſcopis facultatẽ abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ: atqui hoc non obſtante nõ poteſt Confeſſarius virtute priuilegij Bullę Cruciatę aliquem abſoluere ab hæreſi occulta: non ſolùm toties quoties: ſed nec etiam pro vna vice taniùm: ergo nec etiam poterit abſoluere à caſibus occultis Papę reſeruatis toties quoties virtute dictę Bullæ.

112 Ad hoc argumentum reſpondet Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento negando minorem; iudicat enim par. 4. tract. 2. de excommunicatione diſp. 17. quæſt. 85. Confeſſarium poſſe toties quoties pœnitentem abſoluere vigore Bullæ Cruciatæ ab hęreſi occulta, quod ſic probat: quia Confeſſarius poteſt vi Cruciatæ Bullæ abſoluere pœnitentem toties quoties à reſeruatis Epiſcopo: atqui crimen hęreſis, & aliorum caſuum reſeruatorum Pontifici etiam in bulla Cænę Domini quãdo ſunt occulta non ſunt caſus papales, ſed epiſcopales: ergo clarè ſequitur, quòd ſi Bulla Cruciata concedit Confeſſario facultatem abſoluẽdi pœnitentem toties quoties à reſeruatis Epiſcopo, conſequenter concedat facultatem ad eũdem abſoluendum à caſibus papalibus occultis, ac proinde ab hæreſi occulta ſi quidem tunc non ſunt caſus papales: ſed epiſcopales. Maneat ergo probabile (Concludit dictus Pater Leãder) quod loquendo ex vi Bullę poſſit liberè Confeſſarius abſoluere hæreticum occultum pœnitentem: (an autem hæc Confeſſarij facultas ſit coartata à Põtificibus pro Regnis, in quibus Inquiſitionis Tribunal reperitur dicemus quęſtione ſequenti) pro hac reſponſione citat Mazuchellum tract. de caſibus reſeruatis diſp. 11. quęſt. 4. difficult. 6. num. 13. verſu & ad hoc videtur, Boſsium tractatu de iubilęo ſect. 1. caſu 9. num. 3. & probabilem eam iudicat Pater Franciſcus Bardi in expoſitione Bullæ Cruciatæ tract. 6. cap. 2. ſect. 1. nu. 7. præmiſerat enim in præcedentibus numeris ſententiam affirmantem, poſſe quis abſolui ab hæreſi externa occulta virtute Bullæ Cruciatæ, & ſententiam id negantem, & poſtea in dicto n. 7. inquit hæc, & ſimilia dici poſſunt pro vtraque ſententia, quæ probabilis eſt. Sed conſideratis omnibus cenſeo partem negatiuam nõ ſolùm eſſe tutiorem: verum etiã probabiliorem: atque amplectendam.

Sed

113 Sed ſalua pace tanti Viri hæc reſponſio mihi non probatur: tũ quia eſt contra communem Doctorum conſenſum, nam etiam illi, qui nobiſcum affirmant poſſe Confeſſarium pœnitentem abſoluere toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ à Caſibus occultis Põtifici reſeruatis, excipiunt hæreſim occultam, tum etiam, quia prædicta abſolutio aduerſatur expreſſè Concilio Tridentino dict. cap. 6. vbi diuerſimodè conceditur Epiſcopis facultas abſoluẽdi ſuos ſubditos à Caſibus Papalibus occultis, ac ab hæreſi occulta, facultas enim abſoluendi à caſibus occultis Papæ reſeruatis illis conceditur cum facultate eam delegandi ſuo Vicario Generali cui ex officio, & ſemper competat hæc abſolutio ex eo quod Concilium vult auferre à caſibus occultis ſupradictis reſeruationem Papalem, & relinquere illos ſolũ Epiſcopales, & nullo modo Papales, & ſic nihil mirum quod poſſit ab illis abſoluere Confeſſarius toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ, ſicut poteſt vi eiuſdem Bullæ abſoluere quoſcumque alios Epiſcopo reſeruatos. At vero facultas, quam Tridentinum concedit Epiſcopis ad abſoluendum ſuos ſubditos ab hæreſi occulta (ſtando in opinione Doctorum, qui affirmant prædictam facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta conceſſam à Tridentino non eſſe reuocatam à Summo Pontifice in Bulla Cœnæ Domini) fuit tantum Epiſcopis conceſſa ſolum ob ſpecialem perſonæ induſtriam, & authoritatem, & ad euitandum periculum animarum, taliter quod ſolus Epiſcopus poſſet à dicta hæreſi occulta abſoluere, in foro conſciẽtiæ, & nullo modo dictam poteſtatem delegare ſuo Vicario Generali, vt conſtat ex verbis ipſius Concilij, quæ hæc ſunt, idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientię eis tantum non eorum Vicarijs ſit permiſſum. Et quamuis non deſint aliqui DD. qui affirment quod licet Epiſcopus non poſſit hanc abſolutionem ab hæreſi occulta committere alteri, qui generaliter habeat facultatem abſoluendi à dicto crimine hæreſis, ſicut poteſt committere facultatem abſoluendi ab alijs caſibus occultis Papæ reſeruatis, poteſt tamen committere caſum particularem cum occurrerit, ita vt tunc ſpecialiter, & nõ generaliter tribuat vices ſuas, inter quos ſunt Pater Iacobus Granadus in 2.2. Diui Thomæ controuerſia prima tract. 15. diſp. 14. ſect. 2. num. 7. Thomas Sanchez tom. 1. ſummæ lib. 2. cap. 15. nu. 23. in ſui fauorem plures alios referens, tamen probabilius eſt nõ poſſe Epiſcopum hanc facultatẽ abſoluendi ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ alteri etiam ſpecialiter delegare, ſed per ſe ſolũ poſſe à dicto crimine hæreſis abſoluere: ita Molina de iuſtit. & Iur. tract. 5. diſp. 18. nu. 1. Garzias de beneficijs tom. 2. par. 11. cap. 10. num. 113. Pater Magiſter Marcus Serra in 2. 2. Diui Thomæ tom. 1. quæſt. 11. art. 4. dub. vnico §. per ſe ipſos, & communiter DD. quæ ſententia conformior eſt verbis Concilij Tridentini, & quamuis ſtemus in oppoſita ſententia quæ probabilis eſt, & aſſeramus, quod licet Epiſcopus non poſſit hanc abſolutionem committere alteri, qui generaliter habeat facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta poſſit tamen committere caſum particularem cum occurrerit

rerit: ita vt tunc ſpecialiter, & nõ generaliter tribuat vices ſuas nihilominus non ſequitur prędictum caſum hæreſis eſſe caſum mere epiſcopalem, & nullo modo papalem, cum vt ſupra diximus ſupradicta facultas tributa à Concilio Tridentino abſoluẽdi ſuos ſubditos ab hęreſi occulta in foro conſcientiæ nõ tribuitur eis tanquam iuriſdictio ordinaria eis competens ratione ſuæ dignitatis Epiſcopalis: ſicut tribuitur eis facultas abſoluendi ab alijs caſibus Pontifici reſeruatis: dummodo occulti ſint, ſed ſolũ eis tribuitur dicta facultas abſoluendi ab hæreſi ob ſpecialem perſonæ induſtriam, & authoritatem: atque ad euitandum periculum animarum: ideòque eis non competit hæc poteſtas de iure ordinario: ſed iuriſdictione tantùm delegata à Summo Pontifice, & conſequenter dictus caſus hæreſis non definit eſſe caſus papalis ſimpliciter, & abſolutè: ſed aliquo modo retinet rationẽ caſus papalis: eò ipſo quod ab ipſa hæreſi occulta Epiſcopus abſoluat: non præciſe, vt Epiſcopus, ſed vt delegatus Apoſtolicus: ergo nullo modo poteſt Confeſſarius ordinarius virtute Bullæ Cruciatæ toties quoties aliquem abſoluere ab hęreſi occulta, vt affirmat dictus Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento.

114 Quare aliter ad replicam reſpondetur diſtinguendo maiorẽ Epiſcopis conceditur etiam per Tridentinum facultas abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in foro conſcientię eodem genere facultatis, quo ipſis conceditur ibidem facultas abſoluendi in foro conſcientiæ ſuos ſubditos ab alijs caſibus Pontifici reſeruatis ſi occulti ſint nego maiorem diuerſo genere facultatis, quo conceditur eis facultas abſoluendi ab alijs caſibus Pontifici reſeruatis ſi occulti ſint concedo maiorem. Nam facultas, quæ conceditur Epiſcopis à Cõcilio Tridentino dict. cap. 6. ſuperius citato eis conceditur abſolutè ratione ſuæ dignitatis epiſcopalis in ordine ad ſuos ſubditos, & cum facultate generali delegandi dictam facultatem alteri, & conſequenter dicta facultas abſoluendi à prædictis caſibus occultis eis competit iuriſdictione ordinaria; cum dicti caſus papales, quando ſunt occulti definant omninò eſſe papales, & ſint purè Epiſcopales, vt ſupra probatum eſt: aliàs non poſſent Epiſcopi dictam facultatem abſoluendi à dictis caſibus alteri committere, qui generaliter habeat facultatẽ abſoluẽdi ab illis. At verò facultas abſoluendi ab hęreſi occulta illis conceditur à Tridentino Concilio tanquam delegatis Apoſtolicis: ideòque non poſſunt alteri dictam facultatem abſoluendi ab hęreſi delegare: ſed per ſe ipſos ſolũ poſſe à dicto caſu hæreſis abſoluere ſibi ſubditos iurisdictione delegata à Summo Pontifice, non verò iuriſdictione ordinaria illis cõpetente ratione ſuæ dignitatis Epiſcopalis: quia aliàs poſſent dictam facultatem abſoluẽdi ab hęreſi committere alteri, qui generaliter haberet facultatem abſoluendi ab hęreſi, quod nullus Doctorum concedit. Quare conceſſa minori: neganda eſt cõſequentia, & ratio diſparitatis eſt manifeſta: quia alij caſus reſeruati Summo Pontifici eò ipſo quòd ſint occulti definunt omnino eſſe papales, & ſunt ſimpliciter, & abſolutè Epiſcopales, vt ſupra probauimus: ideòquè

cum

cum Cõfeſſarius ex vi priuilegij Bullæ Cruciatę poſſit pœnitentem toties, quoties abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis poteſt conſequenter toties quoties abſoluere illum à caſibus Pontifici reſeruatis: dũmodo occulti ſint. Ab hęreſi autem occulta abſoluere non valet vigore priuilegij Bullę Cruciatę: quia hæreſis etiam ſi occulta ſit, ſemper retinet rationẽ caſus papalis: & ſi Epiſcopus poſſit ab illa abſoluere: quia hæc facultas non cõpetit Epiſcopo iure ordinario: ſed vt eſt delegatus Summi Pontificis, cum non concedatur ei abſolutè ratione ſuę dignitatis epiſcopalis: ſed ſolùm ob ſpecialem perſonę induſtriam, & authoritatem, & ad euitandum periculum animarum abſque facultate eam alteri delegandi: ſaltem delegatione generali, & abſoluta, vt ſupra diximus: quarè Confeſſarius non poteſt virtute Bullæ Cruciatę aliquem abſoluere toties, quoties ab hęreſi occulta: cũ iſte caſus nõ ſit Epiſcopalis, ſeu Epiſcopo reſeruatus, ſed papalis, ſeu reſeruatus Summo Pontifici, aut ei, cui voluerit Summus Pontifex hãc facultatem delegare, ſicut modo eam delegat per Tridentinum Concilium omnibus Epiſcopis in ordine ad ſuos ſubditos.

Aduertendum eſt tamẽ, quod
114 etiã ſi cõcedatur, vt probabilis (de quo mihi maximũ dubium eſt, ſaltem loquendo de probabilitate ab intrinſeco) opinio, quę aſſerit poſſe Confeſſarium virtute Bullę Cruciatę pœnitentem abſoluere toties quoties ab hęreſi exteriori, dum occulta ſit, hanc doctrinam non habere locum in Regnis, in quibus ſanctum Inquiſitionis Tribunal reperitur, & ratio eſt, quia ita tenet vſus & praxis fundata in decretis, & declarationibus Pontificum, vt docet Henriquez lib. 6. cap. 16. nu. 2. his verbis: à caſu hęreſis exterioris per clauſulam generalem bullæ Cruciatę: aut pleniſſimi iubilæi: niſi aliter in ipſo expreſſe declaretur Cõfeſſarius abſoluere non poteſt. quia Vrbanus 4. Paulus 4. Pius Quintus, & Gregorius 13. Pontifices ita expreſſerunt per Bullã cum conſilio Cardinalium ampliſſimè cenſoribus fidei conceſſam: ergo eſtante prędicta bulla, & conceſſione illa eſtante nequit Confeſſarius vi Cruciatæ bullæ abſoluere pœnitentẽ ab hęreſi occulta.

Sed obiter inquires: an Illuſ-
115 triſſimi Domini Inquiſitores qui libet eorum in particulari poſſit ratione ſui officij quemcumque pœnitentem in foro conſcientię abſoluere ab hęreſi occulta, & hanc facultatem cuilibet alteri Cõfeſſario approbato delegare? reſpondeo rem non eſſe omnino certam: licet multi ſint, qui aſſerant hanc facultatem abſoluendi ab hęreſi occulta in foro interiori conſcientię hęreticos occultos competere non toti conſiſtorio: ſed cuilibet Illuſtriſſimo Inquiſitori, & quemlibet eorum poſſe eamdem facultatem delegare cuilibet Confeſſario. Sed nihilominus cum nulla conſtitutio talem facultatem cõcedẽs appariat, tutius mihi videtur aſſerere in hoc ſtandum eſſe conſuetudini, & praxi ſancti Officij, &, Dominorum Inquiſitorum. Et ſi iterum inquiras quid faciẽdum ſit hęretico occulto qui ad mẽtẽ redijt, & nec ab Epiſcopo, nec ab alio abſolutionem in foro conſcientię obtinere poiuit? Reſpõdeo nõ teneri ſe prodere, nec crimen ſuum fateri coram te-

teſtibus, & Notario, vt ſic in vtroque foro à Dominis Inquiſitoribus abſoluatur: ſed poſſe per viã pœnitentiarię non de tecto ſuo nomine ad Pontificem mittere, vt ſui abſolutionem alicui committat. Quòd ſi non poſſit facere, nec Romę adire, & inſtat 118
tempus implendi præceptum annuæ confeſſionis, & communionis, quam ſine graui ſcandalo, aut infamia non poteſt omittere poterit cuilibet Confeſſario approbáto confiteri, qui illum directè abſoluens à peccatis non reſeruatis indirectè abſoluat à crimine hęreſis. Et idem eſt de eo qui miſit ad Summum Pontificem; vt ſui abſolutionem alicui committat, & interim ſi non cõmunicet: aut celebret grauem infamiam incurrat, & ſcandalũ magnum oriatur.

117 Neque obſtat excommunicatio, qua hęreticus pœnitens innodatus eſt, & à qua, nec in iſto caſu poteſt Confeſſarius abſoluere: nam ſicut ſi prædictus hæreticus naturaliter, & inuincibiliter oblitus peccati hæreſis, quam 119
poſt conſenſum occultè protulit bona fide, & cum debita: aliàs diſpoſitione accederet ad Sacramentum pœnitentię, & confiteretur peccata non reſeruata, & abſolueretur, maneret in foro conſcientiæ indirectè abſolutus à criminę hæreſis reſeruato non obſtante excommunicatione, qua eſt innodatus: ita & in caſu prædicto indirectè abſolutus manebit à peccato hæreſis cum onere tamen illud iterum confitendi, cum copiam Confeſſarij authoritatem habẽtis habuerit: ita Eruditiſſimus Pater Magiſter Frater Marcus Serra cuius eſt tota hęc doctrina tom. 1. in 2. 2. Diui Thomę quęſt. 11. art. 4. dubio §. ſi quæras: vbi etiam adducit alium caſum de Sacerdote qui alium Sacerdotẽ interfecit, & ne ſe prodat, & crimen eius fiat manifeſtum celebrat, & confitetur ſua peccata Confeſſario, qui non poteſt illum abſoluere ab excommunicatione.

Sunt etiam qui dicant ſecluſo quocumque, ſcandalo, & periculo infamiæ ſupradictam hęreticum occultum procurantem pro viribus abſolutionem, ſed ob paupertatem aliudue legitimum impedimentum non valentem Romam adire, vel mittere, neq; ab Epiſcopo vel Inquiſitore abſolutionem obtinere: ſi verè pœniteat, & contritus ſit poſſe interim miſſã celebrare, ſi eſt Sacerdos, vel Euchariſtiam ſumere ſi eſt laicus. Sed hoc alijs non placet, & merito, cũ ſecluſo ſcandalo, et infamia nulla ſit vrgens cauſa ſumendi Euchariſtiam in tali caſu. Aliàs etiam Sacerdos, qui alium occidit ſi non poſſet irregularitatis diſpenſationem obtinere miſſam celebrare poſſet ſecluſo periculo ſe prodendi.

Ad primum fundamentum oppoſitę ſententiæ. Reſpõdetur negando maiorem: nam vt ſupra probauimus facultas Epiſcopis conceſſa abſoluẽdi ſuos ſubditos à caſibus Pontifici reſeruatis: ſi occulti ſint, non eſt eis à Tridẽtino conceſſa intuitu induſtriæ perſonalis: quod manifeſtè conſtat ex ipſo Concilio dict. cap. 6. ſuperius relato: nam ſi Conciliũ Tridentinum perſonalem Epiſcopi induſtriam exigiſſet non dediſſet Epiſcopis poteſtatem delegandi abſolutè, & ſimpliciter alteri dictam facultatem, ſed potius id denegaret ſicut defacto in eodem capite conceditur Epiſcopis facultas abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in foro cõſcientiæ, quæ facultas: quia il-

illis eſt cõceſſa à Concilio intuitu induſtriæ perſonalis eis prohibet ne facultatem iſtam, ſaltẽ ſimpliciter ſuis Vicarijs delegare valeant; Ex quo colligimus Epiſcopos non habere facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta iuriſdictione ordinaria ratione ſuæ dignitatis epiſcopalis: (ſicut illã habent abſoluẽdi ab alijs caſibus Pontifici reſeruatis, quando sũt occulti) ſed iuriſdictione delegata à Summo Pontifice; & Tridẽtino Concilio ob ſpecialem perſonæ induſtriam, et authoritatẽ ad euitãdũ periculum animarũ: Ad omnia alia, quæ in dicto fundamento dicuntur pro probatione cõſequentię manifeſtè patet ex dictis in fauorem noſtrę ſententiæ.

120 Ad ſecundum fundamentum eiuſdem ſententię manifeſtè patet ex à nobis dictis ſupra num. 108. vbi probauimus dictos caſus papales dum ſunt occulti deſinere omninò eſſe papales, & eſſe mere Epiſcopales, & ſimul explicauimus genuinam verborũ Concilij intelligentiam.

RESOLVTIO XI.

Vtrũ Pręlati Regulares poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibns Papæ reſeruatis ſi occulti ſint vigore decreti Concilij Tridentini dict. ſeſſ. 24. cap. 6.

121 AFrmatiuè reſpondent Rodriquez tom. 1. quęſt. regul. quæſt. 61. art. 9. Villalobos tom. 1. ſummæ tract. 21. difficul. 9. nu. 7. Pater Iacobus Granadus controuerſia 1. de fide tract. 15. diſp. 14. ſect. 2. nu. 4. vbi ſic ait: imo valde probabile eſſe comprehendi Prælatos Religionum habentes iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, vt Generales, et Prouinciales: quia licet non dicãtur ita rigorosè habere diœceſim: habẽt tamẽ in aliquo ſenſu cum domus, & Prouinciæ Religionis illis ſubdantur, & ab Epiſcopo ſint exempti. hæc Granadus Bauny tract. 2. de cẽſuris diſp. 3. de abſolut. ab excommunic. qu. 26. Magiſter Antonius de Hinoioſa in directorio deciſionũ regularium verbo abſolutio 1. & verbo confirmatio gratiæ, & ſtatuti, vel priuilegij verſu prima aſſertio. P. Ioannes de Soria in Epilogo ſummarum par. 2. tr. 1. ſect. 1. diſp. 6. §. circa caſus reſeruatos Quintanadueñas tom. 1. Theolog. moral. tract. 8. dub. 16. quos citat, & ſequitur Pater Leander à ſantiſſimo Sacramẽto par. 4. tract. 2. de excommunic. diſp. 17. quęſt. 72.

122 Fundamentum huius ſentẽtię eſt: quia valdè probabile eſt quod nomine Epiſcoporum in dicto decreto Cõcilij Tridẽtini veniat Generales, et Prouinciales Regularium: cum habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalẽ ergo ſicut Epiſcopi poſſunt abſoluere ſuos ſubditos vigore dicti decreti Cõcilij Tridentini à caſibus Papæ reſeruatis etiam in Bulla Cęnę Domini: dũmodo occulti ſint: ita eodem modo poterunt Prælati Regulares abſoluere à ſimilibus caſibus ſuos ſubditos: cõſequẽtia videtur ex antecedẽti ſequi: antecedens verò probat Pater Leander ſola authoritate extrinſeca prędictorum Doctorum, qui omnes illud vt valde probabile affirmant.

123 Secunda, et probabilior ſententia negat poſſe Prælatos Regulares virtute dicti decreti Cõcilij Tridentini ſeſſ. 24. art. 6. de reformat. abſoluere ſuos ſubditos à caſibus Papæ reſeruatis etiã

ſi occulti ſint. ita Petrus de Ledeſma tom. 2. ſummæ tract. 1. cap. 6. poſt 20. Auila par. 7. diſp. 10. dub. 6. notabili 3. Pater Thomas Sanchez to. 1. ſummę lib. 2. ca. 11. num. 7. vbi ſic ait: at verius eſt Prelatos Regulares etiam ſuorum ordinũ Generales minimè compræhendi in eo Tridentini decreto nomine Epiſcoporum. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 2. num. 7. Fagundez lib. 1. in primum decalogi prȩceptũ cap. 15. nu. 21. Garzias de beneficijs par. 7. cap. 11. num. 13. & 20. Pater Gaſpar Hurtadus de cenſuris diſp. 2. de irregularitate difficult. 20. num. 67. Barboſa de poteſtate Epiſcopi part. 2. allegatione 39. nu. 18. Caſtropalaus part. 1. trac. 4. diſp. 4. punct. 3. num. 5.

124 Probatur noſtra ſententia 1. quia ſi Prȩlati Regulares poſſent vigore dicti decreti Concilij Tridentini ſuos ſubditos abſoluere in foro conſcientię à caſibus occultis Papæ reſeruatis: ſicut poſſunt Epiſcopi ſuos abſoluere ſubditos: ita vt verba Concilij ſe extendere debeant non ſolùm ad Epiſcopos: ſed etiam ad Prȩlatos regulares: ſequeretur, quod ſecluſo pontificio priuilegio poſſent prædicti Prȩlati Regulares ſuos ſubditos abſoluere in foro conſcientiæ à dictis caſibus occultis Papę reſeruatis: atqui hoc eſt falsũ: ergo etiã eſt falsũ, quòd poſſint dicti Prȩlati regulares abſoluere ſuos ſubditos à caſibus ſupradictis occultis Papę reſeruatis vigore dicti decreti Concilij Tridẽtini. Sequela eſt manifeſta: quia quãdo aliqua facultas alicui cõuenit iure cõmuni fruſtra deſideratur priuilegium tribuens ei prædictam facultatem: ergo ſi Prȩlati Regulares habent facultatem à Concilio Tridentino abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus papalibus occultis fruſtrà deſiderabitur priuilegiũ Pontificiũ cõcedens illis prædictam facultatem. Falſitas minoris probatur quia Pius Quintus in ſuo breui conceſſit priori Prouinciali Prouinciæ Caſtellæ Ordinis prędicatorum facultatem abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papę reſeruatis: ſicut illam habebant Epiſcopi in ordine ad ſuos ſubditos: cuius tenor eſt. Pius Papa Quintus ad perpetuã rei memoriam Romani Pontificis circumſpecta benignitas honeſtis pœnitentium votis perſonarum, quę ſub Religionis iugo Altiſſimo famulatum ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciũt, ad exauditionis gratiam libẽter admittit, & fauoribus proſequitur opportunis. Exponi nobis nuper fecit dictus filius prior Prouincialis Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis Fratrum Prędicatorum, &c. Et inſuper: quia ſacrũ æcumenicum Concilium Generale Tridentinum conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animę: ſeu conſcientię ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus: prout ſeſſ. 24. cap. 6. habetur, ne prior Prouincialis, et ſuperiores prælati dicti Ordinis: tam in dicta prouincia: quam extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis: quam Clerici: aut ſęculares exiſtant eiſdem Priori Prouinciali, & ſuperioribus Prȩlatis, vt ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in fratres, & moniales dicti ordinis ſibi ſubditos quoad abſoluendi: & diſpenſandi huiuſmodi: quam alias quaſcumque facultates eiſdem authoritate, tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus: atque etiam declaremus præſentes

lite-

literas perpetuò durare, & valere. hæc Pius Quintus: atqui dictus Summus Pontifex non declarat in ſupradicto priuilegio conceſſionem Tridentini ad dictos Prælatos extendi: ſed ipſe eam extendit, vt conſtat ex illis verbis: quia ſacrum Concilium conceſſit Epiſcopis vſque ad illa verba authoritate præſentium concedimus, &c. ergo Prælati Regulares non poterant ante dictum priuilegiũ ſuos ſubditos abſoluere à caſibus occultis Papę reſeruatis virtute ſupradicti decreti Concilij Tridentini dicta ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.

125 Secundo probatur noſtra sẽtentia: quia in dicto decreto Concilij Tridentini Prælati Regulares non intelligũtur nomine Epiſcoporum: ergo minimè poſſunt, præcisè virtute prædicti decreti Concilij ſuos ſubditos abſoluere in foro conſcientiæ à caſibus occultis Pontifici reſeruatis: conſequentia euidenter ex antecedenti ſequitur: antecedens verò probatur: nam vel quotieſcumque aliqua facultas à Concilio Tridẽtino conceditur Epiſcopis; veniunt etiam Prelati Regulares: vel non? ſi non veniunt: ergo falſum eſt dicere, quod in ſupradicto decreto, quo à Concilio Tridentino conceditur Epiſcopis facultas abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Pontifici reſeruatis veniunt etiam Prælati Regulares. Si autem quotieſcumque aliqua à Tridentino Concilio Epiſcopis cõceditur facultas, veniunt etiam prædicti Prelati Regulares: ergo Religioſi regulares approbati à ſuis Prelatis poterunt abſque Epiſcopi approbatione ſæcularium confeſſiones audire: ſaltem virtute priuilegij Bullę Cruciatę: cum Regularis Religioſus ſemel ſimpliciter approbatus à quocumque Epiſcopo ad cõfeſſiones audiendas eſt eligibilis in Confeſſarium in tota Eccleſia Dei virtute dicti priuilegij Bullę Cruciatæ, vt in mea quæſtione Apologetica morali latè dixi; atqui hoc eſt aperte falſum: ergo, & illud, ex quo ſequitur, ſequela probatur; nam ad hoc vt aliquis Regularis poſſit ſęcularium confeſſiones audire ſatis eſt, vt conſtat ex Concilio Tridentino quod aut beneficium parochiale habeat: aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium approbationem obtineat, vt conſtat ex dicto Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 15. per hæc verba quamuis Præsbyteri in ſua ordinatione à paccatis abſoluendi poteſtatem accipiant: decernit tamen ſancta Synodus nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari niſi, aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen: ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat priuilegijs, & cõſuetudine quacumque etiam immemorabili nõ obſtantibus: ergo ſi quotieſcumque conceditur aliqua facultas Epiſcopis à Concilio Tridentino veniunt nomine Epiſcopi Prelati Regulares: ſequitur manifeſtè, quod Religioſi Regulares approbati à ſuis prælatis, & idonei reputati ad confeſſiones audiendas poſſint vigore Concilij Tridentini ſæcularium cõfeſſiones audire, ſaltem vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ, quod nullus Doctorum concedit abſq; Epiſcopi approbatione: atqui hoc eſt manifeſtè falſum, & contra omnium Doctorum conſen-

ſum: ergo etiam falſum erit, quod quotieſcumque aliqua à Concilio Tridentino Epiſcopis conceditur facultas, quod veniãt Prælati Regulares nomine Epiſcopi.

126 Nec valet ſi dicas, quod licet verum ſit, quod non quotieſcũque aliqua Epiſcopis à Concilio Tridentino conceditur facultas, Prælati Regulares nomine veniant Epiſcopi: tamen in caſu de quo loquimur veniunt prædicti Prælati Regulares nomine Epiſcopi: quateuus in ſuos ſubditos poteſtatem, & authoritatẽ quaſi Epiſcopalem habent. Hoc inquam non valet: tum quia hoc gratis dicitur: tum etiam quia ex tenore eiuſdem decreti Concilij Tridentini dicta ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. conſtat minimè nomine Epiſcoporum intelligi qualitercumque habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem: ſed ſolos eam habentes in aliqua diœceſi ſibi ſubdita, vt conſtat ex dicto cap. 6. per illa verba, in quibuſcumque caſibus occultis etiã Sedi Apoſtolicę reſeruatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditas in diœceſi ſua, &c. atqui Prælati Regulares diœceſim non habent: ergo in dicto cap. Concilij Tridentini non veniunt nomine Epiſcopi, vt optimè probat Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 30. ſect. 2. n. 7.

127 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpõdetur diſtinguẽdo antecedens: probabile eſt, quod nomine Epiſcoporum in dicto decreto Concilij Tridentini veniant Generales, & Prouinciales Regularium: probabilitate ab extrinſeco ſumpta ex authoritate Doctorum, qui prædictam ſententiam ſequuntur: concedo antecedens: Probabilitate ab intrinſeco deſumpta ex rationibus efficacibus, quæ prædictã ſententiam ſuadeant nego antecedens. Et ſimiliter diſtinguo cõſequens: ergo ſicut Epiſcopi poſſunt abſoluere ſuos ſubditos vigore dicti decreti Concilij Tridentini à caſibus occultis etiam bullę Cœnę Domini Papæ reſeruatis: ita poterũt Prælati Regulares abſoluere à ſimilibus caſibus ſuos ſubditos: Etiam poterunt, &c. ſequendo opinionem probabilem merè extrinſecè trãſeat conſequens: ſequendo opinionem ſecuriorem, & probabiliorem tam ab extrinſeco: quam ab intrinſeco nego conſequẽtiã. Vnde tenendam eſſe abſolutè in praxi noſtram opinionem iudico. Tum quia ſecurior, & probalior eſt; tum etiam quia in re tam graui vt eſt abſoluere à caſibus Pontifici reſeruatis non debent Prælati regulares in praxim reducere contrariam opinionem; cum careat iu trinſeco fundamẽto: & noſtra opinio argumenta efficacia habeat: quibus ſuadetur non poſſe Prælatos Regulares ex vi præcisè prædicti decreti Concilij Tridentini ſuos ſubditos à prædictis caſibus occultis Summo Pontifici reſeruatis abſoluere.

RESOLVTIO XII.

Vtrum Prælati Regulares: ſaltem virtute priuilegij Sixti Quinti Patribus Ordinis Prędicatorũ cõceſſi poſſint hodie ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis abſoluere, aut virtute aliorum priuilegiorum Regularibus à Summis Pontificibus conceſſorum.

128 NEgatiuè reſpondent præcipuè quo ad abſolutionẽ a caſibus reſeruatis contentis in bulla cœnæ Domini Nauarrus

cap.

cap.27. Peña in directorio Inquiſitionis 3. par. quæſt. 92. commento 141. verſo penultimo Maiolus lib. 5. de irregolaritate cap. 46. num. 5. Toletus in ſumma in bulla cœnæ examine 14. in fine Guttierrez lib. 1. quæſtion. canonicarum cap. 13. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæſt. 3. & cap. 10. quæſt. 10. & plures alij, quos citat Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 4. tract. 2. de excommunicatione diſp. 27. quæſt. 45. & quæſt. 63. §. 2. eiuſdem diſputationis, & quæſt. 67. Sigiſmundus à Bononia tract. de electione dub. 69. nu. 13. Aſcanius Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. diſp. 14. quæſt. 15. nu. 3. Ioannis de la Crux de ſtatu Religionis lib. 1. cap. 6. dub. 15. concluſ. 1. Zanardus in directorio Theologiæ part. 2. cap. 17. Naldus in ſumma verbo nouitius n. 7. Vechius in praxi nouit. diſp. 9. dub. 6. num. 3. Graffius in appẽdice lib. 1. cap. 7. num. 22. quos citat Pater Antoninus Diana pa. 3. tract. 2. de dub. regul. reſolut. 72. vbi aſſerit, quod ipſe in cõtroueꝛſia; tam graui non vult Iudicis officium agere, & ita de hoc puncto alijs cogitandum relinquit.

129 Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia omnia priuilegia, quorum virtute Prælati Regulares antea valebant ſuos abſoluere ſubditos in foro conſcientiæ à caſibus occultis Papæ reſeruatis, nunc ſunt derogata: ergo nec virtute priuilegij Pij Quinti conceſſi Prouincialibus Ordinis Prędicatorum, nec virtute aliorum priuilegiorũ ab alijs Summis Põtificibus conceſſorum Regularibus, poſſunt Prælati Regulares ſuos ſubditos abſoluere à caſibus occultis Papæ reſeruatis in foro conſcientiæ, conſequentia eſt euidens, & antecedens Probatur primo: quia omnia priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa Regularibus pro abſolutione à peccatis, & cenſuris Papę reſeruatis ſunt iam omninò reuocata per promulgationem annuam Bullę Cęnę Domini: quia per promulgationem dictæ Bullę reuocatur Epiſcopis poteſtas, ſeu facultas eis conceſſa in Concilio Tridentino abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis præcipuè contentis in dicta Bulla Cænæ Domini, vt docent Nauarrus cap. 27. num. 275. verſu 14. dicens ſic declaraſſe Pium Quintum, & Gregorium 13. Peña in directorio Inquiſitionis part. 3. quæſt. 92. commento 141. verſu penultimo vbi ait; ſic ſæpe pronuntiatum eſſe in ſupremo Conſiſtorio Romano ſanctę Generalis Inquiſitionis Bartholomæus ab Angelo in examine Confeſſorum dialogo 5. §. 554. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 2. nu. 11. dicens ſic declaraſſe Congregationem Cardinaliũ, & tom. 5. diſp. 21. ſect. 3. nu. 5. & alij, quos citat Thomas Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 26. ergo etiam remanent reuocata priuilegia omnia Regularibus conceſſa pro abſolutione à reſeruatis Summo Pontifici. Secundo probatur idem antecedens: quia omnia regulariũ priuilegia, quibus cõceditur Superioribus Regularibus facultas abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis ſunt reuocata per decretum Vrbani Octaui latum die 17. Nouẽbris anno 1628. vt docet Pater Antoninus Diana par. 1. tract. 5. reſolut. 6. & part. 3. tract. 2. de dubijs Regualarium reſolut. 122. & par. 6. tract. 6. reſolut. 54. & par. 10. tract. 13. reſolut. 22. vbi

præter decretum Vrbani Octaui refert decretum Innocentij Decimi, quod conſtare affirmat ex quadam Epiſtola ſacræ Congregationis directa ad Archiepiſcopum Neapolitanũ Cardinalẽ Filomarinum tenoris ſequentis Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Signor mio oſſeruandiſſimo. Queſta ſacra Congregatione hà più volte declarato con ordini eſpreſsi di Clemente 8. di Gennaro, e Nouembre 1602. di Paolo Quinto di Gennaro 1617. di Vrbano Ottauo ſanta memoria di Nouembre 1628. che tutte le facultà d'aſſoluere da caſi reſeruati, ò reſeruandi dagl'Ordinarij, ò vero compreſi, ò da comprenderſi nella bolla in Cæna Domini implicitè, vel explicitè, & altri reſeruati ſolamente alla ſanta ſede nel medeſimo decreto di Nouembre 1602. conceſſa a ſecolari, ò Regolari congregationi, ò Confraternità di qualũque prerogatiua, ò ſpecialità etiam neceſſariò exprimenda ſono ſtate annullati, & eſtinte così dal Sacro Conſiglio di Trento: come dalle ſudette conſtitutioni. E che in vigore delle confirmirmationi, eſtenſioni, ò communicationi, ottenute doppo, ò da ottenerſi per la uenire ſotto qualſiuogliano ampliſſime clauſule, non s'intẽda mai reuocata la ſudetta facultà riſeruando ſolo gl'indulti conceſſi ſpecialmente fuori di Italia, ò dentro Roma quanto alli caſi reſeruati alla sãta ſede nõ cõpreſi nella ſudetta bolla. Onde venendo repreſentato alla Santità del Noſtro Signore di V. Eminenza con ſua lettera di 4. d'Agoſto precedenti che in coteſta Città, & ſua dieceſi alcuni Confeſſori ſecolari, & regolari ſenza giuſtificare cõ quali facoltà aſſoluano de facto delle cenſure, e caſi ſudetti. Et in oltre diſſeminando opinioni erronee aſſeriſcano, che per poter aſſoluere validamente delli caſi reſeruati agl'Ordinario baſti hauer domandato al medeſimo la facoltà: ancorche ricuſi di concederla. Queſti Eminentiſſimi mei Signori di commiſſione eſpreſſa di ſua Beatitudine mi hanno impoſto di ſcriuerli che colla autorità, che hà tal'effetto ſe li communica in virtù delle preſenti, e ſotto le pene che giudichirà eſpedienti faccia intẽdere à tutti i Confeſſori di coſtì ſiano quãto ſi vogliano priuilegiati, & eſſenti che onninamente ſi conformano con i ſudetti decreti, & non ardiſcono di contrauenire ſotto qualſiuoglia preteſtu, ò caſo, etiam di preciſa neceſſità forche in articulo mortis con reincidenza ſi conualuerint. Dichiare ſimilmente annullati tutti gl'oraculi, & indulti Apoſtolici ottenuti in voce da detto tempo in quà, & à gl'altri, che pretendino hauerne breue, ò bolla in forma ſpecifica doppo gl'vltima conſtitutione di Vrbano, prefigga, vn termine perẽtorio di trè meſi ad eſibirle a queſta ſacra congregatione; altrimẽte vuole, e dichiara Noſtro Signore che s'intendano decaduti, e priuati di eſſi eò ipſo ſenz'altra intimatione. E finalmente che doppo hauer fatto notificar coſtì: doue, & come ſtimerà eſſer di biſogno, che quelli, che dimãdano à gl'Ordinario la facoltà d'aſſoluere, & non gl'ottengono, non poſſano valerſene. Ella dichiari incorrere nella ſuſpenſione dagl'vdirli le confeſſioni ſacramentali quelli, che publicamente difendiranno la dottrina ſudetta, ò pure preſumeranno temerariamente d'aſſoluere ancor-

corche loro ſia ſtata negata, ò non conceſſa la facoltà dagl'Ordinarij. Così V. Eminenza reſti ſeruita di fare che puntualmente ſi aſſeguiſca con dar quà diſtinto auiſo degl'operato, & io le baggio humilmente le mani di Roma 7. Decembre 1647. di V. Eminenza humiliſsimo, & affettionatiſſimo Seruidore M. Cardinale Ginetti G. Arciueſcouo di Petraſſo Secretario. Barboſa in ſumma Apoſtolicarum deciſionũ verbo hęreſis, & Latius verbo abſolutio collect. 9. nu. 7. Lezana in ſumma quæſtionum regulariũ tom. 1. cap. 19. nu. 17. Ioannes Maria Nouarius in lucerna Regularium verbo abſolutio nu. 1. Machadus tom. 2. lib. 5. part. 3. tract. 2. documento 5. Trullẽch. in Bul. Cruciatæ lib. 1. §. 9. dub. 3. nu. 11. ergo Prælati Regulares ſtante dicta priuilegiorum regularium reuocatione non poſſunt vi illorum ſuos ſubditos abſoluere à caſibus occultis Papę reſeruatis præcipuè ab illis, quæ in Bulla Cænę Domini continentur.

130 Secunda, & probabilior ſententia affirmat poſſe Prelatos Regulares virtute priuilegiorũ illis à Summis Pontificibus conceſſorum ſuos ſubditos abſoluere à caſibus occultis Papæ reſeruatis etiam contentis in Bulla Cęnę Domini (excepto caſu hęreſis externę, de quo poſtea) ita ſuſtinent Paſſarellus in compendio §. 10. Rodriquez in bullario in fine folio mihi 920. & tom. 1. quęſtionum regularium quęſt. 20. art. 9. (& non quęſt. 69. art. 9. vt malè citat eum Pater Leãder à Sanctiſſimo Sacramento part. 4. tract. 2. de excommunicatione diſp. 17. §. 2. quæſt. 73.) Miranda tom. 1. manualis Regularium quęſt. 46. Villalobos to. 1. ſummę tract. 9. de Sacrament. pœnit. difficult. 60. nu. 3. Pater Magiſter Hinojoſa in directorio deciſion. regul. verbo confirmatio gratię, & verbo abſolutio vbi ſic inquit; abſoluere poſſunt per priuilegia Apoſtolica non ſolum Magiſter Ordinis, & Prior Prouincialis, & Conuentualis: ac ſede vacante ſub Prioris, vel Vicarius electus à tribus Patribus antiquioribus, vel cui datur à Prouinciali, vel Capitulo in regimen Conuentus ob defectum prioris: vel etiam Vicarij Domorum, quæ nõ ſunt Prioratus Fratres ſuos vel alios eiuſdẽ ordinis vndecumque ad eos declinantes ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, etiam Sedi Apoſtolicę reſeruatis, etiam de Cæna Domini (exceptis hæreticis elapſis, Schiſmaticis literas Papę falſificantibus, vel ad infideles prohibita deferentibus, vel in Papam conſpirantibus) prædicta omnia conceſſere Clemens 4. Sixtus 4. Iulius 2. huiuſque Hinojoſa de cuius priuilegijs etiam facit mentionem Rodriquez in Bullario pagina mihi 589. & loco citato ex to. 1. quęſtion. regul. Villalobos loco ſuperius citato difficult. 61. num. 6. per hęc verba: los dichos Prelados pueden abſoluer à ſus ſubditos de los caſos de la bula de la Cena, e nel fuero de la cõciencia por vna conceſsiõ de Gregorio 13. he hecha al General y Commiſſario General de nueſtro Orden para ſus ſubditos y ſubditas, y antes auia concedido Iulio 2. a los Religioſos de la orden de Predicadores que puedieſſen ſer abſolutos, y diſpenſados por ſus Prelados de los caſos de la dicha bula no obſtante que cada año ſe publica con nueua reſeruacion exẽpto del peccado del conſpira-

ra-

racion contra el Sumo Pontifice y a quellos per los quales quiſo Sixto 4. que ſe recurieſſe à la Sede Apoſtolica: de lo qual trata latamente el P. F. Man. Rodrig. l. y en el fuero exterior tienen la dicha autoritad los Prouinciales de las Indias occidentales reſpeto de los ſubditos, deputados à la conuerſion de los Indios, que aſi lo concedio Adriano 6. en el año de 1521. apeticion de Carlos 5. y Gregorio 13. cõcedio lo miſmo à los cuſtodios de la India Oriental, en el fuero de la conciencia ſaluo de la heregia y conſpiracion contra la perſona del Papa y de las manos violentas, en los Prelados y la falſificacion de las letteras Apoſtolicas. Refiere eſtas conceſſiones, el Padre Frater Manuel Rodriquez Pater Franciſcus à Sancto Bernardino in regula Sancti Franciſci cap. 7. controuerſia 20. ſect. 5. Martinus à San Ioſeph in monit. Confeſſariorum cap. 7. qu. 3. Leander à Murſia in regula Sancti Franciſci cap. 21. ſuper ſeptimum regulę caput, qui addit quod Martinus Quintus, qui fuit creatus Pontifex anno 1417. conceſſit, vt refert Caſarubeus in compendio tit. abſolutio ordinaria, quoad fratres, Priori regalis monaſterij Sancti Benedicti Vallis Soleti, vt ipſe in foro conſcientię poſſit abſoluere monachos ab omni excommunicationis cenſura: etiamſi talis eſſet, quam ipſe Summus Pontifex reſeruare conſueuit, & cum eis in omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſeruat in morte videlicèt, & in mẽbrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione valeat diſpẽſare: dum tamen aliquod horum trium non ſit notorium, quę cõ 131
ceſſio ſe extendit ex priuilegio Eugenij Quarti omnibus monaſterijs dicti Ordinis, vt refert Caſarubeus. De quo priuilegio etiã agunt Hinojoſa loco ſuperius citato, Rodriquez tom. 1. quæſtion. regul. queſt. 24. art. 12. Villobos to. 1. ſummæ tract. 21. difficult. 9. concl. 3. num. 15. & 16. Bauny tract. 4. de pœnit. queſt. 32. Bagnes 2. 2. quæſt. 4. dub. 2. poſt. 2. concl. Hieronymus Rodriquez in compendio queſtion. regul. reſol. 3. nu. 3. Pater Laurentius de Peyrinis tom. 2. priuilegiorum regul. conſtitut. 4. Sixti Quarti §. 5. à num. 10. Portel in additionibus ad dubia Regularia verbo Abbas nu. 8. Vega tom. 1. ſummæ cap. 49. caſu 1. Pater Magiſter Vincentius Candidus tom. 1. diſquiſitionum moralium diſquiſit. 22. art. 50. dub. 6. & 8. Caſtropalaus tom. 1. trac. 4. diſp. 4. punt. 3. §. 3. nu. 1. vbi hanc poteſtatem abſoluendi à reſeruatis Summo Pontifici affirmat habere Patrem Præpoſitũ Generalem eiuſdem Ordinis ex conceſſione Gregorij 13. data 18. Martij 1584. (quarè male illum citat pro hac noſtra opinione Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento in dicto tom. 1. trac. 1. diſp. 4. punt. 3. §. 1. nu. 5. Nam in dicta diſputatione nullum habet §. & ſolum habet duo puncta, & nullo modo puntum tertium, in quibus puntis nihil de hac re tractat.) Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part. 4. tract. 2. de excommunicat. diſp. 17. §. 2. quæſt. 73. Paſqualigus in quæſtionib. moralib. canonicis cent. 2. quæſt. 146. nu. 6. D. Marcus Vidal. in arca vitali tract. de caſibus reſeruatis inquiſiti. 1. cõcl. 3. nu. 81. Verricellus in quæſt. moral. & legalibus tract. 8. quæſt. 15.

Hãc ſententiam probat Pater Leandet à ſanctiſſimo Sacramẽto

to dicta quæſt. 73. hac ratione: quia certum eſt, quod Prælati regulares habẽt per ſua priuilegia erga ſuos ſubditos omnẽ authoritatem abſoluendi, & diſpensãdi quam habent Epiſcopi vigore Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. erga ſuos ſubditos: ſed Epiſcopi poſſunt abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis, etiam Bullæ Cænæ Domini, & ab omnibus excommunicationibus eis annexis, ortis ex delictis occultis: ergo idem poterunt erga ſuos ſubditos Prælati Regulares caſu quo prædicta priuilegia non ſint reuocata, vt pro nunc ſupponimus. Maiorem vt certam ſupponit Pater Leander ex eò quod Summus Pontifex Pius Quintus conceſſit priuilegium Dominicanis Prioribus, tàm Prouincialibus, quàm conuentualibus, vt ipſi per ſe ipſos idem omninò poſsint in fratres, & moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos quoad abſoluendi, & diſpẽſandi in foro animæ, ſeu conſcientiæ, quod poſſunt Epiſcopi vigore Concilij Tridẽtini dict. ſeſſ. 24. cap. 6.

132 Sed hæc ratio (ſalua pace tanti Doctoris) nihil probat: quia in primis non eſt certum, quod Prælati Regulares habeãt per ſua priuilegia erga ſuos ſubditos in foro conſcientiæ omnem authoritatem abſoluendi, & diſpenſandi, quam habẽt Epiſcopi vigore Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. erga ſuos ſubditos, cum de hoc in præſenti diſputemus, an priuilegia Regularium, quibus Prælatis facultas conceditur abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis, etiam cõtentis in bulla Cænæ Domini nõ ſint reuocata de qua re magna eſt varietas inter DD. vt ſupra vidimus; nam aliqui non infimæ authoritatis DD. affirmant prædicta priuilegia eſſe reuocata, ergo non eſt certum (vt ſupponit dictus Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento) quod Prelati Regulares habeãt per ſua priuilegia erga ſuos ſubditos in foro conſcientię omnem authoritatẽ abſoluendi, & diſpenſandi, quam habent Epiſcopi vigore Concilij Tridentini dict. ſeſſ. 24. cap. 6. erga ſuos ſubditos. Deindè: quia etiã valdè dubiũ eſt inter DD. an Epiſcopi poſſint abſoluere nunc ſuos ſubditos ab omnibus caſibus Papę reſeruatis etiã in Bulla Cęnę Domini, & ab omnibus excõmunicationibus eis annexis, ortis, ex delictis occultis, cum nonnulli DD. affirment non improbabiliter prædictam facultatem Epiſcopis conceſſam abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus, & cenſuris occultis Papæ reſeruatis eſſe derogatam per annuam publicationem bullæ Cænæ Domini: ergo dum non probetur prædicta regularium priuilegia non eſſe reuocata, non probatur legitimè Prelatos Regulares virtute, eorũdem priuilegiorum poſſe ſuos ſubditos abſoluere in foro conſcientiæ à caſibus, & cenſuris annexis eis Papæ reſeruatis, dum prædicti caſus occulti ſint, & nõ deducti ad forũ cõtentioſum.

133 Qua propter probatur 1. noſtra ſententia ratione adducta à Rodriquez, & Suarez locis ſuperius citatis, quia quotieſcumque regularium priuilegia eis à Sũmis Pontificibus cõceſſa nullo valido fundamento, aut authentica authoritate poteſt probari, quod ſint reuocata, manent in ſua authoritate, & vigore; ita vt valide, licitè poſsint regulares in quorũ fauorem fuerunt conceſſa, illis validè, & licite vti; atqui nulla poteſt aſsignari ratio efficax, aut

au-

authoritas authentica, qua conſtet eſſe reuocata priuilegia ſummorum *Pontificium*, quibus *Prælatis* Regularibus facultas conceditur abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis *Papæ* reſeruatis, & à cenſuris eis annexis etiam Bullę Cęnæ Domini, quinque primis exceptis, qui dicuntur in primo capite; ergo hodie poſſunt *Prælati* Regulares abſoluere ſuos ſubditos in foro conſcientiæ à dictis caſibus, & cenſuris eis annexis *Papę* reſeruatis, etiam bullę Cęnę Domini. Maior ex ſe eſt manifeſtè certa: Minor verò probatur, nam ſicut in conceſſione generali caſuum ad Sũmum *Pontificem* expectantium non veniunt caſus Bullę Cęnæ Domini, vt communiter *DD.* cõcedunt; ſed requiritur, quod in ſpecie concedantur, *ita* in reuocatione generali priuilegiorum abſoluendi à caſibus *Papę* reſeruatis non comprehenduntur ea, quę expreſsè abſolutionem caſuum dictę Bullę concedunt, ſed requiritur quod de ijs fiat expreſſa mentio hoc pacto (vt benè notat *Peyrinus* loco ſuperius citato nu. 11.) videlicèt per nullum priuilegium poſſint abſolui à caſibus bullæ cęnę etiã ſi in ijs authoritas ad eorum abſolutionem concedatur: atqui hoc huiuſque factum non eſt; ergo priuilegia Regularium quoad hoc modo non ſunt reuocata, conſequẽtia hęc ex præmiſſis ſequitur, & maior huius diſcuſsus quoad primã partem ab omnibus Doctoribus abſque controuerſia cõceditur, quoad ſecundam vero partem, in qua eſſe poteſt difficultas probatur: quia per eaſdem cauſsas ſoluitur res per quas naſcitur, vt habetur in l. prout quiſque ff. de ſolut. matr. l. ſicut proponis C. de nupt. l. nihil tam naturale ff. de regulis iuris: ergo ſicut ad concedendam abſolutionem à caſibus bullę Cęnæ requiritur expreſſa illius mentio: ita ad dictam conceſsionem tollendam eadem mentio requiritur: ergo cum nulla huiuſmodi mẽtio habeatur in bulla Cęnę Domini, aut in alio *Pontificio* decreto, de quo authenticè conſtet, non debemus aſſerere prędicta Regulariũ priuilegia, in quibus facultas *Prelatis* Regularibus conceditur abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientię à caſibus occultis; & cenſuris eis annexis *Papę* reſeruatis etiam in Bulla Cęnę Domini (exceptis qninque primis) modo eſſe derogata.

134 Nec valet ſi dicas, quod prędicta priuilegia Regularium intelligũtur derogata per illas clauſulas Bullę Cęnę Domini nullus prętextu quarumlibet facultatũ etiam mendicantibus conceſſarum abſoluere audeat, &c. Hoc inquam non valet, nam vt bene notat *Peyrinus* vbi ſupra nu. 14. & Rodriquez, & Suarez per illas clauſulas intelliguntur derogata priuilegia generalia abſoluendi à caſibus papalibus, vt nimirum illa non ſufficiant ad abſoluendũ à caſibus Bullę Cęnę Domini: nõ autem reuocãtur priuilegia expreſsè concedentia dictorum caſuum abſolutionẽ. Quod patet ex Bulla Cęnæ Domini *Sixti* Quinti, & Clementis Octaui, in quibus habetur iſta clauſula niſi in eis (priuilegijs) etiam caſus præſentibus literis expreſsi comprehendantur. Quæ clauſula, licèt in alijs Bullis aliorum Summorum *Pontificũ* non habeatur, tamen ſemper debet intelligi propter rationem, qua noſtram ſententiam probauimus nu. præcedenti, ſcilicet, quia per eaſdem cauſas ſoluitur res, per quas naſci-

ſcitur : & ita ſicut ad concedendam abſolutionem à caſibus Bullæ Cænę requiritur expreſſa illius mentio : ita ad dictam conceſſionem tollẽdam eadem mẽtio requiretur.

135 Secundo probatur noſtra ſententia : quia ratio , quę mouit Summos Pontifices ad hanc authoritatem *Prælatis* Regularium concedendam in ordine ad ſuos ſubditos fuit ad tollendas eorum vagationes, & ad illorum quieti conſulendum , vt colligitur ex cap.cum ſingula de prębendis in 6. & cap. ſtatutum lib. 3. decretalium tit. 24. ne Clerici, vel monachi, & capit. cum illorum de ſentent. excommunicationis §. qui ſi clauſtrales : atqui hę rationes mouere debent nõ minus *Pontifices* preſentes , qui non ſunt minus *Patres* , & ſuperiores Religioſorum regularium: quam illi præteriti: ergo cum clarè de eorum mente non conſtet dicẽdum eſt huiuſque non reuocaſſe dicta Regularium priuilegia , in quibus à ſummis *Pontificibus* cõceditur *Prelatis* Regularibus facultas abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis *Papę* reſeruatis, & cenſuris eis annexis ; etiam bullæ Cęnę Domini.

136 Ad fundamẽtum oppoſitę sẽtentię reſpondetur negando antecedẽs & ad eius primã probationẽ reſpõdeo negãdo ſimiliter antecedens, nempè per publicationem annuam bullę Cęnæ Domini manere reuocatum decretum Concilij *Tridentini* ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. in quo conceditur Epiſcopis facultas abſoluendi ſuos ſubditos in ſua dięceſi à caſibus occultis *Papę* reſeruatis , vt docent Fagundez in præcepta Eccleſiæ pręcepto 2. lib. 8. cap. 8. num. 32. & 33. Lorea 2.2. diſp. 45. de fide Bagnes 2.2. quęſt. 11. art. 4. dub. 2. verſu, et ſi quis obijciat Ioannes Gutierrez lib. 1. canonicarum cap. 13. circa finem Rodriquez tom. 1. quęſtionum regularium quęſt. 20. art. 10. & quęſt. 61. art. 9. Vega in ſumma tom. 1. cap. 125. caſu 11. Gomez in Bullam Cruciatę clauſula 10. num. 44. Zerola in praxi part. 2. verbo abſolutio §. 8. Boſſius de iubileo ſect. 1. caſu 10. §. 2. num. 10. 11. & 12. Pater Iacobus Granadus 2. 2. controuerſia 1. tract. 15. diſp. 14. num. 8. Eligius Baſſeus verbo caſus reſeruatus num. 33. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. Antonius Fernandez de Moura par. 3. cap. 10. §. 16. ſec. 1. nu. 7. Pater Magiſter Baſilius Pontius de Leon lib. 8. de matrimonio cap. 5. nu. 14. Molina de iuſt. & iure tom. 4. tract. 3. diſp. 61. nu. 5. Ludouicus à Sancto Ioanne in ſumma art. 18. difficult. 21. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 4. tract. 2. de excommunicatione diſp. 17. qu. 76. Vnde conſequenter negandum eſt priuilegia Regularium, in quibus facultas cõceditur Prę latis Regularibus abſoluẽdi ſuos ſubditos à caſibus occultis *Papæ* reſeruatis : modo eſſe reuocata per publicationem annuam bullæ Cœnæ Domini.

137 Cuius rationem reddit Pater Leãder à Sanctiſſimo Sacramẽto loco ſuperius citato. Prima eſt: nam probabile ſatis eſt, quod facultas abſoluèdi à dictis caſibus Papæ reſetuatis conceſſa eſt Epiſcopis per Tridentinum , & non reuocata in promulgatione Bullæ Cœnę Domini; ergo neque facultas conceſſa regularibus . Antecedens ſupponit ex ab ipſo dictis dict. tract. 2. diſp. 17. qu. 45. & conſequentiam probat, quia probabile eſt, quod in dicto decreto nomine Epiſcopi veniãt Prælati Regulares ; ergo ſi Epiſcopis nõ eſt reuocata abſoluẽdi

facultas, & nomine Episcopi veniũt Prælati Regulares euidẽs est, quod neque his est reuocata. Secundam rationẽ assignat: quia ferè certum est, quod priuilegiũ Pij Quinti, in quo conceditur Prælatis Regularibus omnis facultas absoluẽdi, & dispẽsandi, quam habent Episcopi vigore Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformat. non reuocetur per promulgationem Bullę Cœnę Domini, ergo si aliàs per aliud Põtificis decretum non reuocetur, licitum erit dictis Prælatis tali priuilegio vti. Antecedens probat ex Hinojosa in directorio Regularium verbo confirmatio gratiæ per hęc verba; pro certo habendum est nunquam fuisse reuocatam declarationem illam Pij Quinti die 21. Iulij 1571. in gratiam Ordinis nostri factam; cuius meminimus supra verbo absolotio 1. & est infrascripti tenoris: quia sacrum Concilium Tridẽtinum concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro conscientiæ tãtum ab omnibus peccatis, & dispensare super irregularitate, (vt habetur sess. 24. ca. 6.) ne Priores Conuentuales, & alij Superiores deterioris conditionis: quam Laici, & Clerici, concedimus eis, vt ipsi per se ipsos idẽ omninò possint in fratres, & moniales sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subditos: quoad absoluendum, & dispensandum, et alia ibidem concessa.

138 Sed hę rationes non satisfaciũt efficaciter. Non prima: quia supponit quod debet probari. nã licèt verum sit quod facultas absoluendi à dictis casibus Papę reseruatis concessa Episcopis per Tridentinum Concilium non sit reuocata in promulgatione Bullæ Cœnę Domini, vt sanior pars Doctorum concedit; tamen cum hoc benè potest stare, quod maneant reuocata priuilegia superioribus Regularium concessa absoluendi suos subditos à dictis casibus occultis Papæ reseruatis; cũ Prælati regulares nõ habeant prędictam facultatem, et authoritatem absoluẽdi suos subditos: prędicti Prælati Regulares, vt supra probauimus resolut. prędicta facultas absoluendi conceditur à Tridentino illis solum, qui diœcesim habent, vt constat ex illis verbis pro diœcesi sua: atqui Prælati Regulares nõ habent diœcesim: ergo non comprehenduntur ibi nomine Episcoporum; licet in dicta facultate Episcopis cõcessa in Tridentino comprehendãtur ex particulari extensione, quam Pius Quintus fecit, & nos supra retulimus: ergo dicta ratio prima Patris Leandri à sanctis. Sacram. non benè suadet priuilegia Prælatis Regularibus absoluendi suos subditos à casibus occultis Papę reseruatis non esse reuocata per annuam publicationem Bullę Cęnę Domini. Secũda etiam ratio non conuincit: nã supponit vt certum id quod debet probari: cum enim tota controuersia prędens sit: an priuilegia Regularium in ordine ad absolutionem à casibus occultis Papę reseruatis illis concessa maneant derogata per publicationẽ Bullę Cœnę? non bene respõdetur ad quæsitum non manere derogata: quia certum, est non manere derogatum decretum Pij Quinti per dictam Bullæ Cœnę annuam publicationem: nam hoc est manifestè petere principium: cum id, quod reuocatur

in-

indubium ſit, an prędictum priuilegium Pij Quinti conceſſum prędatis regularibus, vt poſſint ſuos ſubditos abſoluere in foro conſcientię à caſibus occultis Papæ reſeruatis, eadem facultate; qua vigore Concilij Tridentini poſſunt Epiſcopi in ſua dioeceſi ſuos ſubditos abſoluere à dictis caſibus in foro conſcientię maneat: vel non maneat derogatum per annuam publicationem Bullę Cœnę Domini: ergo reſpondere certum eſſe nõ manere derogatum eſt manifeſtè petere principium, & ſupponere, vt certum id, quod erat probandum.

139 Quare melius alij DD. ex ſupra à nobis relatis rationem aſſignat ad probãdũ nõ manere derogatũ ſupradictũ Cõcilij Tridẽtini, priuilegiũ, in quo Epiſcopis conceditur facultas abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientię à caſibus occultis, et cenſuris eis annexis Papę reſeruatis per annuã Bullæ Cęnę publicationem, ſcilicèt: quia quamuis in Bulla Cœnę derogentur omnia priuilegia: quantum ad abſolutionem plurium delictorum, et excommunicationum ibi contentarum, tamen, quia non fit expreſſa mẽtio Bullę Cruciatę non cenſetur derogata, ſed virtute illius, poteſt quis abſolui ſemel in vita, et 140 ſemel in morte, vt expreſsè tradunt Villalobos prima par. ſummę tract. 9. difficult. 61. num. 5. Quod dicit in praxi probabilius ſequendum Hieronymus Rodriquez reſolut. 3. num. 3. §. item Gregorius: ergo quamuis Summus Pontifex in Bulla Cœnę dicat, quod nullus per alium, quã per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo à cenſuris, & caſibus prędatę Bullę etiam prętextu quarumdam facultatum, & indultorum, quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, etiam epiſcopali, vel alia maiori dignitate prædítis: nec non Laicis etiam Imperiali Regali, & alia mundana eccellentia fulgẽtibus, per nos, et dictam ſedem: ac cuiuſcumque Concilij, decreta, etc. quamuis hoc dicat Põtifex: niſi expreſſa mentione facta poteſtatis Concilij Tridentini Epiſcopis conceſſæ non intelligitur derogata. Quia cum Concilium Tridentinum modernum ſit, et in eo magna conſideratione, deliberatione, et maturo conſilio conſultato ſummo Pontifice, patres proceſſerint, nõ intelligitur derogatum: niſi de illo fiat expreſſa, et indiuidua mentio, vt cum multis docet Diana 1. part. tract. 16. reſolut. 33. ſecutus Couarruuias lib. 4. variarum capit. 16. nu. 6. Gutierrez l. nemo poteſt delegat. 1. nu. 173. ergo cum in Bulla Cœnę Domini nulla fiat expreſsa, et indiuidua mentio dicti decreti Cõcilij Tridentini, cõſequens eſt, vt per dictę Bullę publicationem non maneat derogata facultas, qua in dicto decreto Concilij Tridentini conceditur Epiſcopis poteſtas abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis in foro conſcientię.

Quod autem priuilegia Regularium, in quibus conceditur eorũ ſuperiobus facultas abſoluẽdi ſuos ſubditos à caſibus occultis, et cẽſuris eis annexis Papæ reſeruatis: etiam in bulla Cœnę Domini (quinque primis exceptis) non maneant derogata per annuam Bullæ Cęnę publicationẽ, probatur: quia ad hoc vt dicta priuilegia expreſſe concedentia abſolutionem à caſibus Papæ reſeruatis etiam in bulla Cœnę cẽſeantur reuocata, debent expreſ-

ſe reuocari: atqui in bulla Cœnæ non fit expreſſa mentio dictorum priuilegiorum Regularium: ergo nõ cenſentur reuocata per dictæ Bullæ Cœnæ Domini annuam promulgationem. Deindè: quia Iulius Secundus in conſtitutione eius quarta decima declarauit, quod non obſtante publicatione dictæ Bullæ Cœnæ, quæ fit ſingulis annis poſſunt illi, quibus per priuilegia cõceſſũ eſt, in perpetuum abſoluere ab omnibus caſibus in ea contentis exceptis illis quinque; ac ſi prædicta Bulla Cœnæ non eſſet facta nec fieret per hæc verba. Dilecto filio Thomæ deuio Caetano Magiſtro Generali Ordinis *Prædicatorum* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem §. 1. Exponi nobis feciſti, quod licèt felicis recordationis *Sixtus Papa* Quartus Prædeceſſor noſter, ſecundũ carnem Patruus extendendo, declarauit, in quibus caſibus ad Sedẽ Apoſtolicam recurrendum 141
eſſet pro abſolutione, & diſpenſatione cenſurarum, & irregularitatum à perſonis Ordinis *Prædicatorum*: nihilominus propter clauſulas derogatorias poſitas in Bulla, quæ ſingulis annis in Cœna Domini publicatur dubitas facultatem illam ordini prædicto adeptam ſuper conceſſione quoque, quam nuper fecimus Sororibus de pœnit. Beati Dominici nuncupatis collegialiter viuentibus, quòd poſſint tria vota Religionis emittere nonnulla declarari deſideras; & proinde ſupplicaſti humiliter, vt præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. §. 2. Nos igitur, qui *Religioſorum* quieti quantum cum Deo poſſumus libentèr conſulimus volentes occaſiones tollere vagandi, attendenteſque, quod multa in dicta declaratione conceſſa ſunt, quæ in Bulla prædicta continentur eiuſdem ſanctæ ſedis authoritate decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione cõceſſa eſt poteſtas abſoluendi, & diſpenſandi licitè poſſint perpetuis tẽporibus abſoluere, et diſpenſare ab omnibus, & ſingulis: ac ſi prædicta Bulla in Cœna Domini non eſset facta: nec fieret; præterquam à conſpiratione in Romanum Pontificem, & ab illis propterque prædictus Prędeceſſor noſter declarando voluit ad eamdem ſanctam ſedẽ etiam recurrendum. Quod etiam declarauerunt Paulus Quartus pro Congregatione Clericorum Regularium, vt refert Pellegrinus in eius compendio par. 2. verbo bulla §. 1. & Gregorius 13. pro Societate Ieſu, vt refert Suarez tom. 4. de *Religione* trac. 1. lib. 2. cap. 21. nu. 5.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: negando ſupradicta priuilegia Regularium eſſe reuocata per decretum Vrbani Octaui, & vt clarius procedamus placuit decretũ Vrbani de verbo ad verbum referre, quod ſic ſe habet. Sacra Congregatio ſanctæ Romanæ Cardinalium negotijs, et conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à ſede Apoſtolica poſt ſacrũ Cõcilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia, prius ab eodem Concilio: ac deindè etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atq; extincta, ſi quæ habebant abſoluendi à caſibus Ordinario reſeruatis: quemadmodum: neque indulta abſoluendi à caſibus cõten-

tentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuit, vtpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſequentibus priuilegiorum, confirmationibus: ac proinde Regulares cuiuſuis ordinis congregationis, Societatis, & inſtituti etiam neceſſariò exprimendi: nec intra, nec extra Italiam vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas: vel hactenus obtinuerunt: vel deinceps fortè obtinebunt poſſe quēquā abſoluere ab eiſdē caſibus in Bulla Cęnę, aut Ordinario loci reſeruatis; ac ſi ſecùs egerint abſolutiones nullas: atquè irritas fuiſſe, ac fore: ab alijs vero caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis: ſi quidem Regulares habent à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe ijſdem ſacræ Congregationis decretis, hac de re editis iuſſu ſanctę memorię Clementis VIII. quàm ſacræ Congregationis ſententiam ſanctitas ſua ad ſe relatam approbauit: mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabiliter obſeruari Romę decimo ſeptimo Nouēbris 1628. F. A. Cardinalis Sancti Onofrij. Sicque hoc decretum refert *Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento* part. 4. tract. 2. de excommunicatione diſput. 17. quæſt. 77.

142 Quo ſuppoſito dicendum eſt cum dicto *Patre Leandro à Sanctiſſimo Sacramento*, quod probabilius eſt per dictum decretū Vrbani Octaui non manere reuocata ſupradicta priuilegia Regularibus conceſſa vi quorum poſſunt *Prælati* Regulares abſoluere ſuos ſubditos in foro conſciētię à caſibus occultis, & cēſuris eis annexis Papę reſeruatis etiā in Bulla Cęnę Domini quinq; illis ſupradictis exceptis. Quod optimè colligit dictus Pater Leāder ex verbis ipſius decreti Vrbani Octaui. Tum quia per illud tantum reuocantur priuilegia aliūdè à Tridētino extincta: licèt poſt illud confirmata fuerint, vt ex illis verbis patet: cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à ſede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt nequaquam reuixiſſe priuilegia prius ab eodem Concilio: ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta: ſi quæ habebant abſoluendi à caſibus Ordinario reſeruatis, quemadmodum, neque indulta abſoluēdi à caſibus contentis in bulla, quæ in die Cęnæ Domini legi cōſueuit, &c. ergo cum prædictum priuilegium abſoluendi ab occultis reſeruatis Regularibus cōceſſum, non ſolū non ſit per Tridentinum extinctum, ſed potius ab eo emanatum, vt conſtat ex decreto Clementis 8. & Iulij Secundi ſupra relatis: plane ſequitur, quod decretū Vrbani 8. nec circa dictum decretum Pij Quinti: nec circa alia decreta Summorum Pontificium verſetur: ac proinde nec dicti priuilegia Regularium reuocet: ſeu annullet.

143 Nec obſtat, quod poſtea in decreto additur, ac proindè Regulares cuiuſuis ordinis in vim priuilegiorum: aut confirmationū eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt; vel in futurū obtinebunt: nec poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut ordinario reſeruatis, quia cum de ijſdem priuilegijs, & confirmationibus ſermo ſit, vt oſtendit particula, eiuſmodi, ſeu huiuſmodi; quæ relatiua eſt præcedentium cum omni-

nibus ſuis qualitatibus, vt docēt Gloſſa cap. Abbas de elect. in 6. Rebuffus l. 1. ff. de verb. ſignificat. Nauarrus cap. ſi quando remedio 6. n. 5. de reſcriptis Rota Romana apud Farinacium deciſ. 373. num. 6. tom. 1. par. 2. Hinc fit quòd ſi nec priuilegia, nec cōfirmationes illæ abrogatę ſunt per Tridentinum; nec per hoc decretum Vrbani abrogantur. Conſtat autem quod prędata priuilegia Regularibus circa abſolutionem reſeruatorum conceſſa non ſint abrogata per Tridentinum: cum potius ſint poſt illud per Pontifices conceſſa, vt ex ſupradictis conſtat.

144 Tum etiam: quia ſicut lex nō obligat ante ſufficientem, & authenticā promulgationem: ita nec reuocatio priuilegij, cum ſit quædam lex, vt docent Suarez de legibus cap. 40. Salas diſp. 17. ſect. 1. nu. 8. Bonacina de priuilegijs diſp. 1. quæſt. 3. punt. 8. n. 20. & alij DD. ſed hæc reuocatio priuilegiorum, quę Prędatis Regularibus quoad abſolutionem à reſeruatis à iure communi: vel ab homine ſunt conceſſa, nō eſt dictis Prælatis ſufficienter intimata, aut promulgata: ergo illis non obligat: ergo adhuc ſtante hoc decreto Vrbani fas erit Regularibus Prędatis ſuis priuilegijs de abſolutione à reſeruatis agentibus vti: conſequentiæ ſunt notę. Maior etiam eſt certa apud citatos DD. nec non apud Sotū lib. 1. de iuſt. quęſt. 2. art. 4 Hēriquez lib. 7. cap. 20. num. 1. ibi. priuilegium non amittit vim ante certificationem reuocationis ſeu ſuſpenſionis: quarè ſi ante tēpus reuocetur Bulla, & ignorās reuocationem eligit Cōfeſſariū, à quo abſolutus eſt à peccatis: etiā reſeruatis valet abſolutio ex prędumpta intentione Papę: ne alias reuocatio, & lex irritatoria afferat periculum illaqueandi animas ignorantium. Et apud Medinam 2. 2. quæſt. 21. art. 4. Hinojoſam in directorio deciſionum Regular. verbo cōfirmatio gratiæ, & alios DD. Minor vero etiā probatur ex doctrina Azorij tom. 1. lib. 5. cap. 22. quęſt. 7. Bonacinæ loco citato nu. 24. Salas diſp. 20. ſect. 18. num. 126. & Antonij de Quintadueñas in ſumma Theologię moralis ſect. 3 ſingulari. 15. num. 4. & aliorum. Quia vt reuocatio priuilegij conceſſi Ciuitati, Communitati, aut Religioni alicui obliget, debet notificari ipſi Ciuitati, Communitati, vel Religioni, aut Prędatis illius: at ſic eſt, quod hęc priuilegiorum reuocatio minime eſt Regularibus facta: ſeu intimata, vt affirmant omnes Religioſi, ac Prælati: ergo illis non obligat: huiuſque Parer Leāder à Sanctiſſimo Sacramento, qui alijs rationibus hoc ipſum ſuadet affirmans hanc ſolutionem, & doctrinam tenere poſt prędatum Vrbani decretum Crouſers in Regula Sancti Franciſci ſect. 28. Leandrum de Murſia in cap. 7. regulę Sancti Franciſci cap. 21. num. 12. Vincentius Candidus ſacri Palatij Magiſter tom. 1. diſquiſitionū moralium diſquiſit. 22. art. 47. in fine, & art. 49. & 50. Ex quo patet reſponſio ad literam illam Sacræ Congregationis Cardinaliū ſupra relatam ex Diana.

Re-

RESOLVTIO XIII.

Vtrum *Prælati Regulares* poſſint virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi exteriori occulta?

145 NEgatiuam ſententiam ſuſtinent quamplures DD. Sánchez lib. 2. ſummæ cap. 11. num. 7. qui pro hac ſententia citat Auilam de cenſuris par. 7. diſp. 10. dub. 6. Rodriquez tom. 2. ſummæ cap. 29. num. 4. & in quæſtionibus Regularibus to. 1. quæſt. 20. art. 10. Vegam to. 2. ſummæ cap. 125. caſu 12. in fine. Eamdē ſententiam tenent Santarellus tract. de hęreſi cap. 5. dub. 1. n. 9. Megala conſil. 21. nu. 6. Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. diſp. 14. quęſt. 17. num. 13. Diana p. 1. tract. 5. reſol. 6. & part. 3. tract. 2. reſol. 122. & part. 6. tr. 1. reſol. 54. & tract. 7. reſol. 63. & par. 8. tract. 7. reſol. 50. vbi ait contrariam ſententiam omnino eſſe repellendam: ſtante decreto ſacrę Congregationis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitę facto verbo cum ſanctiſſimo die 17. Nouembris 1628. Et ſuperiores Regulares dictam opinionem ſequentes eſſe ſeuerè puniendos in ſacro Tribunali, & pa. 10. tr. 13. reſol. 22. Caſtropalaus par. 1. tract. 4. diſp. 4. punt. 3. §. 1. nu. 22. Fagundez in 1. prę-cept. Decalogi cap. 15. n. 21. & alij.

146 *Probatur* 1. hęc ſententia: quia Epiſcopi, quibus conceditur in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. ca. 6. de reformat. facultas abſoluēdi per ſe ipſos ſolum ſuos ſubditos ab hęreſi occulta: hodie ſtāte promulgatione annua bullę Cœnę Domini, non poſſunt illos abſoluere in foro conſcientiæ ab hęreſi occulta: ergo multo minus poterūt Prelati Regulares virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere ſuos ſubditos ab ab hęreſi occulta: antecedens videtur certum; tum ratione multorum, & grauium Doctorū, qui hoc ſuſtinent, vt Suarez de pœnit. diſp. 30. ſect. 2. num. 11. & de cenſuris diſp. 21. ſect. 3. nu. 5. Peña in directorio 3. par. comment. 141. poſt quęſt. 92. verſ. penult. vbi teſtatur hanc doctrinā in ſupremo Generalis prętorio ſæpè pronuntiatam eſſe Tuſcus de veſitat. lib. 2. cap. 31. num. 5. & cap. 23. num. 4. Marcus Antonius Genuenſis in praxi Archiepiſcopi Neapolitani cap. 67. nu. 10. in prima editione, vbi teſtatur Gregorium 13. & Clementē 8. ſic declaraſſe. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 19. quęſt. 3. & cap. 10. quęſt. 10. qui affirmat ſe audiuiſſe à Religioſo docto, et fide digno ſic declaraſſe Clemētem Octauū, quos citat, et ſequitur Caſtropalaus vbi ſupra affirmans, quod pro hac parte extant duę authēticę declarationes Cardinalium, vt teſtatur Nicolaus Garzia 11. par. de beneficijs cap. 10. nn. 122. Tum etiam; quia negari non poteſt, priuilegium conceſſum Epiſcopis derogari poſſe à Summo Pontifice: atqui ex verbis Bullæ Cœnæ Domini, ſatis colligitur fuiſſe derogatum ſupradictum priuilegium Concilij Tridentini Epiſcopis conceſſum abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in foro conſcientię: ergo poſt promulgationem annuam bullę Cœnę Domini facultate carent abſoluendi ſuos ſubditos à dicta hęreſi occulta. Maior eſt indubita, & minor probatur: quia Pontifex prohibet in Bulla Cœnę Domini ne detur abſolutio hę-

re-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

reſis, & reliquorum caſuum in dicta bulla contentorum, prætextu priuilegiorum, quæ Epiſcopis, Religioſis, Conuentibus &c. conceſſa ſint àſede Apoſtolica decreto alicuius Concilij: atqui nullum Concilium, niſi Tridentinum hanc facultatem abſoluendi ab hæreſi, reliquiſque caſibus reſeruatis conceſſit: ergo hanc facultatem, quæ in hoc Concilio conceditur, intendit Pontifex reuocare, alias ſuperfluerent verba illa alicuius Concilij decreti. Conſequentia verò probatur, quia ſi Prælati Regulares poſſent ſuos ſubditos ab hæreſi occulta abſoluere, eſſet maximè ratione priuilegij Pij Quinti, & Iulij Secundi; atqui hæc priuilegia manent derogata in Bulla Cœnæ Domini, per illa verba prætextu priuilegiorum, quæ Religioſis, Cõuentibus, &c. conceſſa ſint à ſede Apoſtolica: aliàs dicta verba ſuperfluè in bulla Cœnæ Domini ponerentur: ergo non poſſunt Prælati Regulares in vi ſuorum priuilegiorũ ſuos ſubditos ab hæreſi occulta abſoluere.

147 Secundo probatur hæc ſentẽtia: quia licèt concedamus Epiſcopis, quod virtute decreti Concilij Tridentini poſſint ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta, non obſtante annua promulgatione Bullæ Cœnæ non indè ſequitur, eamdem facultatem concedi Prælatis Regularibus habentibus authoritatem, quaſi epiſcopalem; ergo poteſt optimè ſtare, quod Epiſcopi habeant prædictam poteſtatem abſoluendi ab hęreſi occulta, nõ obſtante promulgatione Bullæ Cœnæ, & quod illam nullo modo habeant Prælati Regulares in ordine ad ſuos ſubditos. Probatur antecedens: quia Epiſcopi vltra id, quod ſunt Epiſcopi, habent modò titulum Inquiſitorũ: imò ſunt Inquiſitores hæreticę prauitatis: atqui Prælati Regulares: minimę ſunt Inquiſitores, reſpectu ſuorum ſubditorũ: ergo non bene infertur: Prælati Regulares habent iurisdictionem, quaſi Epiſcopalem; ergo poſſunt abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus, à quibus Epiſcopi poſſunt abſoluere ſuos Diœceſanos, & per conſequens à crimine hęreſis occultę: cum Epiſcopi vltra iuriſdictionem epiſcopalem ratione muneris ipſorum habeant annexum munus Inquiſitorum. Deinde quia dictis Epiſcopis ſublata fuit iuriſdictio quoad crimen hæreſis, & hęc iuriſdictio per Concilium Tridentinum fuit ipſis reſtituta, ergo etiam fuit ſublata Regularibus Prælatis cũ eorũ iuriſdictio ſit: quaſi Epiſcopalis: ſeu ad inſtar iuriſdictionis: quaſi epiſcopalis: atqui dicta iuriſdictio abſoluendi ab hęreſi occulta reſtituta fuit à Concilio Tridentino Epiſcopis tantùm, & non eorum Vicarijs, habentibus iuriſdictionem ordinariam: in qno Concilij Tridentini decreto nulla fit mentio: neque in generali, neque in ſpeciali de Prælatis regularibus, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus; ergo quoad ipſos non eſt reſtituta, & conſequenter nullã habent authoritatem abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in foro conſcientię.

148 Secũda ſentẽtia affirmat poſſe Prælatos regulares ſuos ſubditos abſoluere ab hęreſi occulta in foro conſcientiæ, non obſtante publicatione annua Bullæ Cœnæ Domini, virtute ſuorum priuilegiorum: ſicut poſſunt Epiſcopi virtute Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.

per

per ſe ipſos ſuos ſubditos ab hæreſi occulta abſoluere: ita Fagũdez in pręcept. Eccleſiæ pręcep. 2. lib. 8. cap. 8. n. 32. & 33. Bagnez 2. 2. qu. 11. art. 4. dub. 2. verſu ſi quis obiciat, Granadus 2. 2. controuerſia 1. tract. 15. diſp. 14. à n. 8. Eligius Baſſeus verbo caſus reſeruatos nu. 33. Gutierrez lib. 1. quęſtionum canonicarum ca. 13. ad finem, & in poſteriori editione. Et nouiſſime eam defendit Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 4. tract. 2. diſp. 17. quęſt. 74. & plures alij DD. tam antiqui: quam moderni.

149 Probatur 1. hęc ſententia à dicto Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento: quia per Concilium Tridẽtinum datur facultas Epiſcopis abſoluendi ſuos ſubditos ab hęreſi occulta, quę facultas non intelligitur derogata per publicationẽ annuam Bullæ Cœnæ Domini: atqui in dicto Concilio nomine Epiſcopi veniunt etiam Prælati Regulares: ergo ſi dictum decretum Concilij Tridentini reſpectu Epiſcoporum non eſt reuocatum, & caſſatum per annuam publicationẽ Bullæ Cœnę Domini, poſſunt Regulares Prælati in virtute prędicti decreti Concilij Tridentini: tum etiam virtute ſuorũ priuilegiorum abſoluere ſuos Religioſos ſubditos in foro conſcientię ab hęreſi occulta.

150 Secundo probat hanc ſententiam dictus Pater Leander a Sãctiſſimo Sacramento: quia Prælati Regulares ex conceſſione Pij Quinti habent in foro conſcientię omnem facultatem abſoluendi, & diſpenſandi in ſuis ſubditis: quam habent Epiſcopi erga ſuos ſubditos vigore Tridẽtini decreti, vt nos reſol. prędcedenti diximus: atqui Epiſcopi poſſunt etiam modo abſoluere ſuos ſubditos ab hęreſi occulta non obſtante promulgatione annua Bullę Cœnę Domini; ergo, & Prælati Regulares poterunt à dicta hęreſi occulta ſuos ſubditos abſoluere; ſi authentice non conſtet prędictum priuilegium Pij Quinti Regularibus conceſſum non eſſe derogatum, & caſſatum, quod priuilegium Pij Quinti ſentit Caſtropalaus non eſſe reuocatum authenticè, dict. par. 1. tract. 4. diſp. 4. pũt. 3. §. 3. cum alijs nu. 1. vbi ſic ait. Reſpondeo noſtrum Reuerendiſſimum Patrem Præpoſitum Generalem facultatem habere per ſe, vel per alios abſoluendi quoſcumque ab hęreſi in foro conſcientię. Quam facultatem conceſſit illi Iulius 3. viuę vocis oraculo primum, vt in viuę vocis oraculis pagina 9. deindè per breue in literis Apoſtolicis pagina 66. confirmauit verò, & denuò conceſſit Gregorius 13. die 18. Martij 1584. pro reliquis Orbis partibus (Hyſpania excepta) in viuæ vocis oraculis pagina 123. hæc autem facultas Prouincialibus communicatur ſed extra Hyſpaniam, vt habet priuilegium cum poteſtate, vt re maturè conſiderata, quando ſibi videbitur in Domino expedire in caſibus particularibus poſſint id alijs communicare. Hæc omnia habentur in compendio priuilegiorũ Societatis Ieſu, verbo abſolutio §. 3. Reſpectu autem illorum, qui ſub obedientia Societatis viuunt, habet Præpoſitus Generalis, & quibus ipſe commiſerit facultatem, eos abſoluẽdi in foro conſcientiæ ab hæreſi, & à relapſu in hæreſim, si quis (quod Deus auertat) in eam incideret. Quam facultatem: etiam pro Hyſpania cõceſſit Gregorius 13. die 18. Martij 1584.

vt in viuæ vocis oraculis pagina 133. ſic in compendio priuilegiorum Societatis verbo abſolutio §. 7. ita Caſtropalaus.

151 Tertio hanc ſententiam probat Pater Leander à ſantiſſimo Sacramento: quia in iubilæo nõ exprimitur hæreſis: & tamen probabile eſt, quod per facultatem, quæ datur abſolutè abſoluendi à caſibus contentis in Bulla Cœnæ poſsit Confeſſarius virtutæ dicti iubilæi hęreticos occultos abſoluere: ergo per facultatem generalem, quam virtute ſuorum priuilegiorum habent Prælati Regulares abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientiæ à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, poſſunt eos abſoluere ab hæreſi occulta in eodem foro: conſequentia ex antecedenti ſequitur, & antecedens probatur: quia quando Põtifices volunt à Generali conceſſione hæreſim excipere illam nominatim excipiunt, vt patet in conceſſione Bullæ Cruciatæ, & in conceſſione facta à Gregorio 13. Monachis Sancti Bernardi in Hyſpania apud Portel verbo Abbas num. 6. & in alijs conceſſionibus, vt reſpondent Suarez tom. 4. de religione lib. 2. cap. 20. num. 10. & 11. Portel loco citato Pater Antoninus Diana 1. par. tract. 5. reſol. 6. §. ſed reſpondeo cum Suarez Bauny 1. par. tract. 4. de pœnit. quæſt. 32.

152 Tertia ſententia media via procedit, aſſerit enim quod ſi hæreſis externa ſit occulta, prout occultum, diſtinguitur contra manifeſtum, notorium, & famoſum, & eſt probabilis in foro cõtentioſo per duos, vel tres Teſtes: licet ad forum cõtentioſum non ſit dicta hæreſis occulta deducta, non poſſunt Epiſcopi ſuos ſubditos à dicta hæreſi occulta abſoluere in foro conſcientiæ virtute decreti Concilij Tridentini dicta ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. nec Prælati Regulares virtute ſuorum priuilegiorum ſuos ſubditos à dicta hæreſi occulta abſoluere, ſed hoc pertinere ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis hæreticæ prauitatis: licet ſi quis quis ſenſibili ſigno hæreſim mẽtalem exprimat, & ſi excommunicatus ſit, ſi tamen ſe ſolo id fecit, & non coram alijs, ſi ſit Sæcularis poteſt in foro conſcientię à ſuo Epiſcopo abſolui, & ſi ſit Regularis, à ſuo ſuperiore Prælato, imò etiam ſi id faciat coram vno teſte, ita Gutierrez lib. 1. quæſtionum Canonicarum cap. 13. num. 27. Souſa in Aphoriſmis lib. 3. cap. 4. num. 7. & 8. Nicolaus Garzia de beneficijs par. 7. cap. 11. num. 46. & alij quos citat, & ſequitur Pater Thomas Hurtado tom. 1. reſolutionum moral. tract. 5. cap. 4. reſol. 17. §. 3. per totum.

153 Probatur 1. pars huius ſentẽtiæ à dicto Patre Thoma Hurtado loco citato: quia facultas conceſſa Epiſcopis, à Concilio Tridentino eſt contra ius commune, & ſic eſt ſtrictiſſime interprætanda: atqui ante Concilium Tridentinum erat caſus hęreſis reſeruatus Summo Pontifici, dumtaxat per Bullam in Cœnæ Domini, quam primo edidit Martinus quintus anno Domini 1420. vt notat Sotus in 4. diſtinct. 28. quæſt. 2. art. 3. vel tempore Clementis quinti anno 1305. vel Innocentij Quarti, & Alexandri Quarti anno 1254. vt vult Coriolanus in explicatione Bullæ Cœnæ §. 6. igitur, & ſic de iure communi erat hæreſis reſeruata, ergo priuilegium Epiſcopis conceſſum in Cõcilio Tridentino abſoluendi ſuos

ſub-

ſubditos ab hęreſi occulta ſtrictè eſt interpretandum, & intelligendum vt docent communiter DD. in materia de priuilegijs: ergo ſimiliter dicendum eſt de priuilegijs Regularibus conceſſis, in quibus ſuperioribus Regulariũ facultas conceditur abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientiæ ab omnibus caſibus, à quibus Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos abſoluere virtute dicti decreti Cõcilij Tridentini.

154 Secundo probatur eadem pars huius ſententiæ, quia derogatio eſt odioſa, & ſic vitanda, quod ſi vitari non poſſit, ne priuilegium ſit inutile, reſtringerenda omninò eſt: quia priuilegium contra ius commune continet eiuſdem diſpenſationem; atqui diſpenſatio eſt ſtricti iuris, & ſic reſtringenda, ergo quando contra ius commune, quo ſibi reſeruauit Pontifex abſolutionem hęreſis, Epiſcopis, aut Prelatis Regularibus datur poteſtas ad abſoluendum ab hæreſi occulta, ly occultum intelligi debet ſtrictè, non prout opponitur notorio: quãuis poſſit probari, ſed prout opponitur probabili, & ſic idẽ eſt occultum in hoc caſu, quod probari non poteſt, nec adduci in iudiciũ. Quare eo ipſo quod plenè probari poſſit: aliter; quã per confeſſionem delinquentis: nullatenus abſolui poteſt ab Epiſcopo: vel à Prælato Regulari reſpectu ſuorum ſubditorum.

155 Secunda pars huius ſententiæ ex dictis pro prima parte manifeſte ſequitur, & etiam probatur, quia ad hoc, vt derogetur in totũ dicta faculas abſoluendi ab hæreſi occulta conceſſa Epiſcopis per Concilium Tridentinum, & Prælatis Regularibus, per ſua priuilegia debet reuocari dicta facultas, nõ per verba generalia: ſed facta ſpeciali; & indiuiduali mentione dicti decreti Concilij Tridentini: ergo cum in Bulla Cœnæ Domini nulla fiat expreſſa mentio, dicti decreti Concilij Tridentini non intelligitur derogatum, & conſequenter poterunt Epiſcopi ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta, prout occultum ſignificat id, quod nõ poteſt probari in foro contentioſo per Teſtes: vigore dicti decreti Concilij Tridentini, & Prelati ſimiliter poterunt vigore ſuorum priuilegiorum ſuos ſubditos abſoluere in foro conſciẽtiæ à dicta hæreſi occulta, modo explicato intellecta.

156 Ex his ſententijs ſecunda valdè probabilis eſt: tum ob multos, & graues DD. qui eã tenẽt; tũ etiã ob efficaces rationes, quibus nititur: Sed Prima probabilior intellecta iuxtà explicationem tertię ſententiæ, cui adhereo, vtpotè tutior, & curior quarè.

157 Ad primum argumentum primæ ſententiæ: quatenus ſecundæ parti noſtrę ſententiæ opponitur, reſpondetur, diſtinguendo antecedens, facultas Epiſcopis conceſſa ex Concilio Tridentino abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta hodiè manet derogata ſtante promulgatione Bullæ Cœnæ Domini, prout occultum opponitur non ſolũ notorio, publico, & famoſo, ſed etiam probabili concedo antecedens; prout occultum idem ſignificat, ac id, quod non poteſt probari in foro contentioſo: niſi per ſolam confeſſionem Cõplicis; nego antecedens, cuius ratio manifeſte conſtat ex dictis in probatione ſecundæ partis noſtræ ſententię. Vndè diſtinguendũ eſt cõſequẽs eodẽ modo, & cõcedẽda eſt cõſequẽtia in vno ſẽſu, & neganda in alio: Ad pro-

bationem autem antecedentis ex authoritate Doctorum desũpta, reſpondeo, quod prędicti DD. forſitã loquuntur de hęreſi occulta, prout opponitur, non ſolum publico, & notorio ſed etiam probabili, in quo ſenſu etiã fateor non poſſe Epiſcopos virtute Cõcilij Tridentini, aut Prędatos Regulares abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta in dicto ſenſu accepta, vt diximus in probationibus primæ partis noſtræ ſententiæ, non autem loqũtur de abſolutione ab hęreſi occulta: prout occultum, idem ſignificat, quod id, quod non poteſt in foro Poli, ſeu contentioſo probari vltra confeſsionem rei. Ad ſecundam autem probationem eiuſdem antecedentis ex ratione deſumptam, reſpondeo, concedendo maiorem, & negãdo minorem in ſenſu ſecundę partis noſtræ ſententię: nam vt diximus, nõ ſolum in dicta probatione ſecundæ partis noſtræ ſententiæ; ſed etiam in reſolut. præcedẽti, ad hoc vt dicta facultas abſoluendi ab hęreſi occulta in ſenſu à nobis dicto Epiſcopis conceſſa per Tridentinum Concilium intelligatur derogata per Bullam Cœnæ Domini, neceſse erat, vt in dicta Bulla Cœnę fieret expreſſa, & indiuidua mentio dicti decreti Cõcilij Tridentini: cum autem in verbis dictæ Bullæ Cœnæ Domini nulla de dicto decreto Tridentini Cõcilij fiat mentio, hinc eſt, quod prædictum decretum in ordine ad dictam facultatem Epiſcopis conceſſam non intelligatur derogatum, ſed ſolum, quod dicta facultas: vtpotè odioſa debeat ſtricte interpretrari modo dicto in prima parte noſtræ ſententiæ. Quarè cum Regulares vigore ſuorum priuilegiorum habeant eamdem facultatem abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſciẽtiæ ab omnibus caſibus occultis Papæ reſeruatis, à quibus poſſunt Epiſcopi ſuos ſubditos abſoluere, vigore dicti decreti Concilij Tridentini, conſequens eſt, vt ſicut Epiſcopi vigore dicti decreti Concilij Tridẽtini poſſunt per ſe ipſos ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta, modo ſuperius explicato: ſimiliter poſſint Prelati Regulares per ſe ipſos ſuos abſoluere ſubditos à dicta hereſi occulta; non obſtante annua publicatione Bullæ Cœnæ Domini; ptæcipuè cum Iulius Secundus vt reſolut. præcedenti diximus, cõſtitutione 14. declarauit, quod nõ obſtante publicatione Bullę Cœnæ, quæ fit ſingulis annis, poſſint illi, quibus per priuilegia conceſſum eſt, in perpetuum abſoluere ab omnibus caſibus in ea contentis, exceptis illis quinque in dicta conſtitutione explicatis, ac ſi prędicta Bulla Cœnę non eſſet facta nec foret; Et de abſolutione hereſis intelligitur; etiam de hęreſi occulta, quę poteſt probari per teſtes à qua Prędati Regulares non poſſunt abſoluere vigore ſuorum priuilegiorum, vt diximus in probatione primæ partis noſtrę ſententię. Et quando ſacra Congregatio Cardinalium die 17. Nouembris declarauit Prælatos Regulares non poſſe abſoluere ab hęreſi occulta vigore ſuorum priuilegiorum, poteſt intelligi de occulto, quod eſt probabile per teſtes, non autẽ de hęreſi occulta, quę eſt omnino improbabilis vltra confeſſionem delinquentis.

158 Ad ſecundum argumentum eiuſdem ſententiæ reſpondetur, negando antecedens, quoad ſecundam partem: nam ſicut Epiſco-

ſcopi non obſtante annua promulgatione Bullę Cœnę Domini, poſſunt, facultate illis conceſſa, per Concilium Tridentinum ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta modo ſuperius dicto intellecta, ita *Prę*lati Regulares, non quia habeãt authoritatem: quaſi Epiſcopalẽ in ſuos ſubditos (nam in dicto decreto Concilij non intrant, nec intelliguntur Prę*l*ati Regulares nomine Epiſcopi, vt nos ſupra latè probauimus in hoc tractatu) ſed vigore ſuorũ priuilegiorũ, in quibus Summi Põtifices, & præcipuè Pius Quintus illis conceſſit eamdem facultatem abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientię, ac habent Epiſcopi in ſuos ſubditos in ſua Dięceſi vigore dicti decreti Concilij Tridentini: cum autẽ vt ſupra diximus, poſſint Epiſcopi, non obſtante Bulla Cœnæ Domini vigore dicti Decreti Concilij ſuos ſubditos abſoluere ab hęreſi occulta, quæ nullo modo poteſt probari per teſtes, ita ſimiliter hanc eamdem facultatem modò habent *Prælati* Regulares: erga ſuos ſubditos vigore ſuorum priuilegiorum. *Probationes* autem antecedentis ſolum conuincunt, quod *Prælati* Regulares nõ poſſunt abſoluere ſuos ſubditos à caſibus occultis *Papæ* reſeruatis, & præcipuè ab hæreſi occulta in foro cunſcientiæ vigore dicti decreti Concilij Tridentini, preciſe tantum, cum ibidem non intelligantur nomine Epiſcopi, quod nos etiam ſuſtinemus, vt latè ſupra probauimus in hoc tractatu contra *Patrem* Leandrum à Sanctiſſimo Sacramento, & alios oppoſitum aſſerentes: non autem conuincunt dictos *Prę*latos Regulares non habere eamdem facultatem abſoluendi ſuos ſubditos in foro cõſciẽtiæ à caſibus occultis *Papæ* reſeruatis, & etiã ab hæreſi occulta, quę nõ poteſt probari per teſtes vigore ſuorũ priuilegiorum; quæ non intelligũtur derogata per annuam Bullę Cœnę Domini promulgationẽ: nec per aliquod aliud inſtrumẽtum authenticum, & publicum, vt in hac, & prędecedenti reſolut. probauimus.

159 Ad primũ argumentũ ſecũdę ſententię: quatenus primę parti noſtrę ſententię opponitur, reſpondetur, diſtinguendo maiorem, per Concilium Tridentinũ cõceditur facultas Epiſcopis abſoluẽdi ſuos ſubditos ab hęreſi occulta, ſi ly occultũ ſumatur pro eoquod poteſt probari per teſtes nego maiorẽ: ſi ly occultũ ſumatur pro eo quod, nõ poteſt per teſtes probari vltra Rei cõfeſſionẽ, concedo maiorem, quam facultatem concedo non eſſe derogatam per publicationẽ Bullæ Cœnæ, nego tamen minorem: nẽpè in dicto Cõcilio nomine Epiſcopi venire Prę*l*atos Regulares, & ſimiliter nego cõſequentiam: ſcilicet *Prælatos* Regulares poſſe vigore Concilij Tridentini: ſuos ſubditos abſoluere ab hęreſi occulta: etiam improbabili per teſtes: preciſe vigore dicti decreti Concilij Tridentini: licet dictam facultatem habeant vigore ſuorum priuilegiorum, vt ſupra probauimus.

160 Ad ſecundum argumentum, reſpondetur, conceſſa maiori: diſtinguendo minorẽ Epiſcopi poſsũt: etiã modo abſoluere ſuos ſubditos ab hęreſi occulta nõ obſtãte promulgatione annua bullæ Cœnę Domini: ab hæreſi occulta probabili per teſtes: nego minorẽ: Ab hęreſi occulta improbabili per teſtes vltra Rei cõfeſsionem concedo minorem; Et ſimi-

ſimiliter concedo conſequentiã de Prelatis Regularibus in ordine ad ſuos ſubditos, ſub eadem diſtinctione, quam ſolutionem conſtat veram eſſe ex ſupradictis in probationibus noſtræ ſentiæ pro prima, & ſecunda eius parte.

161 Ad tertium argumentum, reſpondetur: negando antecedens & ad eius probationem dico, quod licèt verum ſit, quod quãdo Pontifices concedunt priuilegium abſoluendi à caſibus cõtentis in Bulla Cœnæ Domini, communiter excipiant caſum hęreſis à tali facultate, & conceſſione abſoluendi, vt benè dicitur in argumento; vndè orta fuit cõtouerſia inter Theologos morales: vtrum quando Summus Pontifex in aliquo iubilæo pleniſſimo coacedit Confeſſoribus ab Ordinario approbatis facultatem abſoluẽdi ab omnibus caſibus Papę reſeruatis: etiam contentis in Bulla Cœnę Domini, ſi expreſsè, & explicitè non excludat caſũ hęreſis, intelligatur hæreſis occulta exterior in tali facultate ex implicita Súmmi Pontificis conceſſione: ita vt dicti Confeſſarij poſſint virtute dicti iubilœi abſoluere ſuos pœnitentes ab hęreſi exteriori occulta? In qua difficultate non defuerunt aliqui graues DD. qui affirmatiuam partem ſuſtinuerũt Cęterum hodiè iam hoc eſt extra controuerſiam ob declarationem factam à Summis Pontificibus, & pręcipuè à Beatiſſimo Patre noſtro Alexandro Septimo felicis memoriæ, vt conſtat, ex ędicto ſanctiſſimę Generalis Inquiſitionis Tribunalis Hiſpaniarum: publicato Panormi à tribus Inquiſitoribus huius Regni die 15. Februarij 1657. tenoris ſequentis.

192 Noi l'Inquiſitori Apoſtolici contra l'heretica prauità, & apoſtaſia in queſto Regno di Sicilia, & Iſole coadiacenti per l'autorità apoſtolica, & reggia deputati, &c. facciamo intendere à tutti, e ſingoli perſoni: così eccleſiaſtici, come ſecolari di qualſiuoglia ſtato, & conditione, che ſiano eſſenti, ò non eſſenti Regolari, e ſecolari ſtanti, & habitanti in queſta Città di Palermo, ò in qualſiuoglia Città, Terre, e luoghi di queſto Regno, come hauendo li Sõmi Pontifici cõceſſo alcuni giubilei, nelli quali ſi daua facultà alli Cõfeſſori di poter aſsoluere delli caſi reſeruati: etiã di quelli contẽti nella Bolla in Cœna Domini, & hauendo dubitato alcuni perſoni: Vtrum in virtù della ſopradetta facultà ſe poteſſe aſſoluere delli caſi di hereſia, dichiarono li Sommi Põtifici non eſſere compreſi nella ſupradetta facultà; & hauendoſi tornato dinouo a dubitare nell'occurrenza di detti Giubilei la Santità d'Innocentio Decimo di felice recordatione, nella Congregatione dello Santo Offitio fatta a 23. di Maggio 1652. dichiarò che neſſun Confeſſore poteſſe aſſoluete del crimine dell' hereſia in virtù della facultà che ſi concede in ditti Giubilei, niſi in caſu, quo eſpreſſamente ſe daſſe facultà d'aſſoluere del crimine dell' hereſia, & vltimamẽte hauendoſi dinouo retornato al detto dubio cõ l'ocaſioni dell' Giubileo conceſſo della Santità d'Alexandro Settimo, nell'ingreſſo del ſuo Pontificato, e pretendendo alcuni, che ſi potria aſſoluere dell'hereſia in virtù della facultà conceſſa in detto Giubileo, con dire, che non li conſtaua delle ſudette dechiarationi Pontificie, & che in caſu, che di lo-

loro haueſſero hauuto notitia, per eſſere materia che depende nell'Intẽtione del sõmo Pontifice, che concede detto Giubileo per le dichiarationi de' ſoi anteceſſori, non ſi potia ſapere l'intentione ſua, & hauendoſi trattato, & conferito queſto punto nella Congregatione del Santo Officio dell'anno proſsimo paſſato 1656. la Sãtità d'Alexandro Settimo ſeguitando le dichiarationi de'ſuoi Predeceſſori ad effetto di rimouere, & leuare ogni ſorte di dubio: tanto per lo preſente: quanto per lu tẽpo d'auenire, & per eſſere il crimine dell' hereſia più graue, e degno di ſpeciale cenſura, che tutti l'altri, dichiarò Sua Santità, che la facultà d'aſſoluere dell'hereſia nõ s'intenda compreſa nelli Giubilei, ò conceſſioni ſimili: niſi in caſu; che nelli detti Giubilei ſi conceda eſpreſſamente facultà d'aſſoluere dell'hereſia. Per lo quale fù accordato, che douiamo mandare, e ſpedire queſta noſtra carta di editto; acciò che venga à notitia di tutti in modo che neſſuno poſſa allegare ignoranza. Pertanto comandiamo, & ordiniamo che tutti li Confeſſori; coſi Regolari come ſecolari eſenti, ò non eſenti l'habbiano d'oſſeruare, & oſſeruino nella forma ſudetta, e comandamo, che queſto noſtro Editto ſi publichi in tutti le Chieſe: coſsi Matrici; come Parrochiali, e Conuenti di Religioſi di qualſiuoglia Città, Terre, e Loghi di queſto Regno, affiſſandone ancora vna copia della lettera del ſudetto editto in vna porta delle ſupradette Chieſe quale neſſuno lo leuirà ſenza noſtra licenza, e ſi oſſeruerà ſotto pena di ſcommunica maggiore, e di onze vinti applicati al fiſco di queſto ſanto Officio. Così ancora comandiamo, & ordinamo à tutti li ſuperiori di Religioni di qualſiuoglia ſorte, e cõditione che ſiano, che facciano aggiungere, e aggiungano con effetto queſto noſtro editto alla Bulla di Vrbano Ottauo dato in Roma feria quinta die 14. Aprilis 1633. nella quale ſi cõtiene vn decreto della ſacra Cõgregatione del ſanto Officio intorno all'oſſeruanza delli decreti Apoſtolici appartinẽti al S. Officio e lo faranno leggere ogn' anno in perpetuum in tutti li Conuenti, che hauerà ciaſcheduna di detti Religioni: anchor che ſiano in qualſiuoglia Città, Terre: Caſali, è Luoghi da queſto Regno nella feria 6. doppo di l' Ottaua dell' Aſſuntione della Beata Vergine nella publica mẽſa, ò refettorio, ò nel Capitulo ſpecialmente à queſto effetto cõuocato ſotto pena di ſcommunica maggiore, e priuatione d'officio, e di voce attiua, e paſſiua, ipſo facto incurrenda, prout in detta Bolla d'Vrbano ſi contiene; e d' hauerlo coſì fatto, letto, e publicato li Cõmiſſarij del ſanto Officio, e ſuperiori di dette Religioni manderanno fede autentica in queſto Tribunali i in fede del quale d'ordine del conſeglio ſupremo della ſuprema, e generale Inquiſitione di Spagna comandamo dare, e damo li preſenti littere ſottoſcritti li noſtri, nomi, e ſigillati col'ſigillo di queſto Santo Officio, e referendate dell'infraſcritto Secretario dati in Palermo à 15. di Febraro 1657. Doctor D. Ioannes Lopez de Ciſneros. Doctor D. Paulo Eſcobar. de mandato Sancti Officij D. Ioan de Retana Secretario locus † ſigilli.

RE-

RESOLVTIO XIV.

Vtrum virtute Bullę Cruciatę posit Confessarius absoluere pœnitentem à criminibus cõtentis in primo capite Bullę Cœnę hæresi excepta.

163 CVm in 1. canone Bullę Cœnę Domini pręter hęresim plura alia crimina: similiter reseruata contineantur, vt auxiliũ, vel fauorem pręstare hæreticis, illosq; recipere, vel ipsorũ libros hęresim continentes, vel de Religione tractãtes legere, retinere imprimere, defendere, &c. & similiter crimen Schismæ: nempè cum quis pertinaciter se à Sede Apostolica subtrahit de his casibus (hæresi excepta) in præsenti inquirimus an possit pœnitens virtute Bullæ Cruciatę ab illis absolui semel in vita, & semel in mortis articulo: dum prædicta crimina non habent admixtum errorem contra fidem: quia si dictum errorem contra fidem admixtum habeant: certũ est apud omnes DD. non posse Confessarium pœnitentem ab illis absoluere vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ.

164 Loquendo igitur de dictis criminibus, in 1. sensu: prout scilicet nullum habent admixtum errorem contra fidem, partem negatiuam tenent Emanuel Roderiquez in explicat. Bullę Cruciatæ §. 9. num. 70. & Clarius in additionibus ad §. 9. num 66. Fernandez. par. 3. exam. cap. 9. §. 16. sect. 1. Ledesma to. 2. summæ tract. 1. cap. 6. in fine Turrianus 2. 2. tom. 1. disp. 56. dub. 2. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 2. & alij. Fundamentum huius sententię est: quia prædicti casus reductiue: saltem ad crimen hæresis videntur pertinere, atqui à crimine hæresis non possunt Confessarij absoluere suos pęnitẽtes vigore Bullæ Cruciatę semel in vita, & semel in mortis articulo: ergo nec possunt illos à supradictis criminibus absoluere vigore dicti priuilegij Bullæ Cruciatæ, consequentia ex præmissis manifestè sequitur, & minor constat ex verbis ipsius Bullæ Cruciatę, in quibus licet concedatur facultas Confessarijs absoluendi suos pęnitentes ab omnibus criminibus, & censuris reseruatis Summo Pontifici: etiam contentis in Bulla Cœnę Domini, excipitur Crimen hęresis à dicta facultate: maior vero probatur, quia illi, qui fauorem præstant hęreticis, & libros eorum legunt, imprimunt, aut imprimere faciunt, vel eos defendunt; licet non sint hęretici formales, sunt valde suspecti in fide: ergo supradicta crimina videtur pertinere indirectè ad crimen hæresis, & forsitan ob hanc causam Summus Pontifex Paulus Quartus in suo Breui sub dato anno 1558. Põtificatus sui anno 4. pręcepit, in virtute Sanctę obedientię; & sub pœna excomunicationis latę sentẽtię omnibus Cõfessarijs, vt in actu confessionis diligenter inquirant à pœnitentibus: num habeant, vel legant libros hæreticos: seu ab Ecclesia damnatos: aut imprimant, seu imprimere faciant, vel venales teneant, aut de eis habeant: aliquam notitiam; quòd si prędicti pœnitentes aliquid Confessori reuelent: non prius absoluãtur: quam Inquisitoribus denũcient quidquid circa hoc negotium exploratum habuerint, vt vt refert Rodriquez in dicta additione ad §. 9. Bullę Cruciatæ dict. num. 66. Ex quo breui colligi

gi videtur nõ poſſe Confeſſarios vigore Bullę Cruciatę abſoluere nec legentes libros Hæreticorũ, nec eoſdẽ imprimentes, venales habentes, vel id Inquiſitoribus non reuelantes, dum notitiam huius negotij habuerint.

165 Secunda, & probabilior ſententia affirmat poſſe Confeſſariũ abſoluere ſchiſmaticos, fautores, & receptores Hęreticorum, & reliquos etiam, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur, excepto hæretico exteriori virtute Bullæ Cruciatæ ſemel in vita, & iterum in mortis articulo, ita Henriquez lib. 6. cap. 16. in textu. nu. 2. & in Gloſſa litera L Salas in expoſitione Bullę Cruciatæ quęſt. 9. Duardus in Bulla Cœnę lib. 3. §. 2. quęſt. 8. nu. 8. Acoſta quęſt. 63. Suarez de fide diſp. 24. ſect. 1. num. 11. Sanchez tom. 1. ſummæ lib. 2. c. 12. num. 12. Farinacius de hæreſi quęſt. 180. num. 8. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullę Cruciatæ part 2. tract. 6. cap. 2. ſect. 4. nu. 40. D. Carolus Latius in dilucidatione Bullę Cruciatę diſp. 6. quęſt. 2. difficult. 10. nu. 48. & alij.

166 Probatur 1. quia optimè ſtare poteſt, vt ſchiſmatici, aut Hæreticorum fautores, eorumque libros legentes, imprimentes, aut imprimere facientes nõ ſint hęretici, ſed catholici, vt de ſe manifeſtum eſt: atqui in Bulla Cruciatę ſolùm excipitur crimen hęreſis à facultate abſoluendi: ſemel in vita, & iterum in mortis articulo, vt ex verbis ipſius Bullæ conſtat: ergo à quibuſcũque alijs criminibus, quę non fuerint hęreſis; poterit Confeſſarius abſoluere virtute priuilegij Bullæ Cruciatę ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo: probatur conſequentia: quia exceptio firmat regulam incontrariũ: vt communiter affirmant DD. ergo cum in Bulla Cruciatę ſolũ excipiatur crimen hęreſis poterit abſque dubio Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ pœnitẽtẽ abſoluere à reliquis omnibus caſibus in illo primo canone bullæ Cœnę Domini contentis.

167 Probatur 2. quia facultas, quæ in bulla Cruciatę coceditur habẽtibus ipsã, vt ſcilicet poſſint eligere quẽcumque Confeſſariũ, ſiue ſęcularem: ſiue Regularẽ ex approbatis ab ordinario, & ab eo quorumcũque peccatorum, & cenſurarum, etiã Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum, (excepto crimine hæreſis) plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo obtinere, eſt fauor, & gratia: ergo dicta facultas eſt amplianda iuxta illam regulam iuris id 6 fauores ſunt ampliandi: pœnæ verò reſtringendę: præcipuè cum nulla nobis ſe offerat ratio ad dictam facultatẽ coartandam.

168 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur: negando maiorem, & ad eius probationem reſpondeo certũ eſſe apud omnes, quod receptor hæreticorum in domo ſua, vel in agro, vel in Ciuitate, vel in alio quouis loco, preciſe ob receptionem non dicitur ſuſpectus in fide: ſi quidem hoc non facit ob fauorem preſtandum errori hæreticorum: ſed ad occultandas perſonas, aut hoſpitio recipiendas in quo caſu crimen hæreſis ſubiecti: valdè materialiter ſe habet reſpectu recipientis, ideoque receptor hæreticorum, vt receptor tantummodo formaliter abſquæ aliqua alia circumſtantia non dicitur hæreticus, nec ſuſ-

pectus de fide. Si autem loquamur de defensore hæreticorum, dupliciter potest quis dici hæreticorum defensor. Primo si errores hęreticorum defendat. Secundo si defendat personam ob causam hæresis. Quando autem aliquis errorem hæretici defendit, formando argumenta in eius fauorem, & obiectiones contrarias soluendo, aut verbis laudãdo hæreticorum scripta, modus iste defendendi hæreticum, aut hæreticos pernicioſissimum est; etiam si defensor interius errori defenso non assentiat: nam in foro exteriori: seu externo vehementer præsumitur errori assentiri, & tamquam hæreticus omni hæretico deterior est damnãdus, vt bene docet Peña comment. 77. in principio. Farinacius innumeros referens quæst. 182. num. 62. & est textus expressus in cap. qui aliorum causa 24. quæst. 3. ibi, qui aliorum defendit errorem: multo amplius damnabilior est illis, qui erant, quia non solum erat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde quia Magister erroris est; non tantũ hæreticus; sed etiam hæresiarcha dicendus est. Quando vero aliquis defendit personam hęretici propter causam hęresis, vt si impediat ne capiatur à Iudice, vel captum ab eo liberet, vel impediat, ne corrigatur, quod facere potest muneribus, vi, dolo, & potentia, licet iste talis sit hęretici defensor, & vt talis sit puniendus: tamen non dicitur hęreticus, nec suspectus in fide: si non adsit alia circumstantia, ex qua colligi valeat aliqua suspectio in fide. Si autem sermo sit de fautore hęretici: scilicet de illo, qui ob causam hęresis hęretico fauorem prębet cum distinctione etiam loquendum est, nam dupliciter hunc fauorem prębere potest, ommissione: scilicet, vel commissione. Omissione aliquis fauet hęreticis, si eos cum tenet capere: aut iudicibus indicare ommittit, aut si captos, & sub Curę commissos diligenter non custodit. Commissione aliquis hęreticos fauere potest verbis, & factis. Verbis, si laudet hæreticum, vt talis est affirmans esse virum probum, iniuste dãnatum, si prębeat consilium, vt possit errores cœlare, & cõdemnationem fugere. Factis denique hęreticis fauet, si eos cœlat, & occultat in domo, si auxilium prębet vt effugiant, si subministrat alimenta, si processum falsificet, vel abscõdat, aut alia similia faciat, ex quibus Inquisitionis officium impeditur. Ille, qui ommissione hęreticis fauet, seu fauorem præstat, non dicitur hęreticus, nec in fide suspectus pręcise ratione talis omisionis formaliter. Ille autem, qui commisione fauet, verbis, nempè hęreticum, laudando, affirmans esse virum probum, iniuste damnatum, si hoc affirmet, vt manifestet errorem hęreticorum, non esse errorem, nec dignum pœna, si hoc assentiat: actu intellectus efficaciter, dicendus est hęreticus formalis, si autem hoc non assentiat, & verbis suis sit causa, vt alij iudicent ipsum assentire, talem errorem heretici non esse errorem, nec iuste puniendum à Sancto Inquisitionis Officio: licet non sit hęreticus formalis; est tamen vehementer suspectus in fide, & vt talis est grauiter puniendus. Si vero verbis laudet hęretici personam affirmando esse hominem probum bonę indolis, & c. ex quibus verbis nullo modo colligi valeat ip-

ſum laudare errorem, ſed ſolum hæretici perſonam: licèt ſit fautor hæretici; non tamen dicendus eſt hęreticus, aut in fide ſuſceptus. Ex quibus omnibus manifeſte apparet, poſſe aliquem eſſe fautorem, & receptorem hæreticorum, libros hæreticos legere, imprimere, aut facere imprimi, & eſſe fidelem, & non hęreticum, nec in fide ſuſpectum, vt ex prima probatione noſtræ ſententiæ conſtat.

169 Nec breue Pauli Quarti in fũdamẽto oppoſitę sẽtẽtiæ allegatũ oppoſitũ cõuincit: imò ſi prædictæ conſtitutiones Apoſtolicę verba expendantur oppoſitum potius deprehendetur, vt optimè notat Ludouicus à Cruce vbi ſupra num. 8. Tum quia huiuſmodi prȩceptum, & cenſura nõ fertur contra pœnitentes, ſed cõtra Confeſſarios, ne abſoluant pœnitentes: niſi prius dictos libros Inquiſitoribus tradiderint. Tum etiam quia in dicto breui Pauli Quarti non derogantur priuilegia Cruciatæ: imò nec vlla fit mẽtio dictæ Bullæ: ſed modus ſimpliciter inſinuatur à Confeſſoribus obſeruandus, vt pœnitentes quidquid nouerint circa talia crimina Inquiſitoribus denuncient. Præterea quia dato, et non conceſſo, quod Summus Pontifex Paulus Quartus in dicto breui reuocaret priuilegia Bullæ Cruciatæ per Bullas ſubſequentes reualidantur. Et deniquè: quia per Bullam Cruciatæ conceditur habentibus dictam Bullam facultas eligendi Confeſſarium, ſiue ſęcularem, ſiue Regularem ex approbatis ab Ordinario, et ex Regularibus ſemel tantum à quocumque Ordinario approbatum, à quo poſſint abſolui ab omnibus caſibus, et cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini excepta hæreſi: atqui nullum ex prędictis criminibus modo à nobis ſupra explicato acceptis, eſt propriè hæreſis: ergo poteſt Confeſſarius ab illis pœnitẽtem abſoluere ſemel in vita, et ſemel in mortis articulo virtute priuilegij bullæ Cruciatæ.

170 Sed dices virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ non poteſt quis in mortis articulo à crimine hæreſis abſolui: ergo remanet deſtitutus auxilio vitam æternam conſequendi medio pœnitentiæ Sacramento: atqui hoc non debet dici, cum ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus apertè dicat nolo mortem peccatoris: ſed vt magis conuertatur, & viuat: ergo licèt virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ non poſſit quis in vita abſolui à crimine hęreſis: poterit tamen abſolui virtute dicti priuilegij, ſaltem in mortis articulo à crimine hęreſis.

171 Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiã: nam quilibet Sacerdos in mortis articulo poteſt abſoluere hereticum pœnitentem, et quemlibet alium peccatorem à cenſuris, & peccatis, quibus adſtrictus eſt, vt habetur in cap. his qui cauſa 26. quæſt. 6. ibi his qui in tempore neceſſitatis, et in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorare, nec ſatisfacio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordia Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire apud quem nullas patitur veniæ moras conuerſio dicente Dei ſpiritu per Prophetam: (cum conuerſus ingemueris; tunc ſaluus eris) et infra, quod ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poſcebant,

et ſub prę ſentia Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium, & circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul, et pœnitentię, et reconciliationis beneficiũ cõſequantur: ſeruata tamen regula Canonũ paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcendẽdo peccarunt. Et in eadem quęſtione cap. ſi aliquis dicitur ſi aliquis excõmunicatus fuerit mortuus; qui iam ſit confeſſus, et teſtimonium habet bonum, et non poterat venire ad Sacerdotem; ſed prę occupauit eum mors in domo, aut in via; faciant pro eo Parentes eius oblationem ad Altare, et dent redemptionem pro captiuis. Deindè cap. ſi Prę ſbiter eiuſdem quęſtionis dicitur ſi Preſbyter pœnitentiam moriẽtibus abnegauerit reus erit animarum: quia Dominus dixit quacumque die conuerſus fuerit peccator vita viuet, et nõ morietur. Vera ẽnim confeſſio in vltimo tempore eſſe poteſt; quia Dominus non ſolum temporis: ſed etiam cordis inſpector eſt; ſicut latro vnius momenti pœnitentia meruit eſſe in Paradiſo in hora vltima confeſsionis. Et deniquè in cap. agnouimus prędictę quęſtionis dicitur Agnouimus pœnitentiam morientibus denegari, neç illorum deſiderijs annui, qui obitus ſui tempore hoc animę ſuę cupiunt remedio ſubueniri horremus (fateor) tãtę impietatis aliquem inueniri, vt Dei bonitate deſperet: quaſi non poſſet ad ſe quouis tempore concurrenti ſuccurrere, et periclitantem ſub onere peccatorũ hominem redimere, quo ſe expediri deſiderat, & liberari, hoc rogo, aliud eſt: quam morienti mortem dare, eiuſque animam ſua crudelitate: ne abſolute eſſe poſſit occidere? Cum Deus ad ſubueniendum paratiſſimus inuitans ad pœnitentiam ſic promittat peccatori inquiens: in quacumque die conuerſus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei. Et iterum nolo mortem peccatoris: ſed tantum vt conuertatur, & viuat. Salutem ergo homini adimit quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegarit, & deſperat de miſericordia Dei, qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit perdidiſſet latro in Cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens: ſi illum vnius horæ pœnitentia non iuuiſſet. Cum eſſet in pœna pœnituit, & per vnius ſermonem profeſſionẽ habitaculum Paradiſi Deo promittente promeruit; Ex quibus Patres Sacroſancti Concilij Tridentini moti decreuerunt ſeſſ. 14. cap. 7. vt in mortis articulo nulla eſſe caſuum reſeruatio per hæc verba. Veruntamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atquè ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint, extram quem articulum Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis id vnũ pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedãt.

RE-

RESOLVTIO XV.

Vtrum Confeſſarij valeant ſuos pœnitentes abſoluere à caſibus Sanctæ Inquiſitioni reſeruatis (ex his tamen, qui non ſunt contenti in Bulla Cœnæ Domini) toties quoties virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ?

172 PRæter caſus Sãcto Inquiſitionis Tribunali reſeruatos, qui ſimul ſunt cõtenti in Bulla Cœnæ Dñi, vt eſt caſus hæreſis fauere hæreticis, &c. ſunt alij caſus Sanctæ Inquiſitioni reſeruati, vt maleficia, Sortilegia, adoratio demonum, magia, incantationes, Superſtitio, blaſfemiæ hæreticales, ſollicitatio ad venerem, in confeſſione Sacramentali iuxta Pontificum decreta, & huiuſmodi, qui ſingulis annis, tempore quadrageſimæ promulgari ſolent, de quibus in præſenti inquirimus an poſſit Confeſſarius ab eis pœnitentes abſoluere toties quoties virtute priuilegij Bullę Cruciatę; Negatiuam ſententiam ſuſtinent Fernandez in exam. Theolog. moral. par. 3. cap. 9. §. 16. ſect. 1. num. 1. Turrianus tom. 1. in. 2. 2. Diui Thomæ explicat. 56. dub. 2. Altherius de cenſuris tom. 1. lib. 5. diſp. 2. cap. 9. in fine Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæſt. 9. Ledeſma in ſumma tom. 2. tr. 1. cap. 6. in fine quos citat Diana par. 1. tract. 5. reſol. 7. Fundamentum horum Doctorum eſt: quia ſibi perſuadent, quod ſub nomine hęreſis includuntur omnia alia crimina contenta in Edictis Dominorum Inquiſitorum, atqui Confeſſarius non poteſt virtute Bullæ Cruciatæ, nec ſemel tantum pœnitentem abſoluere à crimine hæreſis externæ: ergo nec poterit illum abſoluere virtutæ dictæ Bullæ Cruciatæ à dictis criminibus contentis in Edictis Inquiſitorum.

173 Nihilominus dicendũ eſt poſſe Confeſſarios virtute priuilegij Bullę Cruciatæ ſuos pœnitentes toties quoties abſoluere à caſibus Sanctæ Inquiſitioni reſeruatis, exceptis illis qui ſimul in Bulla Cœnę Domini continentur; aut ex alio capite ſint Summo Pontifici reſeruati; ita Diana 1. par. tract. 5. reſolut. 7. §. notaui etiam Suarez tom. 5. de cenſuris diſp. 21. ſect. 2. num. 14. Pater Franciſcus Bardi in expoſit. Bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. 2. ſect. 5. num. 47. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 4. tract. 2. de excommunicat. diſp. 17. quęſt. 88. D. Carolus Latius in dilucidatione Bullæ Cruciatę diſp. 6. quęſt. 2. difficult. 11. nu. 53. vbi pro hac ſententia citat Filliucium tom. 1. tract. 16. cap. 3. num. 49. Thomam Sanchez tom. 1. ſummę lib. 2. cap. 30. nu. 17. verum Sanchez in dicto cap. 30. nihil de hoc puncto tractat. nec accedit ad num. 17. neque apud Sãchez in alijs libris talem doctrinam inuenire potui.

174 Probatur hęc ſententia: quia Bulla Cruciatę concedit Confeſſarijs ab ordinario approbatis facultatẽ abſoluendi toties quoties ſuos pœnitentes ab omnibus caſibus, qui non ſunt Summo Põtifici reſeruatis, vt ex verbis ipſius Bullę conſtat; atqui caſus Sãctę Inquiſitioni reſeruati contẽti in Edictis Inquiſitorum, qui ſimul non continentur in Bulla Cœnę Domini, non ſunt Sedi Apoſtolicę reſeruati, vt communiter affirmant DD. ergo poterunt Confeſſarij ab illis toties quoties pœnitentes abſoluere virtute dicti priuilegij Bullæ Cruciatæ.

No-

175 Notanter dixi, aut ex alio capite sint Summo Pontifici reseruati, vt satisfaciant tacita quadã obiectione, quæ contra nostram doctrinam potest fieri: nempe inueniri posse casus alios non cõtentis in Bulla Cœnę, qui sint simul Inquisitoribus, & Summo Pontifici reseruati: ac proinde ratione Pontificiæ reseruationis vigore Bullę Cruciatę ab illis Cõfessarius toties quoties absoluere non poterit: ergo falsum est absoluere abserere posse Confessariũ toties quoties absoluere pœnitentem à casibus Sanctę Inquisitioni reseruatis, exceptis ijs, qui simul in Bulla Cœnæ Domini continentur. Nam ad hanc obiectionem respondeo tum Erudito Patre Francisco Bardi vbi supra n.49. siquod pręter illos, qui reperiuntur in Bulla Cœnæ Domini sint alij casus, qui simul Inquisitoribus, & Sedi Apostolicæ communiter sint reseruati, certum mihi est non posse Confessarium ab illis pœnitentem absoluere vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ: attamen, quia præter illos, qui continentur in illo Canone de facto nullus casus reperiatur, qui communiter Inquisitoribus, & Apostolicæ Sedi sit reseruatus; idcircò verè dicere possumus ab omnibus alijs, præter illos Cõfessarium toties quoties posse vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ pœnitentem absoluere. Vnde ad argumentum respõdeo, concesso antecedenti: negando consequentiam: quia originatur, & procedit ab antecedenti conditionato, cuius conditio non est de facto purificata.

176 Aduerto tamen cum eodem Patre Francisco Bardi, & D. Carolo Latio vbi supra nu.54. quod supra posita doctrina nostræ sententię absolutè est vera quoties dicta crimina nõ habeant simul ammixtum errorem contra fidẽ in intellectu, à quo errore tamquam effectus à sua causa procedant: quia tunc rationem formalem hęresis externæ reseruatę habebunt: atque adeo nec pro vna vice poterit Confessarius à dictis criminibus pœnitẽtẽ absoluere, vt ex supradictis resolut. præcedenti constat. Attamen si ratione alicuius interesse, seu odij, aut alio prauo effectu dicta crimina solum exerceantur: extra tamen errorem in fide, in dicto casu dicimus posse Confessarium toties quoties pœnitentem à dictis criminibus absoluere.

RESOLVTIO XVI.

Vtrum Religiosi Regulares ab Ordinario approbati de licẽtia suorum Superiorum possint vigore suorum priuilegiorum absoluere suos pœnitentes, à casibus contentis in edicto dictorum Dominorum Inquisitorum.

177 PRima sententia negat posse Regulares vigore suorum priuilegiorum suos pœnitentes absoluere à dictis casibus contẽtis in edictis Dominorum Inquisitorum: quia iudicant hoc esse prohibitũ à sacra Cõgregatione Cardinalium: quatenus eadem sacra Congregatio prohibere videtur Regularibus facultatem absoluẽdi à casibus Episcopis reseruatis. ita Miranda in manuali Prælatorum tom. 1. quæst.4. art. 2. Magister Bordonus in consilijs Regularium resol. 6. nu. 11. & alij. Fundamentum huius sententiæ est; quia magis rigorosa est casuum reseruatio spectantium ad sanctæ Inquisitionis Tribunal

quam

quàm reſeruatio caſuum ad Epiſcopum ſpectantium: atqui Religioſi Regulares vigore ſuorum priuilegiorum non poſſunt pœnitentes abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis; ergo multominus poterunt illos abſoluere à caſibus ſanctæ Inquiſitioni reſeruatis in edicto Dominorum Inquiſitorum.

178 Dicendum tamen eſt poſſe Religioſos Regulares approbatos ab Ordinario de licentia, & facultate ſuorum Superiorum ſuos pœnitentes abſoluere in foro conſcientiæ à dictis caſibus contentis in edictis Dominorum Inquiſitorum. ita Portel in additionibus ad dub. regul. verbo ſollicitare fœminas n. 24. Freithas in additionibus de Confeſſorum ſollicitat. Epiſcopus Rodericus à Cuña quæſt. 21. nu. 31. quos citat Diana par. 1. tract. 5. reſolut. 8. Quamuis ipſe nihil de hoc affirmet, vel neget, contentus referre aliorum Doctorum placita, vt ipſe fatetur his verbis: ſed ego in hac quæſtione de meo nihil dico, & nihil pono; ſolũ refero, quod alij dixerũt.

179 Probatur 1. noſtrum aſſertum ex priuilegio conceſſo Clericis Regularibus Teatinis, quibus conceditur, vt omnes Confeſſarij dictæ Congregationis approbati iuxta formam Concilij Tridentini habeant facultatem abſoluẽdi quoſcumque fideles vndècumque venientes à quibuslibet peccatis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, & à quibuſcũque cenſuris, ſententijs, & pœnis eccleſiaſticis, ex illis reſultantibus, præterquam ab his, quę continentur in bulla Cœnę Domini, vt habetur in compendio dictę Congregationis Clericorũ Regularium tit. abſolutio quoad regulares: ergo poſſunt etiam dictę Religionis Confeſſarij approbati iuxta formam Concilij Tridentini, & omnes alij Cõfeſſarij aliarum Religionũ Regularium participantiũ cum ipſis in priuilegijs ſuos pœnitẽtes abſoluere à dictis caſibus contentis in edictis Sanctę Inquiſitionis: probo conſequentiam: nam illa particula, (etiam) contra in verbis dicti priuilegij manifeſte demonſtrat, nõ ſolum Regulares poſſe abſoluere à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicę; ſed etiam à reſeruatis cuicumque Summo Pontifici inferi, atqui Tribunal Sanctæ Inquiſitionis Summo Pontifice eſt inferius, ergo ſi Confeſſarij Regulares approbati iuxta formam Concilij Tridentini poſſunt vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere ſuos pœnitentes à caſibus Summo Pontifici reſeruatis: poterunt ſimiliter eos abſoluere vi dictorũ priuilegiorũ à ſupradictis caſibus cõtentis in edictis Dominorũ Inquiſitorum.

180 Secundo probatur quia cuicũque licet quod eſt plus: vtique licet, quod eſt minus; atqui plus eſt abſoluere à reſeruatis Summo Pontifici: quam à reſeruatis Dominis Inquiſitoribus: ergo ſi Cõfeſſarij Regulares approbati iuxta formã Cõcilij Tridẽtini poſſũt virtute ſuorum priuilegiorum pęnitẽtes abſoluere à caſibus Sũmo Pontifici reſeruatis (exceptis qui in Bulla Cęnę cõtinẽtur) poterũt ſimiliter eos abſoluere à caſibus Dominis Inquiſitoribus reſeruatis: dum non contineantur ſimul in dicta Bulla Cœnę Domini, minor eſt certa: quia dicta facultas abſoluẽdi à caſibus Põtifici reſeruatis exceptis illis, qui in Bulla Cęnę Domini cõtinẽtur, conceſſa fuit à Paulo 5. & à Gregorio 15. Clericus Regularibus, vt conſtat ex eorum compendio

pri-

priuilegiorum verbo confirmatio priuilegiorum §. 3. & 4. in vltima editione facta à Patre Peregrino, & eadem facultas conceſſa fuit à Paulo 5. Societati Ieſu, vt refert Pater Frãciſcus Suarez lib. 8. de legibus cap. 16. num. 2. in fine, cuius facultatis conceſſio, & confirmatio facta fuit à dictis Summis Pontificibus ex certa ſcientia, vt affirmant prædicti DD. Maior verò probatur ex regula 53. de regulis iuris in 6. ſcilicet, cui licet quod eſt plus: licet vtique quod eſt minus, & ex cap. ecce diſtinct. 95. primæ partis decreti vt refert Gloſſa in dicta regula, vbi quæritur vtrum liceat Sacerdoti benedicere Populum in fine Miſſæ, & reſpõdetur quod ſic; quia licitum eſt Sacerdoti 181
quod eſt plus: ſcilicet conficere Corpus Chriſti: ergo eſt ei licitũ, quod eſt minus: ſcilicet benedicere Populum in fine, Miſſæ: verba dicti capituli hæc ſunt. Ecce ego dico præſentibus Epiſcopis ſuis: atque obſtantibus in Altari Præsbyteros poſſe Sacramenta conficere. Et infra: ſed quia ſcriptum eſt: Præsbyteri duplici honore honorentur maximè qui laborant in verbo Domini, Prędicare eos decet, vtile eſt benedicere, congruum confirmare, conuenit reddere communionem, neceſſe eſt viſitare infirmos, orare pro inualidis, atque omnia Dei Sacramenta complere. Et infra, nemo hinc Epiſcoporum inuidia diabolicæ tentationis inflatus iraſcatur in templo, ſi Præsbyteri interdum exhortentur plebem, ſi in Eccleſijs prædicent, ſi plebibus vt ſcriptum eſt benedicant. Etenim annuenti mihi iſta ſic dicam: qui non vult prębyteros facere, quę iubentur à Deo; Dicat quis maior eſt Chriſto? aut quid Corpori eius, aut ſanguini poterit anteponi? Si Præsbyter Chriſtum conſecrat, cum in Altari Dei Sacramenta benedicit, benedicere Populum non debet? qui Chriſtum etiam meruit conſecrare: ergo indubitatum eſt, quod cui licet, quod eſt plus: licet vtique quod eſt minus: ergo cum Confeſſoribus Regularibus liceat vigore ſuorum priuilegiorũ, quod eſt plus: ſcilicet abſoluere pœnitentes à caſibus Papæ reſeruatis: licebit vtique, quod eſt minus, nempe illos abſoluere à caſibus Sanctæ Inquiſitioni reſeruatis contentis in Edictis Dominorũ Inquiſitorum: dum ſimul non includuntur in contentis in Bulla Cœnæ Domini.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, omittendo maiorem, & negando minorem, nam Regulares vigore ſuorum priuilegiorum, modò abſoluere poſſunt ab omnibus caſibus & cenſuris Epiſcopis reſeruatis, vt docẽt Peyrinus de priuilegijs regularium in conſtitutione vnica Pirri §. 8. num. 40. vbi hęc verba habet, atque ita conſuetudinem huiuſque id obtinuiſſe, & in praxi ita defacto obſeruari, quod ſolum illi caſus ſint reſeruati, qui ab Epiſcopo nominantur, ac deputantur, vt pro talibus habeantur. Floronus de caſibus reſeruatis part. 1. cap. 4. §. 8. nu. 4. vbi aſſerit quod vbi Epiſcopi aliquos caſus in ſua tabella proponunt, quos publicare faciunt, voluntque eos eſſe reſeruatos: niſi aliud exprimant alij excluſi cẽſentur, qui in Synodu, conſtitutionibuſue reperiuntur reſeruati, & non ſunt comprehenſi in dicta tabella Lezana to. 3. quæſtionum regularium verſu caſus reſeruati Regularium n. 5. vbi hoc idem affirmare videtur,

dum

dum asserit: similiter quoad praxim eorumdem Confessariorum, quoad casus Episcopales reseruatos, illud spectat, quod cum Ordinarij expresse aliquos casus tantum sibi reseruauerint, credere debent nullũ alium casum in ea diœcesi ex cõsuetudine obseruatum esse: quia si talis esset eũ ipsi Ordinarij deberent exprimere. Comitolus in responsionibus moralibus lib. 1. quęst. 25. n. 14. versu 2. ratio. Angelus Maria Verricellus in suis quęstionibus moralibus, & legalibus tract. 8. quęst. 15. num. 9. Diana part. 3. tract. 2. resolut. 13. versu nota 4. & par. 8. q. 7. resol. 71. Merolla tom. 1. disp. 1. cap. 2. num. 540. Cespides tract. de exemptione Regularium dub. 142. Auersa de Sacram. pœnit. quęst. 17. sect. 6. & alij: ergo Religiosi Regulares ab Ordinario approbati iuxta formam Concilij Tridentini possunt absoluere à casibus iure Episcopis reseruatis.

182 Nec valet si dicas, quod per Decretum Vrbani Octaui quod incipit sacra Congregatio, & refertur à Magistro Bordono dict. resolut. 6. num. 33. reuocata videntur priuilegia Regularium supra casus Episcopales per statuta Prouincialia: aut Synodalia reseruatos quia ibi dicitur; quod Regulares nec intra, nec extra Italiã in vim suorũ priuilegiorum, aut cõfirmationũ eiusmodi posse quempiam ab eisdem talibus in Bulla Cœnę, aut Ordinario reseruatis absoluere; & si secus fecerint absolutiones ab ipsis datas nullas, & irritas esse: ergo cum casus Synodales sint Ordinario loci reseruati, Regulares virtute suorum priuilegiorum ab illis absoluere non possunt.

183 Hoc inquam non valet: nam respondeo, negando consequẽtiam, cuius ratio est: quia ibi restringitur tãtũ Regularibus facultas supra casus Episcopales, ab homine reseruatos, non vero à iure, nã ab his possunt de facto Regulares absoluere, vt supra diximus cũ Doctoribus supra relatis hoc affirmãtibus: ergo cum casus reseruati in constitutionibus synodalibus, aut prouincialibus se habeant reseruati à iure, & per modum legis: qua ratione mortuo Episcopo eorum reseruatio non tollitur: sed perpetuò durat, donec reuocetur: sequitur, quod Regulares priuilegiati possint de facto ab illis absoluere, dummodò non sint etiam ab homine reseruati ijdem casus, qui sunt à iure; nam in illo tunc ratione reseruationis specialis, & individualis nõ possent ab illis regulares virtute priuilegiorum absoluere, vt sentiunt, & affirmant communiter DD.

RESOLVTIO XVII.

Vtrum sit absoluendus hæreticus qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus: si antea non fateatur veritatem publicè?

184 AFfirmatiue respondet Pater Antoninus Diana part. 1. tract. 5. de absolutione ab hæresi resolut. 8. §. pro coronide cum Portel in additionibus ad dubia regularia verbo reus nu. 3. vbi ita ait, ista doctrina dura mihi videtur, neque illam reperi apud aliquem Doctorem; neque Sanchez vllum citat; neque video quare non militent pro isto reo hæretico ad illum sic non obligãdum, rationes pro excusandis alijs reis, non hæreticis, maxime

cum in reo hæretico violentius ſit, & magis infame veritatem publicè fateri. Quod verò attinet ad ſcandalum, cum omnes ſciant ſolere reos negare, & ſimul ſciant illum poſſe verè confiteri ſacramentaliter in articulo mortis, & idem ſcandalum ſuo modo ſuſcipi poteſt de alijs reis negatiuis ductis ad patibulum. Adde quod hoc non videmus fieri à Confeſſoribus doctis comitantibus reos hæreticos ad combuſtionem, ita Portel quos etiam ſequitur Carena in tract. de offic. Sanctæ Inquiſitionis part. 2. tit. 2. §. 7. num. 58. quare hæc opinio vt pia, & ſecura in praxi, valde probabilis eſt.

185 Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia abſoluendus eſt reus, qui dicitur ad ſupplicium poſt ſententiam latam à iudice, nec tenetur ſuum delictum publicè confiteri, dum non ſequatur dānum alicui tertio, ſed ſufficiet, quod ſe accuſet de peccato, quod fecit non reſpondendo veritatem Iudici, ab ipſo interrogatus iuridicè ante pronunciationem ſententiæ: ergo ſimiliter poteſt ſacramentaliter abſolui hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus abſque eo quod antea fateatur veritatem publicè: conſequentia putet ex paritate rationis in vtroque caſu, & antecedens docent Reginaldus in praxi to. 2. lib. 24. cap. 7. ſect. 6. num. 145. Nauarrus in manuali cap. 25. n. 38. Rodriquez tom. 2. quæſtionum regularium quæſt. 18. art. 9. Sanchez to. 1. ſummę lib. 3. ca. 7. n. 11. Villalobos in ſumma to. 2. tract. 16. difficult. 3. n. 4. Diana vbi ſupra, & part. 3. tract. 5. reſolut. 103. & alij. Quorum ratio eſt: quia ex eo quod Reus ductus ad ſupplicium non confiteatur publicè ſuum delictū, nullum ſequitur damnū Iudici, aut infamia aliqua, nequè accuſatori, aut Teſtibus: nec ſcandalum Reipublicæ: præcipuè quando delictū non eſt contra bonum commune Reiplublicæ: ſeu vniuerſitatis: cum omnibus notiſſimum ſit ſolitos eſſe Reos delicta negare; imò ac puſilianimes, ac ſtuliti habentur, ſi id fateantur. Et præſumptio ſtat pro Iudicis ſentētia cap. Conſanguinei, & cap. cauſam de re iudicata, & latiſſimè Maſcardus conſil. 1302. num. 3. nec iuſtitia ſententiæ præteritæ pendet ex futura Delinquentis iam damnati confeſſione: ſed ex actis in proceſſu, per quę eſt illa lata.

186 Sed non iudicio improbabilē ſententiā negatiuam Patris Thomę Sanchez dict. tom. 1. Summę lib. 3. cap. 7. num. 11. in fine, non eſſe abſoluendum hęreticorum, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus, ſi antea nō fateatur veritatem publice: non quia ex non confeſſione Rei: ſequatur aliqua infamia Iudici, Accuſatori, aut Teſtibus: ſed ratione ſcandali, vt optime docet Sanchez vbi ſupra per hęc verba: hinc excipiendus eſt, qui cōburitur: eò quod hęreticus negatiuus ſit: Neutiquam enim eſt abſoluendus: niſi publicè crimen fateatur. Et hoc quidèm ratione ſcandali: eò quod preſumitur in hęreſi decedere, & pertinax negando: quare ſi verè Reus eſt, tenetur crimen fateri, vt ſcandalū ceſſet, ita ille.

187 Probatur concluſio, quia Cōfeſſarius etiam in articulo mortis nō poteſt pœnitentem abſoluere: nec licite: nec valide: niſi ſit cum vera diſpoſitione ad Sacramētalē abſolutionem recipiendam: atqui hęreticus, qui du-

ci-

citur ad ſuplicium: ſcilicet ad cõburendum, & moritur negatiuus, ſi antea non fateatur veritatem publicè non eſt legitimè diſpoſitus ad ſacramentalem abſolutionem recipiendam; niſi antea fateatur publice ſuum delictum, ergo non eſt ſacramentaliter abſoluendus: Maior eſt certa, & minor probatur; quia ille, qui dat cauſam proximis, ſcandali attiui in re graui eſt in ſtatu peccati mortalis: dum ſcãdalum non vitat: atqui hęreticus, qui moritur negatiuus, niſi ſuum delectũ: ſi verè Reus eſt, publicè fateatur, dat occaſionem ſcandali actiui in re graui: nam ab omnibus vt certum pręſumitur in hęreſi decedere, & pertinax in negando: ergo non eſt debitè diſpoſitus ad Sacramentalem abſolutionem recipiendam: & conſequenter non debet à Confeſſario abſolui donec antea: ſi vere Reus eſt ſuum delictum publice fateatur, vt ſcandalum ceſſet.

188 Nec valet ſi dicas cum Diana, & Portel, non inde ſequi in dicto caſu ſcandalum, cum omnes ſciant ſolere Reos negare, & ſimul ſciant illum nempe hęreticum poſſe vere confiteri Sacramentaliter in articulo mortis: etiam ſi crimen non fateatur publicè. Et idem ſcandalum ſuo modo ſuſcipi poſſe de illis Reis negatiuis ductis ad patibulũ. Hoc inquam non valet; nam magna inuenitur differentia inter vnum, & alterum caſum: nam qui ducitur ad patibulum propter aliquod delictum extra crimen hereſis: ideò non dat cauſam ſcandali, quia apud omnes communiter receptum eſt quod delinquentes ſolent communiter negare delictum: & nihilominus, vt bene aſſerit oppoſita ſentẽtia poſſunt in articulo mortis abſolui Sacramentaliter, quin teneãtur publice ſuum delictum manifeſtare; nec Confeſſarius tenetur delinquentibus ad hoc obligare, ne pœnitentię Sacramentum odioſum fiat: attamen in caſu hęreſis hoc non valet, quia populus, qui videt aliquem hęreticum viuum comburi, & mori negatiuum infallibiliter iudicat ipſum mori in hereſi, quod ſcandalum vitari non poteſt: niſi Reus ſi verè Reus ſit, ſuum delictum publice fateatur, & ſignum prębeat verę pœnitentię: nam in hęreticis, qui ducuntur ad comburẽdum, & moriũtur negatiui ſemper ſtat pręſumtio, quod moriuntur pertinaces, & iudicantur à Catolicis in ęternum inferni ignem dãnati, quę ratio non militat infidelibus, qui ducuntur ad ſuplicium pro alijs delictis, quæ non ſunt contra fidem, vt experientia conſtat. Ex quo patet ſolutio ad fundamentum oppoſitę ſententię. Nec hęc doctrina rigida eſt, vt iudicat Portel: imò maximè neceſſaria: tum ad ſalutem animarum: eorum, qui propter delictum hereſis iuſte damnantur ad ſupplicium: tum etiam ad tollendum ſcandalum Populi, qui iuſte ſcandalizatur, & iudicat contumacem in hæreſi illum, qui ſe permittit viuum comburi: potius quàm ſuum delictum fateri publice, vt Populi ſcãdalũ vitetur, & ſe permittit mori certo genere deſperationis, vt eſt viuũ comburi ob ſui pertinaciam, & contumaciam.

RESOLVTIO XVIII.

Vtrum vigore bullæ Cruciatæ possit Confessarius absoluere pœnitentem, qui culpabiliter omisit denuntiare delicta, quę sũt in Edicto inquisitorũ, antequam de facto denunciet?

189 PRo decisione huius resolutionis suppono, vt certum, quod ille, qui scit aliquem commisisse aliquod delictum ex cõtentis in edicto Dominorum Inquisitorum, & non procurat intra terminum statutum prædictum delictum Dominis Inquisitoribus reuelare; assignando personam, quæ prædictum delictum commisit; non solum lætaliter peccat: sed etiam incurrit in excommunicationem latam in eodem edicto contra non reuelantes v. g. si quis audiuerit hæresim ab alio prolatam, seu esse hęreticum, aut si mulier fuerit à Confessario in Sacramenti pœnitentię administratione ad turpes actus sollicitata, & mulier sciat obligationem denunciandi talem Confessorem, & alia similia crimina, quæ in dicto edicto Dominorum Inquisitorum continentur. Quo supposito, quod in prȩsẽti resolutione quęrimus, est, an si quis peccauerit omittẽs reuelare aliquod ex his criminibus, quando poterat, & debebat si postea resipiscat, & confiteatur promittens se denunciaturum crimen illud, quod scit ab alio patratum; possit à Confessario vigore Bullæ Cruciatæ absolui: antequam actu pręcedat denũciatio.

190 Secundo suppono posse Confessarium pœnitentem absoluere qui culpabiliter omisit denunciare eum, qui sciuit aliquod ex dictis criminibus in Edicto Dominorum Inquisitorum contentis commisisse; antequam actu pręcedat denunciatio vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ: si pœnitẽs tũc sit simpliciter impotens ad denunciandum, vel iustam, & rationabilem causam habeat differendi, eo tempore denunciationem: si firmiter promittat reuelare: quamprimum poterit. Causæ autem, quæ sufficientes iudicari possunt à Confessario, variæ sunt, quarum aliquæ assignantur à Doctoribus v. g. si aliquo modo vrgeat necessitas cõmunicandi ad vitandum scandalum, vel infamiam, siue notam apud alios: nisi ille, cui incumbit reuelandi onus sacram sumat Eucharistiam: vel vrgeat vtilitas extraordinaria ad communicandum, vt si aliquod generale iubilæum sit promulgatum, & expirat tempus: itaut à Confessario prorogari amplius nequeat: vel ipse, qui denunciare debet: longè distet à loco, vbi residunt Inquisitores: tunc enim censeretur rationabilis causa absoluendi à præterita omissione cum proposito postea quamprimum reuelandi, in his autem, & similibus casibus, in quibus prudens Confessarius iudicauerit esse sufficientem causam differendi denunciationem, poterit pœnitenti beneficium absolutionis impendere: quia hanc esse intẽtionem Dominorum Inquisitorum piè existimandum est: ita tenent Emanuel Rodriquez in summa tom. 1. cap. 34. num. 6. in fine, (& non tom. 2. cap. 34. nu. 5. vt citat eum Pater Bardi in explicatione Bullæ Cruciatæ pa. 2. tract. 6. cap. 2. sect. 6. nu. 54.) Santarellus de hæresi cap. 9. dub. vnico nu. 16. Peyrinus tom. 2. priuilegiorum Regularium in

con-

conſtitut. 4. Gregorij 15. §. 9. n. 24. (& non tom. 1. §. 9. num. 24. vt inuenies citatum apud Patrẽ Bardi vbi ſupra) & iterum Rodriquez tomi 2. quæſtionum regularium quæſt. 27. art. 1. & in eodem 1. tom. ſummæ cap. 207. concluſ. 1. nu. 1. Diana part. 1. tract. 4. de nunciationibus reſol. 27. Ortiz in ſumma cap. 24. n. 11. Pater Leander à ſanctiſsimo Sacramento par. 4. tract. 2. de excommunicatione quæſt. 79. Trullench lib. 1. in decalogum cap. 2. dub. 18. num. 94. & 95. et in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 8. num. 7. cum ſequentibus Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 11. à num. 62. D. Didacus Garſia in ſtimulo fidei quæſt. 2. cap. 7. nu. 17. Pater Franciſcus Bardi vbi ſupra D. Carolus Latius in diluçidatione Bullæ Cruciatæ diſp. 6. quæſt. 2. difficult. 12. nu. 60. Quare maior difficultas eſt, an ſi nulla ſit impotentia, aut vrgeat neceſſitas abſoluendi, nec occurrat magna vtilitas communicandi, vt ſupra diximus: ſola promiſſio denunciãdi ſit ſufficiens cauſa, vt Confeſſarius vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ licitè valeat pœnitentem abſoluere abſque præcedenti denunciatione.

191 In hac difficultate affirmatiuè reſpondet Nauarrus lib. 5. conſiliorum de hæreticis conſil. 3. qui licet prius dicat non eſſe abſoluendum: niſi denunciet: addit tamen hæc verba, vel ſaltem omninò proponat denunciare; Quibus conſtat quod, ille altero ex his ſit contentus. Freitas qu. 21. nu. 25. Ortiz in ſumma cap. 24. nu. 9. Santarellus tract. de hæreſi cap. 9. dub. vnico nu. 16. Ceſar Carena de officio ſanctæ Inquiſitionis part. 2. de obligat. denunciandi tit. 9. §. 10. nu. 104. ſaltem de perſonis, quorum fides eſt Confeſſarijs bene nota per hęc verba: Attamen traditionẽ hanc iſtorum Doctorum ego intelligerem procedere tantummodò in perſonis illis, quorum fides eſt Confeſſarijs bene nota, nam ſi eſſet pœnitens homo ordinarius, omnino eſt curandum, vt denũciatio præcedat: niſi vrgeat neceſſitas cõmunionis: ita Carena.

192 Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt: quia finis reſeruationis dictorum criminum in edicto ſanctæ Inquiſitionis contentorum eſt: ne ob defectum denunciationis faciendæ Dominis Inquiſitoribus prædicta crimina impunita maneant: atqui iſte finis ceſſat, ſi pœnitens, qui ſciuit aliquẽ commiſſiſſe aliquod ex ſupradictis criminibus, Confeſſario firmiter promittat; & cautionem iuratoriam faciat denunciandi prædictũ delinquentem: ergo etiamſi nulla eo tempore occurrat neceſſitas communicandi; aut alia legitima cauſa impediens actualem denunciationem, poterit Confeſſarius pęnitentẽ à præterita omiſſione abſoluere, & ab excommunicatione, in quam ratione prędictæ omiſsionis pœnitens fuit incurſus.

193 Secunda, et vera ſententia negat poſſe Confeſſarium vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ abſoluere pœnitentem, qui culpabiliter omiſit denunciare delicta, quę ſunt in edicto Inquiſitionis contenta, antequam de facto denunciet: quando nulla eſt impotentia, aut vrget neceſsitas communicandi, aut alia cauſa legitima excuſans ab actuali denunciatione pro tali tempore: ita fèrè omnes DD. citati in 2. notabili huius reſolutionis contra Auilã

2. par. de cenſuris cap. 7. dub. 7. in fine verſu in rebus, vbi ſic ait, verum eſt, quod in rebus grauibus præcipuè, ſi pœnitens ſit homo ordinarius, curandum eſt, vt prius denunciet, & hoc licèt non dum incurriſſet in excommunicationem: quia ſi prius obtinuerit abſolutionem, facilè ſolent id omittere. In caſibus autem Inquiſitionis remittẽdus eſt pœnitens, vt prius denunciet, vt præcipitur in edicto Inquiſitorum: ita Auila, ex quibus vltimis verbis apparet ipſũ ſuſtinere, quod in caſibus pertinentibus ad Tribunal ſanctæ Inquiſitionis contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum in nullo caſu poteſt Confeſſarius ab illis abſoluere: antequam præcedat denunciatio. Zanardus in ſumma par. 2. præcept. 2. capit. 11. in fine: Lazar de Blaſph. qu. 12. nu. 79. verſu poſt autem hęc ſcripta, quos citat Doctor Cęſar Carena vbi ſupra Pater Sebaſtianus Salelles trac. de materijs Tribunaliũ Sãctæ Inquiſitionis li. 1. cap. 21. regula 156. à num. 147. & eod. lib. & cap. regula 60. à n. 220. vſque ad 226. Diana part. 4. tract. 5. reſol. 36. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullę Cruciatæ part. 2. tract. 6. cap. 2. ſect. 6. concl. 3. nu. 57. & alij.

194 Probatur noſtra ſentẽtia. Primo ex ipſo edicto Dominorum Inquiſitorum de reſeruatione ipſius excommunicationis, ac ſimul de poteſtate abſoluendi ab ipſo reſeruante ſolo: aut ab alio in caſibus fidei ei Superiore; ibi; E della detta ſcommunica, e peni nelli quali li diſubidienti incorreranno non poſſa alcuno eſſer aſſoluto; ſe non da noi, ò dal ſupremo Tribunale del ſanto Officio di Roma: & ſimiliter ex præcepto, ſeu decreto vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ, incipit vniuerſis, & ſingulis: ibi huius excommunicationis maioris abſolutionem Sancto Domino noſtro Papæ, & nobis reſeruamus: ergo nullus Confeſſarius poteſt licitè, & validè pœnitentẽ abſoluere virtute Bullæ Cruciatæ, qui culpabiliter omiſit ſancto Tribunali Inquiſitionis denunciare delicta, quæ ſunt cõtenta in edicto Dominorum Inquiſitorum: antequam de facto denunciet: ſi nulla adſit cauſa legitima rationabiliter impediens pro eo tẽpore dictam actualem denunciationem.

195 Confirmatur exemplo: quia ſi quis ob rationem Concubinæ cenſuram contraxit, non debet abſolui, niſi prius Concubinam expellat; nec ſufficit, quod promittat firmiter eam expellere, vt docent Suarez de cenſuris diſ. 7. ſect. 5. nu. 45. Sotus in 4. diſp. 22. quæſt. 2. art. 3. Gaitierrez in quæſtionibus canonicis lib. 1. c. 5. nu. 30. & alij: ergo pari modo ſeruatis ſeruandis in noſtro caſu.

196 Secundo probatur noſtra ſententia, ex doctrina tradita ab Erudito Patre Franciſco Bardi, dict. concl. 3. ſupra citata: quia ſi Cõfeſſarius poſſet vigore Bullæ Cruciatę in noſtro caſu abſoluere eum, qui culpabiliter omiſit denunciare crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum ante actualem denunciationem ſequeretur, quod præceptum illud in Dominorum Inquiſitorum edicto de non abſoluendis pœnitentibus: niſi prius denuncient: nunquam aut ferè nunquam obligaret: atqui hoc non eſt dicendũ: ergo nec quod Confeſſarius poſſit pœnitẽtẽ abſoluere vigore Bullę Cruciatæ, qui culpabiliter omiſit prædicta cri-

crimina denunciare: antequam prius denũciet: probatur ſequela: quia ſi pœnitens non proponat denunciare, cum tenetur, manet in peccato mortali; ac proinde independenter ab illo præcepto nequit illum abſoluere Confeſſarius: atqui ſi proponat reuelare iuxta opinionem contrariam, quam impugnamus, poterit Confeſſarius illum abſoluere: ergo rarò caſus eueniet, in quo Confeſſarius ex vi ſolius præcepti impoſiti à Dominis Inquiſitoribus eſſet obligatus ad non abſoluendum pœnitentem, qui culpabiliter omiſit denunciare delicta contenta in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum, & conſequenter præceptum illud eſſet inutile, & vanum, quod nullo modo aſſerendum eſt.

197 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur; negando maiorem: nam finis huius reſeruationis primarius, & per ſe intentus à Tribunali ſanctæ Inquiſitionis eſt auferre facultatem, & authoritatem omnibus Confeſſarijs dicto Tribunali inferioribꝰ tam ſęcularibus, quam Regularibus abſoluendi à dicto peccato omiſſionis denunciãdi dicta crimina eos, qui culpabiliter ea nõ denunciarunt tempore ſtabilito ipſi Tribunali ſanctæ Inquiſitionis: antequam actu denuncient: licet finis ſecundarius dictæ prohibitionis ſit, ne prædicta delicta contenta in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum maneãt occulta, & impunita ob defectũ dictæ denunciationis, quod cõtingere poteſt ſi dicta omiſſio abſolui poſſit à Confeſſarijs inferioribus ſanctæ Tribunali inquiſitionis. Quod apertè colligitur ex præcepto: ſeu decreto illo ſupra adducto vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ, incipit vniuerſis, & ſingulis, vbi abſolutionem dictę excommunicationis maioris ſanctum Tribunal vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ Summo Põtifici, & ipſis Dominis Inquiſitoribus reſeruat. Nec hic locum habet priuilegium Bullæ Cruciatæ, tum, quia vigore dictæ Bullæ non poſſunt Confeſſarij ſuos pœnitentes abſoluere à caſibus Papæ reſeruatis, toties quoties: ſed ſolum ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, & cum prædictę excommunicationis abſolutio ſit reſeruata Summo Pontifici, & Dominis Inquiſitoribus non poterunt Confeſſarij ab illa vigore Bullæ Cruciatæ ſaltem toties: quoties nulla legitima exiſtẽte cauſa excuſante abſoluere abſque præcedenti denunciatione. Tum etiam: quia vigore Bullę Cruciatæ non poteſt Confeſſarius pœnitentem abſoluere ab excommunicatione reſeruata, quando ſequitur prędiciũ tertij: atqui ſi Cõfeſſarius poſſet vigore Bullæ Cruciatę à ſupradicta excommunicatione pœnitẽtem abſoluere, abſolutio cederet in præiudicium tertij: ſcilicet, Dominorum Inquiſitorum, & ſanctę Inquiſitionis Tribunalis: ergo non poteſt Confeſſarius pœnitentem à dicta excommunicatione abſoluere: niſi prius prędecedat denunciatio actu facta ab ipſo pœnitente ſanctę Inquiſitionis Tribunali.

198 Ex dictis infero, quod poſt adimpletum denunciationis prędceptum poterit Cõfeſſarius virtute priuilegij Bullę Cruciatę ab excommunicatione in edicto sãctę Inquiſitionis contenta abſoluere, vt cum Ioanne Sanchez dicta diſp. 11. tenet Diana dicta 4. par. tract. 5. reſol. 29. cuius hęc ſunt verba, quod ſi, inquit, fœmina, quę iam cenſuram incurrit de-

denunciationis prꝫceptũ adimpleat poterit virtute Bullæ Cruciatæ à quocumque Confeſſario abſolui à cenſura; nam ſatisfacta parte abſoluendi priuilegium ab omnibus cẽſuris traditur in bulla, vel à Regularibus virtute priuilegiorum: nec indigebit fœmina fateri Inquiſitoribus in Sacramento pœnitentiæ: nec extra ſe negligentem fuiſſe in denunciatione, quod eſt valde obſeruandum: quia quotidianum, & hoc procedit in omnibus caſibus cõtentis in edicto. Hæc Diana dict. reſolut. 29. §. notandum eſt autem hic, quem ſequitur P. Sebaſtianus Salelles vbi ſupra lib. 1. de materijs Tribunalis fidei c. 21. regula 160. nu. 225. & 226.

RESOLVTIO XVIIII.

Vtrum Religioſi Regulares poſſint vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere eum, qui culpabiliter omiſit denunciare crimina cõtenta in edicto Dominorum Inquiſitorum, & ab excommunicatione lata, in quam incurſit, antequam actu denunciet?

199 IN hac difficultate prima ſententia affirmat poſſe Confeſſarium Regularem virtute ſuorũ priuilegiorum pœnitentem, qui culpabiliter omiſit denunciare eum, qui ſciuit incurriſſe in crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum, & ab excommunicatione, quam ob prędictam omiſſionem contraxit nõ obſtante, quod abſolutio dictæ excommunicationis ſit reſeruata Summo Pontifici, & Dominis Inquiſitoribus abſoluere abſque eo quod præcedat actualis denunciatio; dummodò proponat quam primum denunciare; etiãſi nulla exiſtat cauſa legitima eum excuſans à dicta denunciatione eo tempore facienda. ita Portel in dubijs Regularium verbo ſollicitare nu. 24. verſu tota dubitatio eſt. Hieronymus Rodriquez reſolut. 131. num. 16. verſu vel etiam à Regularibus.

200 Probatur 1. hæc ſententia à Portel vbi ſupra: quia Religioſi regulares vigore ſuorum priuilegiorum habent facultatem à Summis Pontificibus conceſſam abſoluendi ab omnibus criminibus; quantũuis enormibus ſuos pœnitentes, & ab omnibus cenſuris illis annexis: etiamſi dicta crimina, & excommunicationes ſint reſeruatę Summo Pontifici, & hoc toties quoties: dummodo prędicta crimina, & cenſuræ nõ ſint excontentis in Bulla Cœnæ Domini; atqui peccatum omiſſionis denunciandi crimina cõtenta in edicto Dominorum Inquiſitorum, & excommunicatio maior dictæ omiſſioni annexa, in quam incurrunt non denunciantes tempore præfixo in dicto edicto crimina in ipſo contẽta non continetur in Bulla Cœnę Domini, vt de ſe manifeſtum eſt: ergo optimè poterunt regulares in virtute ſuorum priuilegiorum ſuos pœnitentes abſoluere à prędicto peccato omiſſionis culpabiliter denunciandi eum, quem ſciunt incurriſſe in crimina contẽta in edicto Dominorũ Inquiſitorũ, & ſimul ab excõmunicatione maiori illi omiſſioni annexa. Probatur maior ex quadam conceſſione Pauli tertij in quodam breui dato Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 3. Iulij anno Dñi 1545. Pontificatus ſui anno ſecũdo in fauorem Patruum Societatis Ieſu: vbi dictus Pontifex Paulus Tertius conceſſit cuilibet

Sa-

Sacerdoti Societatis Iesu, qui ad onus confessionum sęcularium receptus, & per Societatis Prępositum pro tempore existentem deputatus fuerit, possit quorũcũque vtriusque sexus fidelium ad eos vndique accedẽtium cõfessionibus diligenter auditis ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque grauibus, et enormibus, etiã Sedi Apostolicę reseruatis, et à quibusuis ex ipsis casibus resultãtibus sẽtẽtijs cẽsuris, et pœnis ecclesiasticis (exceptis cõtẽtis in Bulla Cœnæ Domini) potestatem absoluendi: atque eis pro commissis salutarem pœnitentiam iniungendi, vt refert Rodriquez tom. 1. quæstionum Regulariũ quæst. 61. art. 5. quod priuilegium affirmat desumpsisse ex quodam libro authentico quod habetur in Collegio Societatis Iesu Ciuitatis Valentiæ, et refertur in compendio eiusdem Societatis Iesu verbo absolutio primo: ergo cum prædicta excommunicatio cõtenta in Edicto Dominorum Inquisitorum non contineatur in Bulla Cœnæ Domini, poterunt Confessarij Regulares ab illa absoluere virtute suorum priuilegiorum.

201 Secundo probatur ex regula 53. de regulis iuris in 6. vbi sic dicitur cui licet quod est plus: licet vtique quod est minus: atqui plus est absoluere à censuris Papę reseruatis: quam absoluere à reseruatis Inquisitoribus: ergo cum fauores sint ampliandi, & Regulares habeant authoritatẽ, & facultatem vigore suorum priuilegiorum absoluendi ab omnibus cẽsuris etiam Papæ reseruatis: dummodò non contineãtur in Bulla Cœnæ Domini, vt constat ex supradicto priuilegio 203 Pauli 3. Patribus Societatis Iesu concesso per illa verba, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultãbus sententijs, censuris, & pœnis ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini) potestatem absoluendi: atque eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendi. Vbi notanda maxime est illa dictio coniũctiua, etiam, quæ innuit non solum posse absoluere à reseruatis Papę: sed etiam à reseruatis cuicumque inferiori Papę: ergo poterunt absoluere prędicti Regulares à supradicta excommunicatione contenta in edicto Dominorum Inquisitorum eum, qui culpabiliter omisit crimina contenta in dicto Edicto denunciare; antequam prędecat denunciatio: si firmiter proponat, quã primum dictam denunciationẽ facere.

202 Tertio probatur: quia Religiosi virtute suorum priuilegiorũ possunt absoluere excommunicatos nominatim declaratos satisfacta parte, & excommunicatos ab homine itẽ satisfacta parte: atqui ille, qui incidit in excommunicationem latam contentam in edicto Dominorum Inquisitorum contra non denũciantes crimina in dicto edicto contenta ob omissionem culpabilem denũciandi aliquem, quẽ sciuit incurrisse in aliquem ex supradictis criminibus: iam satisfecit parti, habendo intentionẽ efficacem, quam primum denũciandi supradictum delinquentẽtem: ergo poterit absolui à dicta excommunicatione à quocumque Confessario Regulari in virtute suorum priuilegiorum; antequam prędecat actualis denunciatio.

203 Quarto probatur: quia excõ-

municatio ab homine poteſt abſolui ab ipſo homine, qui excõmunicauit, vel à Superiore illius, vel ab illoqui fuit ad id delegatus legitime: atqui Regulares habẽtes priuilegiũ abſoluẽdi à cẽſuris reſeruatis Papę habẽt iuriſdictionem abſoluẽdi ab illis cenſuris reſeruatis, quæ poſſunt à Papa abſolui, & cũ Papa poſsit abſoluere ab iſta cenſura lata per Inquiſitores, optimè infertur; ergo illam poterũt etiam abſoluere Regulares habentes iuriſdictionem delegatam à Papa illis conceſſam in generali, exceptis illis, quę contineatur in Bulla Cœnæ Domini.

204 Dicendum tamẽ eſt non poſſe Confeſſarios Regulares vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere ab excommunicatione lata in edicto Dominorum Inquiſitorũ eum, qui culpabiliter omiſit tẽpore præfixo denunciare crimina contenta in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum nulla exiſtente cauſa legitima (ex à nobis aſsignatis reſolut. præcedẽti inſecũdo notabili dictæ reſolutionis) quę poſsit pœnitentẽ excuſare ab actuali denunciatione faciẽda, ita Homo bonus de bonis de exam. eccleſiaſtico tract. 7. c. 7. quæſt. 35. Doctor Cæſar Carena de officio ſanctæ Inquiſitionis par. 2. tit. 6. §. 20. nu. 114. in fine Stephanus Auilla de cenſuris cap. 7. diſp. 3. dub. 7. verſu 3. ſequitur; quatenus abſolute affirmat quod nõ eſt abſoluendus obligatus ad denunciãdum; niſi prius Inquiſitori denunciet P. Stephanus Salelles de materijs Tribunalium Inquiſitonis lib. 1. cap. 21. regula 156. nu. 147. & alij pij Viri.

205 Probatur aſſertum, quia quãdo aliqua excommunicatio eſt reſeruata à Summo Põtifice, aut ab alio aliquo Tribunali Pontifici inferiori habẽte poteſtatem excommunicandi, & reſeruandi excommunicationem non poteſt Confeſſarius regularis à dicta excommunicatione aliquem abſoluere: niſi prius pars ſit ſatisfacta: atqui excommunicatio lata in edicto Dominorum Inquiſitorum contra non reuelantes crimina contenta in edicto dictorum Dominorm Inquiſitorũ, tempore præfixo in dicto edicte eſt lata à Tribunali habente poteſtatem reſeruandi abſolutionem dictæ excommunicationis Summo Pontifici, & Dominis Inquiſitoribus; ergo nullus Confeſſarius Regularis poterit aliquem à dicta excommunicatione abſoluere; niſi prius ſatisfacta parte: nempe Dominis Inquiſitoribus. Atqui niſi prius actu denunciet ille, qui culpabiliter omiſit ſupradicta crimina cõtẽta in dicto edicto Dominorũ Inquiſitorum, non intelligitur eſse ſatisfacta parte abſolutio data à Confeſſario Regulari: ergo nullus Confeſſarius Regularis virtute ſuorum priuilegiorum poteſt à dicta excommunicatione aliquem abſoluere ante actualem denunciationem; niſi eo tempore aliqua legitima exiſtat cauſa à dicta actuali denunciatione excuſans ex illis à nobis aſſignatis notabili ſecundo præcedentis reſolutionis; hæc conſequentia ex premiſsis manifeſte ſequitur: maior autem ex ſe eſt manifeſta, & minor conſtat ex præcepto: ſeu decreto illo ſupra adducto in reſolutione pręcedenti vniuerſalis Inquiſitionis Romanę; incipit vniuerſis, & ſingulis; ibi; cuius excommunicationis maioris abſolutionem ſancto Domino noſtro Papæ, & nobis reſeruamus, &c. minor au-

autem ſubſumpta probatur: nã ex eo quod ille, qui obculpabilem omiſsionem denunciandi crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum excommunicationem in dicto edicto 206
latam incurſit, ſit paratus denũciare, non intelligitur actu ſatisfacta pars: ſed potius ſatisfaciẽda tẽpore, quo ab illo actu fiat denunciatio: atqui Confeſſarij Regulares non poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum excommunicationẽ latam ab homine abſoluere: niſi prius actu pars leſa ſit ſatisfacta: ergo non poſſunt abſoluere excommunicationem latam in edicto Dominorum Inquiſitorum: donec ille, qui dictam excommunicationẽ incurſit ob culpabilem omiſsionem denunciandi delicta contenta in dicto edicto, actu denũciet, cum per ſolã actualem denunciationẽ intelligatur partem eſse ſatisfactam, & non ſufficiat ad actualem ſatisfactionẽ volũtas potentialis ſatisfaciendi: ſicut ſi aliquis eſſet incurſus in maiorem excommunicationem ab aliquo ſuperiore: ſeu Iudice competenti de petitione partis propter aliquod debitum, quod tenebatur ſatisfacere, non poteſt quis etiam virtute alicuius priuilegij, aut virtute bullæ Cruciatæ dictam excommunicationẽ abſoluere: niſi prius, vel debitor debitum reddat parti læſæ actu & cum effectu: vel ipſa pars conſentiat: etiam ſi habeat propoſitum efficax reddendi actu debitum quamprimum potuerit: ergo ſimiliter in noſtro caſu ſeruatis ſeruandis non poterit Cõfeſſarius Regularis vigore ſuorũ priuilegiorum dictam excommunicationem latam in Edicto Dominorum Inquiſitorum cõtra non denunciantes crimina 207
contenta in dicto edicto abſoluere, niſi prius præcedat actualis denunciatio, aut in dicta abſolutione Domini Inquiſitores prius conſentiant.

Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur diſtinguendo maiorem Confeſſarij Regulares habent facultatẽ vigore ſuorum priuilegiorum abſoluendi ſuos pœnitentes vndequaque ad ipſos venientes ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam Summo Pontifici reſeruatis, exceptis jis, quæ in Bulla Cœnę Domini continentur: ſi nullum ſequatur per iudicium tertio concedo maiorem. Si ex dicta abſolutione à cenſuris reſeruatis inferatur alicui tertio prejudicium poſſunt abſoluere à dictis cenſuris, non ſatisfacta parte prius nego maiorem, & cõceſſa minori, neganda eſt conſequentia: nam cum ex abſolutione à dicta cenſura lata in edicto Dominorum Inquiſitorum contra non denunciantes tempore præfixo crimina contenta in dicto edicto ſequatur præiudicium tertio: nempe Dominis Inquiſitoribus: ideo Confeſſarij Regulares vigore ſuorum priuilegiorum non poſſunt aliquẽ à dicta excommunicatione abſoluere: niſi prius Dominis Inquiſitoribus ſatisfaciat, quæ ſatisfactio neceſſariò fieri debet per præcedentem actualem denunciationem, niſi eo tempore aliqua exiſtat rationabilis cauſa excuſans à dicta actuali denunciatione pro tali tempore, vt conſtat ex ſupradictis in probatione noſtræ ſententiæ, ex quo patet reſponſio ad probationẽ maioris, quæ ſolum conuincit in ſenſu à nobis explicato.

Ad ſecundum argumentum 207
reſpondetur: concedendo ma-

iorem, & distinguendo minorē plus est absoluere à censuris reseruatis Papę: quam absoluere à reseruatis Inquisitoribus, si nullum præiudicium Dominis Inquisitoribus ex dicta absolutione sequatur, concedo minorē. Si aliquod præiudicium iurisdictioni Dominorum Inquisitorū ex dicta absolutione sequatur: nego minorem, & similiter nego suppositum consequentię: & ipsam consequentiam: nam falso supponitur habere Regulares Confessarios vigore suorū priuilegiorum facultatem absoluendi ab omnibus censuris: etiā Summo Pontifici reseruatis (exceptis ijs, quę in Bulla Cœnæ Domini continentur) quando aliquod præiudicium infertur alicui tertio. Cum autem ex absolutione dictæ excomunicationis contentæ in edicto Dominorum Inquisitorum, si fieret à Confessarijs Regularibus vigore suorum priuilegiorum; ante præcedentem denunciationem nulla existente legitima causa excusante, sequatur præiudiciū tertio, scilicet Dominis Inquisitoribus: ideò non possunt Regulares dictam excommunicationem absoluere vi suorum priuilegiorum: nisi prius præcedat denunciatio: vt potè simpliciter necessaria ad prædictam satisfactionem præstādam, vt diximus resolut. præcedentis argumenti.

208 Ad 3. argumentum respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem: nam vt supra diximus, tam in probatione nostræ sententiæ, quam in solutionibus primi, & secundi argumenti contrariæ sentētiæ, per voluntatem denunciandi quam primum pœnitens potuerit, non remanet actu pars satisfacta: quia ad hoc necessario requiritur actualis denunciatio: Vnde cum non possint Regulares vigore suorum priuilegiorū excommunicationem latam ab homine absoluere: nisi prius satisfacta parte, consequenter sequitur non posse absoluere excommunicationem latam in edicto Dominorum Inquisitorū contra non denunciātes crimina contenta in dicto edicto: nisi prius satisfacta parte: scilicet Dominis Inquisitoribus per actualem denunciationem precedentem ad absolutionem dictæ excommunicationis: nisi aliqua causa legitima, quæ rationabilis videatur Cōfessario, hoc impediat: quia tunc satis est pœnitētem habere voluntatem denunciandi: quam primum potuerit, & sic poterit à dicta excommunicatione absolui à Confessario Regulari, vel virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ; vel vigore suorum priuilegiorum, vt ex dictis tam in hac resolutione, quam in præcedenti constat.

209 Ad quartum argumentum respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem quoad primam eius partem: scilicet Regulares habentes priuilegium absoluendi à censuris reseruatis Papæ habere iurisdictionem absoluendi ab illis censuris reseruatis, quas potest Papa absoluere: nam aliàs haberent Regulares potestatē absoluendi vigore suorum priuilegiorum à censuris contentis in Bulla Cœnæ Domini, quod est falsum, & etiam à censuris latis ab homine parte non satisfacta, quod similiter falsum est: quare licèt Summus Pontifex habeat potestatem absoluendi à supradicta censura lata per Inquisitores in edicto sanctæ Inquisitionis, hoc prouenit: quia

pri-

primario eſt reſeruata Summo Pontifici: vt conſtat ex illis verbis ſupra relatis ex præcepto: ſeu decreto vniuerſalis Inquiſitionis Romanę incipit vniurſis & ſingulis; ſcilicet cuius excommunicationis maioris abſolutionem ſanctiſſimo Domino noſtro Papæ, & nobis reſeruamus, &c. ideoque Regulares non poſſunt vigore ſuorum priuilegiorũ dictam excommunicationem abſoluere: niſi prius præcedente denunciatione, aut aliqua legitima cauſa legitime excuſante exiſtente, vt ſupra diximus.

210 Sed dices. Confeſſarij Regulares ab Ordinario approbati dè licentia ſuorum ſuperiorum poſſunt licite, & validè vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere ſuos pœnitentes à caſibus contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum, vt nos cõcedimus ſupra reſolut. 16. nnm. 176. ergo ſimiliter poterunt illos abſoluere vigore dictorum priuilegiorum ab excommunicatione maiori contenta in dicto decreto contra non denunciantes crimina in ipſo contenta: etiamſi non præcedat prius dennnciatio actualis: ſed tantũ intentio denunciandi. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam: nã aliud eſt Cõfeſſarios Regulares poſſe abſoluere ſuos pœnitẽtes à criminibus, & culpis contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum vigore ſuorum priuilegiorum: ſicut alij Confeſſarij Regulares ab Ordinario approbati poſſunt illos abſoluere à dictis criminibus, & culpis vigore priuilegij Bullæ Cruciatę, vt nos ſupra diximus reſol. 15. huius tractatus; aliud vero eſt poſſe dictos Confeſſarios Regulares vigore ſuorum priuilegiorum prędictos pœnitentes abſoluere ab excommunicatione maiori contenta in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum, & lata contra non denunciantes crimina in ipſo contenta: nam excommunicatio cum non ſit culpa, ſed pœna eccleſiaſtica, cuius abſolutio eſt reſeruata Summo Pontifici, & Dominis Inquiſitoribus; non poteſt Cõfeſſarius Regularis vi ſuorum priuilegiorum illam abſoluere: niſi præcedat ſatisfactio partis, quæ fit per actualem denunciationem, quæ ratio non militat in delictis, & culpis commiſſis à pœnitẽtibus, quæ in edicto Dominorum Inquiſitorum continentur, & ita poſſunt Confeſſarij Sæculares vigore priuilegij Bullę Cruciatæ, & Regulares virtute ſuorum priuilegiorum ſuos pœnitentes toties, quoties à dictis criminibus, & culpis abſoluere, vt diximus dictis reſol 15. & 16. huius tractatus.

RESOLVTIO XX.

Vtrum ſi quis ſciat aliquem cõmiſiſſe delictum in edicto Dominorum Inquiſitorum contentum, ſed hoc non poſſit probare teneatur in tali caſu denunciare prædictum delictũ Dominis Inquiſitoribus.

211 NEgatiuam ſententiam ſuſtinet Faguudez in præcepta Eccleſiæ præcept. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 31. excepto caſu hęreſis formalis, quam ſententiam abſolutè de omni delicto contento in dicto edicto ante docuerat Reginaldus in praxi to. 2. lib. 24. cap. 3. ſec. 6. nu. 50. & 57. verſu aduerte 3. & verſu aduerte 5. Megala 1. par. lib. 1. ca. 5. num. 21. idem docet Ioannes

An-

Andreas in cap. nouiter extra de iudicijs Gundiſaluus tom. 11. tract. part. 2. de hęreticis quæſt. 10. num. 7. repertorium Inquiſitorum verbo denũciatio §. generale tamen Decianus to. 1. lib. 5. cap. 30. nu. 4. Palatius in repertorio cap. notab. 3. §. 26. n. 9. quos citat Diana part. 1. trac. 6. reſol. 1. Thoma à Ieſu lib. de viſitatione Regularium tract. 1. cap. 16. nu. 3. in fine. Pater Magiſter Vincentius Candidus to. 1. diſquiſitionum moralium diſquiſit. 5. art. 4. dub. 8. vbi ſic ait dico 14. quando prȩcipitur vt reuelemus, quod ſcimus, vt denunciatores non poſſumus, nec debemus reuelare, niſi quod poſſumus probare: ita Sayrus, & Nauarrus. Si tamen nobis præcipiatur, vt reuelemus tanquã teſtes, tenemur deponere; vt tales, quod ſcimus, etiamſi id probare nequeamus: dummodo nobis cõſtet delictũ apud iudicẽ eſſe ſemiplene probatũ: ſecus aliàs, ita colligitur ex D. Thoma 2.2. quæſt. 70. art. 1. hæc ille, & eadem diſquiſit. 5. art. 1. dub. 4. ait dico 6. nemo tenetur accuſare, nec dennnciare denunciatione iuridica crimẽ occultum, quod probare non poteſt; etiãſi vergeret in damnum publicum, aut tertię perſonæ imminens in futurum. Pro hac ſententia citat Amadeus Guimenius in ſuo Opuſculo aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales Patrem Magiſtrum Marcũ Serra in 2.2. D. Thomæ quæſt. 67. art. 3. dub. 2. in fine quatenus ibi aſſerit, quod diximus de accuſatione dicendum eſt etiam de denunciatione, aut quarumque alia via procedat iudex abſque præuia infamia: nam denũciatio, & idem eſt de quærela partis, debet eſſe iuſta; talis autem non eſt, ſi crimina falſa imponat, aut occulta propalet, quæ nullo modo probari poſſunt, & quæſt. 68. art. 1. dub. 2. vbi aſſerit neceſſarium eſt tamẽ, vt crimen probare poſſit; itaut Iudex lęſori præciperepoſſit, vt faciat debitam ſatisfactionem: aut rem acceptam reddat. Si enim crimen: omnino eſſet improbabile: non ſolum contra charitatem; ſed etiam contra iuſtitiam peccaret læſus, accuſando, vel denũciando læſorem: nam hoc ad nihil aliud deſeruire poſſet, quam ad infamandum lęſorem. Et in ead. quęſt. 68. ar. 1. concl. 2. vbi ſic inquit, dicendum eſt 2. Quando prædictum crimen non poteſt homo probare per teſtes idoneos, & ſufficiẽtes non tenetur ad illius accuſationẽ, quã cõcluſionẽ, probat 1. ex Diuo Thoma in dicto art. 1. dictę quæſtionis 68. vbi Angelicus Doctor ſic ait: & ideo ſi crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ tenetur homo ad accuſationem: dummodo ſufficienter poſſit probare: quod pertinet ad officium accuſatoris: puta, quod peccatũ alicuius vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem: ſi autem non fuerit tale peceatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam ſi ſufficientem probationẽ adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandum accuſationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere. Secũdo probat ex 2. quęſtione 8. canone 2. vbi ſic dicitur: ſciant multi accuſatores eam ſe rem deferre debere in publicam notionem, quę munita ſit idoneis Teſtibus, vel inſtrumentis, apertiſſimis documen-

mentis, vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita : ergo qui hoc præstare non potest, nõ tenetur ad accusandum; Ex quibus omnibus videtur Patrem Magistrũ Marcum Serra stare pro hac opinione. Verum enim vero dictus Magister Marcus Serra non loquitur de delictis, & criminibus contentis in edicto Dominorum Inquisitorum, sed de alijs delictis, vt postea videbimus: nam loquendo de criminibus contentis in dicto edicto Dominorum Inquisitorum oppositam sententiam tenet. Hanc eãdẽ sẽtẽtiã tenet Pater Stephanus Bauni Theol. moral. par. 2. disp. 4. tr. 3. qu. 18. P. Iacobus Granad. in practica 2. cõtrouersia 7. tract. 3. par. 1. disp. 11. sect. 2. n. 15.

Probatur hęc sententia: quia
211 qui non potest crimen probare peccat cõtra iustitiam exponẽs Reum manifesto periculo infamię, incertus an iudex possit illũ conuincere, aut eius confessionem tormentis torquere: sicq; illum punire: ergo non solum non tenetur, sed nec etiam potest tale crimen denunciare. Confirmatur Primo, quia sicut denunciatio falsi criminis est iniusta: ita, & denunciatio crminis occulti, quod probari non potest: nam in iure quidquid idoneis Testibus, vel instrumẽtis innotescere nequit, falsum reputatur, vt docet Magister Sotus lib. 5. de iustitia quęst. 5. art. 3. ergo qui crimen probare non potest, non tenetur: imo nec potest illud denunciare. Cõfirmatur secundo: quia denunciatio iuridica nomine accusationis compræhenditur, ergo idẽ dicendũ est de illa; ac de accusatione. antecedens videtur esse D. Thomæ 2. 2. quæst. 68. art. 1. in corpore, vbi videtur Angelicum Doctorem iuridicã denunciationem nomine accusationis compræhendere. Ibi enim ait. Respondeo, dicendum, quod sicut supradictum est, hęc est differentia inter denunciationem, & accusationem: quia in denũciatione attẽditur emẽdatio fratris; in accusatione autẽ attẽditur punitio criminis. Pœnæ autẽ pręsẽtis vitę nõ per se expetũtur, quia nõ est hic vltimũ retributionis tẽpus, sed in quantũ sunt medicinales conferentes: vel ad emendationem personæ peccantis; vel ad bonum Reipublicę: cuius quies procuratur per punitionem peccantium, quorum primum intenditur in denunciatione, vt dictum est; secundum autem propriè pertinet ad accusationem: atqui denunciatio iuridica potius tendit ad punitionem peccantis, quam ad correctionem eius; ergo denunciatio iuridica ex doctrina Diui Thomæ compræhenditur nomine accusationis. Consequẽtia verò probatur: quia quamuis denũcians nõ teneatur probare tenetur tamen Testes idoneos, & sufficientes Iudici informare, vt colligitur ex forma denunciationis, quã refert Clarus quæst. 7. practicorum criminum: ergo requritur, vt probari possit. Neque obstat praxis Sanctissimæ inquisitionis, quam aliqui adducunt: nam vt in simili casu, vt docuit Fagundez pręcepto 2. lib. 8. cap. 8. n. 18. Granadus vbi supra, supradicta praxis fundatur in probabilitate contrarię opinionis: non tamẽ tollit probabilitatem huius opinionis: ergo ille, qui scit aliquem commisisse aliquod crimen ex contentis in edicto Dominorum Inquisitorum, si illud non potest probare

bare, non tenebitur prædictum delinquentem denunciare Dominis Inquisitoribus.

212 Dicendum tamẽ est eum, qui scit aliquẽ commississe aliquod delictum ex contentis in edicto Dominorum Inquitorum debere talem delinquentem denunciare Dominis Inquisitoribus: etiamsi delictum probare non possit. ita Barbosa de potestate Episcopi par. 3. allegat. 96. n. 5 Peyrinus tom. 2. priuilegiorum regularium constit. 9. Pauli 5. §. 2. nu. 24. Suarez de fide disp. 20. sect. 4. num. 7. Santarellus de hæreticis cap. 9. Homo bonus de exam. ecclesiastico par. 1. tract. 7. cap. 2. quæst. 14. & par. 2. tr. 11. cap. 4. quęst. 4. resol. 4. Zanardus in directorio Confessorum part. 3. cap. 31. Naldus in summa verbo hæresis n. 6. Zecchius de casibus reseruatis, casu 2. versu ampliatur, Genuensis in praxi cap. 23. n. 5. Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 6. pũt. 1. n. 9. Thomas à Iesu lib. de visitatione Regularium tract. 11. cap. 16. num. 4. & 10. Portel in additionibus ad dubia regular. verbo sollicitare fœminas nu. 19 Zenedo part. 2. collect. 101. nu. 4. Scaccia de iudicijs causarum ciuilium, & criminalium lib. 1. cap. 56. n. 4. Farinacius tract. de hæresi quæst. 97. §. 2. num. 36. Barrazolus in additionibus ad Bartazolum Patrem cons. 107. nu. 12. volumine 1. Triuisanus lib. 2. decis. 51. nu. 5. Ioseph. de Sancta Maria in Tribunali Religiosorum tract. 12. cap. 3. §. 5. quos citat, & sequitur Diana p. 1. tract. 4. resol. 1. Castropalaus par. 1. tract. 4. disp. 9. punt. 10. n. 5. Doctor Cæsar Carena de officio sanctissimæ inquisitionis p. 2. tit. 6. §. 22. Pater Stephanus Salelles de materijs Tribunaliũ Sanctissimæ Inquisitionis lib. 1. cap. 21. regula 43. nu. 39. Pater Magister Marcus Serra in 2. 2. Diui Thomæ quæst. 68. art. 1. §. secunda est affirmans in fine, & & alij.

213 Antequã nostram sententiã probemus, notare oportet cum Ludouico Paramo lib. 3. de origine, &c. quæst. 8. nu. 28. et cũ Patre Stephano Salelles vbi supra regula 42. quod sæpius in iure denunciare pro accusare, et denũciatio pro accusatione accipitur, vt patet ex l. ea quidem C. de accusation. ibi: ea quidẽ, quę per officium Præsibus denunciantur: idest, quæ eis ab accusatoribus deferuntur, et ex l. qui sepulchra C. de sepulchro violato, ibi siue quicumque alius accusauerit, vel ad officium denunciauerit, vbi simul vti synonyma, seu idem significantia coniunguntur; quod etiam obseruant expositores dictorum textuum, et in Tribunali sanctę Inquisitionis promotor fiscalis, qui accusatoris partes gerit reũ denunciare dicitur, verboque denunciandi in suis libellis, et in communi modo loquendi vtitur; cum tamen reuera accuset, seu actum accusationis exerceat omnino diuersum ab actu denũciationis propriè dictæ.

214 Quare, vt innotescat, quid sit denunciatio, de qua in prẽsenti resolut. loquimur, species eius in communi: seu modos oportet prius ostendere. Quatuor igitur à iuris peritis distinguntur: scilicet, denunciatio euangelica, canonica, Regularis, et Iudicialis. Denunciatio Euangelica est illa, quæ Matthæi cap. 18. et Lucæ c. 17. proponitur; refertur que in cap. nouit de iudicijs, et in cap. si peccauerit in te frater tuus causa 2. quæst. 1. canonica est il-

la

ſa, per quam manifeſtatur crimen non ad vindictam publicã, ſed ad coarcenda delicta, ne vltra procedant, iuxta cap. Inquiſitionis, & cap. ſuper his de accuſat. & cap. licet heli de ſymo. vt explicat Ioannes Rojas ſingulari 3. n. 12. Verum cum ad hunc eumdem finem euangelica denunciatio tendat ad hanc, merito idẽ Rojas illam reducit. Denunciatio autem Regularis illa eſt, quæ in Religionibus fit ſecundum conſtitutiones, & regulas vniuſcuiuſque Religionis, nõ ſeruato ordine iudiciario apud aliquam fortè earum, vti non requiſito cap. ſi homo eſſes par. 2. decreti cauſa 27. quæſt. 1. Ibi ſi homo eſſes, aut aliquam diſcretionem habuiſſes: ita Regularis diſciplinæ, debuiſſes cuſtos exiſtere, vt ea, quæ illicitè committuntur ante vindictam corripere: quam ad nos eorum nuncius peruenireț, &c. Et cap. ad noſtrã de appellationibus. Sed hanc denunciationem non diſtinguià iudiciali: quæ fit coram Iudice, & tẽdit ad punitionem publicã, bene teſtantur Rojas vbi ſupra & Suarez tract. 1. de fide diſp. 20. ſect. 4. num. 2. Nam Superiores Religionum ſunt ordinarij Iudices ſuorum ſubditorum; ergo denunciatio contra hos facta coram eis: vel erit iudicialis, ſi fiat ad punitionem publicam, aut euangelica ſi ad correctionẽ fraternam, ſeu emendationem peccati.

215 Deinde pro exprimenda clarius natura denunciationis iudicialis (de qua nunc loquimur omiſſa euangelica) oſtendere oportet differentiam inter eam, et accuſationem, quam optimè aſſignat Suarez tract. 1. de fide diſp. 20. ſect. 4. n. 3. quem ſequitur Pater Stephanus Salelles dicta regula 42. num. 18. ſcilicet, quod accuſator in accuſatione fit pars iudicij illius, & petit ius ſuum aliquo modo, & quaſi obligat iudicem, vt ſibi iuſtitiam faciat: denunciator autem non fit pars illius iudicij, ſed tantum defert crimen ad notitiam Iudicis, vt ille ex officio procedat, prout tenetur, aut melius ſibi videbitur: Ex qua differentia aliæ duę ſequuntur: nempè quod accuſator tenetur probare delictum. Sin minus puniendus: ſecus de denunciatore, vt patet ex cap. ſuper his lib. 5. decretalium de accuſationibus tit. 1. Item quòd accuſatio ex vi iuris canonici ca. accuſatorum cauſa 2. quæſt. 8. recipienda eſt in ſcriptis: ibi accuſatorum perſona numquam recipiantur ſine ſcripto: nec abſente eo quem accuſare voluerint quibuslibet accuſare permittatur, quod etiam docet D. Thomas 2. 2. qu. 68. art. 2. in corpore, his verbis reſpondeo. Dicendum, quod ſicut ſupra dictũ eſt: quando in criminibus per modum accuſationis agitur, accuſator cõſtituitur pars. ita quod Iudex inter accuſatorem, & eũ; qui accuſatur, medius conſtituitur ad examen iuſtitiæ; in quo oportet, quantum poſſibile eſt ſecundum certitudinem procedere. Quia verò ea, quæ verbo tenus dicuntur: facilè labuntur à memoria, non poſſet Iudici eſſe certum, quid, & qualiter dictum ſit: cum debet proferre ſẽtentiam: niſi eſſet in ſcriptis redactum. Et ideò rationabiliter inſtitutum eſt, vt accuſatio: ſicut, & alia quæ in iudicio aguntur, redigatur in ſcriptis, quod nõ requiritur in denunciatione, vt conſtat ex dicto cap. ſuper his de accuſat. ibi ſuper his, de quibus nos conſulere voluiſtis in

quiſitioni veſtræ breuiter reſpõdemus, quod tribus modis, valet crimen opponi, denunciãdo, excipiendo, & accuſando. Crimẽ quãdo in modum denunciationis opponitur, non eſt inſcriptio neceſſaria: ſed cum in modũ accuſationis oportet inſcribi: quoniam ad depoſitionem inſtituitur accuſatio: ſed ad correctionem eſt denunciatio faciẽda, quod etiam docet Diuus Thomas vbi ſupra, nam eo ipſo quod denunciator nõ tenetur ad probationem delicti: ſicut tenetur accuſator ita denunciatio non eſt neceſſe, vt fiat in ſcriptis. vt affirmat Diuus Thomas dict. art. 2. ſolut. ad 3. argumentum per hæc verba, ad 3. dicẽdum, quod denunciator non obligat ſe ad probandum: vndè nec punitur, ſi probare nequerit, & propter hoc non eſt neceſſaria ſcriptura in denunciatione: ſed ſufficit, ſi aliquis verbo denunciet Eccleſiæ, quæ ex officio ſuo procedet ad fratris emendationem.

216 Quibus ita ſuppoſitis, probatur noſtra ſententia, quia vt ſupra dictum eſt, denunciatio in hoc differt ab accuſatione, quod denunciãs, nõ tenetur probare, quod denunciat, ſicut accuſator, quod accuſat: ergo ſi crimen vergit in detrimẽtum Reipublicę: etiãſi illud non poſſit homo probare, tenebitur denũciare: atqui quodcũque crimẽ contentum in edicto Dominorum Inquiſitorũ vergit in detrimẽtum Reipublicæ: ergo ille, qui ſcit aliquem commiſiſſe aliquod crimen ex contentis in edicto Dominorũ Inquiſitorum, tenebitur deliquentem denunciare Dominis Inquiſitoribus; etiam ſi crimen non poſſit probare: antecedens, & conſequentia communitur recipiuntur à Doctoribus: minor autem ſub ſumpta, in qua poteſt eſſe aliqua difficultas; probatur, nam ſi loquamur de ſollicitatione in confeſſione ſacramẽtali facta à Confeſſario ad rem veneream, quæ ſollicitatio eſt vnum ex delictis contentis in edicto Dominorum Inquiſitorũ, tale delictum vergit contra bonum publicum, & commune: ſcilicet contra Sacramentum pœnitentiæ, et ad illud accedentes, vt docent Sotus lib. 5. de iuſtitia artic. 1. in relectione de ſecreto membro 2. quæſt. 5. Alphonſus de Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione c. 25. Simãch. tit. 19. Rojas ſingulari 1. nu. 14. Martinus del Rio in diſquiſitionibus magicis lib. 5. ſect. 4. Thomas Sanchez lib. 2. in decalogũ cap. 32. et alij, ergo prædictum crimen eſt denunciandum Dominis Inquiſitoribus à fœmina ſollicitata in ſacramentali confeſsione à Confeſſario: quantũuis dictum crimen occultum ſit, et non poſsit probari, patet cõſequentia: quia aliàs nunquam tenerentur fœminæ ad venerem ſollicitatæ à Confeſsarijs in ſacramentali confeſsione prædictum crimen Dominis Inquiſitoribus denunciare: atqui hoc eſt falsũ, et contra communem praxim ſanctiſsimæ Inquiſitionis: ergo, & illud, ex quo ſequitur: Maior probatur: quia ſi crimen contẽtum in edicto Dominorum Inquiſitorum non teneretur quis denũciare: niſi poſſet illud probare; cum ſollicitatio ad venerẽ facta à Confeſſario alicui mulieri, ſit facta in ſecretiſsimo Tribunali Sacramẽti pœnitentiæ: nũquam poſt probari iuridicè à muliere ſic ſollicitata; ergo nunquã tenebitur mulier ſollicitata à Cõfeſsario in ſacramentali confeſsione dictum crimen Dominis Inqui-

qui-

quiſitoribus denunciare, quod non eſt aſſerendum, vtpotè, vt diximus contra communem Doctorum conſenſum, & contra communem praxim ſanctiſſimæ Inquiſitionis.

217 Deinde: quia ſi loquamur de crimine hæreſis, denunciatio etiã de dicto crimine hæreſis occulto expedit valde ad bonum commune Eccleſię Catholicę, & ad ſalutem ſpiritualem hæretici denunciati: ergo inſurgit obligatio denunciandi tale crimẽ ei qui ſcit aliquem eſſe hæreticum formalem: licet hoc non poſſit probare. Et idem phyloſofandũ eſt de alijs criminibus contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum: nam quodcumque eorum vergit in damnum Reipublicæ ſuo modo, vt patebit diſcurrendo per ſingula.

218 Confirmatur ex teſtimonijs Sanctorũ Patruum Leo autẽ Papa ſermone 4. de collectis propè finem, ſic ait, hortamur, vt hęreticos vbicumque latentes veſtris Præsbyteris publicetis; magna eſt enim pietas prodere latebras, & infra non ſinantur latere homines, qui Prophetis, & Sancto Spiritui contradicunt; ac paulo poſt inquit cauendi ſunt cuiquam noceant, prodendi ſũt, ne in aliqua Ciuitatis parte conſiſtant. Similiter Sanctus Ambr. lib. 2. de officijs cap. 24. inquit in cauſa temporali: licet tibi ſilere in cauſa autem Dei, vbi communionis periculum eſt: etiam diſſimulare peccatum eſt non leue. Ex quibus, & alijs, quæ pro nũc omitto manifeſtè deducitur hęreticum: quantumuis occultum eſſe deaunciandum iuridicè ab eo, qui talem ſolus cognouit, ne ſatisfacere ſuæ obligationi; aliter faciendo: etiam titulo correctionis fraternæ.

219 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, diſtinguendo antecedens, qui non poteſt probare delictũ peccat contra iuſtitiam: denunciando, ſi delictum non ſit in damnum Reipublicæ; tranſeat antecedens: ſi crimen vergit in damnum Reipublicæ: nego antecedens: nam quando delictum vergit in Reipublicæ damnum; etiamſi probari non poſſit, tenemur illud denũciare, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 68. art. 1. vbi ſic ait, ſi crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem; Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, non tenetur homo ad intentandum accuſationem. Vbi vt ſupra notauimus, Angelicus Doctor denunciationem comprehendit nomine accuſationis. Deindè: quia vnuſquiſque tenetur ſuccurrere bono communi: ſicut pars toti, vbi viderit celeribus corrumpi: atqui criminibus, quæ vergunt in detrimentum Reipublicæ, bonũ commune corrumpitur idquè ſuccurritur per denunciationẽ, qua talia crimina deferuntur ad Iudicem, qui ea indagando ex officio, & puniẽdo, ſi opus fuerit quietem Reipublicæ curat: ergo qui ſcit prædicta delicta: licèt ea non valeat probare, tenebitur illa denunciare ſub peccato mortali: cum ergo crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum, quodlibet eorum ſuo modo vergat in detrimentum Reipublicæ, vt in probatione noſtræ ſententiæ diximus: ideo qui ſcit aliquem cõmiſiſſe aliquod crimen, ex his quæ includuntur in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum: etiam ſi illud probare non valeat

tenetur iuridicè delinquentem denunciare coram Dominis Inquiſitoribus, & hoc ſub peccato mortali. Nam vt bene docet P. Magiſter Marcus Serra 2. 2. qu. 68. art. 1. dub. 2. §. ex his colligitur: quando edictis Superiorũ præcipitur, vt qui ſciunt denũcient tale, aut talia delicta, tenẽtur ea denunciare, & non ſolum ea delicta, quæ alias denunciare tenebantur: ſed etiam ea, quæ licèt non teneantur denũciare; licitè tamen denũciare poſſunt: Huius ratio eſt: quia præceptum Superioris poteſt obligare ad actiones etiam indifferentes; antequam poneretur præceptum, & hoc ſub culpa mortali: ergo multo magis poterit obligare ad actiones licitas, ex ſe antequam præceptum poneretur, qualis eſt denunciatio criminum contentorum in edicto Dominorum Inquiſitorũ, de quibus in præſenti loquimur.

220 Et ſi fortè inquiras quanto tẽpore duret obligatio talium edictorum Dominorum Inquitorũ, reſpondeo, quod ſi quis propter ignorantiam, vel impotentiam non denunciauit delicta cõtenta in dicto edicto Dominorum Inquiſitorũ intra tẽpus in dicto edicto cõtentũ, tenetur ad denũciandum poſt illud, quam citò commode poteſt. ita Nauarrus cap. 25. n. 46. Filliucius tom. 1. tract. 14. cap. 2. nu. 42. Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 11. nu. 59. & ratio eſt: quia terminus poſitus in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum non eſt poſitus ad finiendam, ſed ad differendam obligationem. Ex quo infertur eum, qui ob ignorantiam excuſatur ad non reuelandum intra præfixum terminum dicti Edicti, ſi poſtea illi conſtet de edicto, teneri ad reuelandum: quia obligatio adhuc durat.

221 Ad primam confirmationem reſpondetur, concedendo antecedens, quoad primam partem, & diſtinguendo, quoad ſecundã; ita, & ille peccat denunciando crimen, quod probare nõ poteſt, ſi crimen vergat in dãnum Reipublicæ contra bonum commune, nego antecedens, ſi crimen non vergat in damnum Reipublicæ, & boni communis, concedo antecedens: quoad illam ſecundam partem. Cum autem crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum vergãt in damnum Reipublicæ contra bonum cõmune, quodlibet ſuo modo, vt ſupra probauimus: ideo ille, qui ſcit aliquẽ commiſſe aliquod ex prædictis criminibus contentis in dicto edicto Dominorũ Inquiſitorum, tenetur ſub lętali culpa delinquentẽ denunciare Dominis Inquiſitoribus; etiamſi crimen non poſsit probare, vt ex ſupradictis conſtat. Ad ſecundam confirmationem, patet reſponſio ex differẽtia à nobis ſupra poſita inter accuſationem, & denunciationem iuridicam, & ſic non valet conſequentia, quis non tenetur aliquem accuſare de delicto, quod non poteſt probare: imo nec poteſt illum accuſare: ergo nec poteſt denunciare delictũ, quod non poteſt probare: nam conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia, nam vt ſupra diximus, accuſator per accuſationem fit pars Iudicij illius, & petit ius ſuũ aliquo modo, & quaſi obligat Iudicem, vt ſibi iuſtitiã faciat: denunciator autem non fit pars illius iudicij, ſed tantum defert crimen ad notitiam iudicis, vt ille ex officio procedat, vt tenetur, aut melius ſibi videbitur: quare nec denunciatio fit

in

in ſcriptis, nec denunciator tenetur probare delictum, quod denunciat. Vnde rectè ſequitur aliquem poſſe: imò, & teneri denunciare delictum, quod non poteſt, nec tenetur accuſare ob defectum probationis: cum accuſator teneatur probare delictum, quæ ratio non militat in denunciatore, vt ex ſupradictis manifeſtè conſtat.

RESOLVTIO XXI.

Vtrum quis excuſetur à denunciatione Confeſſarij ſollicitãtis mulierem in ſacramentali confeſsione, ſi hoc ſciat ſub ſigillo ſecreti naturalis?

222 AFfirmatiue reſpõdet Pater Stephanus Fagundez in quinque Eccleſię præcepta præcepto 2. lib. 4. cap. 3. nu. 31. Cuius fundamentum eſt: quia cum huiuſmodi ſecretum non vergat in detrimentum proximi, & obſeruatio illius aliundè ſit de iure naturali: denunciatio autem de iure tãtùm poſitiuo, & humano fortius vinculum iuris naturalis præualere debet minus forti: ergo qui ſcit ſub ſecreto naturali Confeſſarium in ſacramentali confeſsione ſollicitaſſe aliquam mulierem, non tenebitur dictum Confeſſarium Tribunali ſanctiſsimę Inquiſitioni denunciare.

223 Dicendum tamen eſt, quod ille, qui ſciuit ſub ſecreto naturali aliquem Confeſſarium ſollicitare aliquam mulierem in confeſsione ſacramẽtali; etiamſi ſub iuramento ſecretum illud ſeruãdi cognouerit, tenetur dictum Confeſſarium ſollicitantem Dominis Inquiſitoribus denũciare. Hanc ſententiam, quoad primã eius partem de ſecreto naturali, tenent contra Fagundez Caſtro palao par. 1. tract. 4. diſp. 9. pũt. 10. nu. 5. Diana par. 1. tract. 4. reſol. 24. & par. 4. tract. 5. reſol. 32. Doctor Cæſar Carena de officio ſanctiſsimæ Inquiſitionis part. 2. §. 22. tit. 6. num. 123. & quoad vtramque partem eam defendit Pater Stephanus Salelles de materijs Tribunalium Inquiſitionis lib. 1. cap. 21. à num. 48. vſque ad 50. & eſt communis ſententia inter DD.

224 Probatur 1. hæc ſententia ex Diuo Thoma 2. 2. qu. 70. art. 1. ſolutione ad 2. argumentum, in quo articulo interrogat, vtrum homo teneatur ad teſtimonium ferendum, & cum in fauotem partis negatiuæ feciſſet hoc argumentum, nullus tenetur fraudulenter agere: ſed prouerbiorũ 11. dicitur, qui ambulat fraudulenter reuelat arcana: qui autẽ fidelis eſt cœlat amici commiſsũ: ergo non tenetur homo ſemper ad teſtificandum: præſertim ſuper his, quæ ſunt ſibi in ſecreto ab amico commiſſa. Ad quod argumentum reſpondet Angelicus Doctor his verbis: Ad ſecũdum dicendum, quod de illis, quæ hominis ſunt commiſſa in ſecreto per confeſsionem, nullo modo debet teſtimonium ferre: quia huiuſmodi non ſcit, vt homo: ſed tanquam Dei miniſter, & maius eſt vinculum Sacramẽti quolibet hominis præcepto. Circa ea vero, quæ aliter homini ſub ſecreto cõmittuntur, diſtinguendum eſt. Quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim, cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur, puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel tẽporalem, vel graue damnum alicuius perſonæ: vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi, quod quis pro-

pa-

palare tenetur, vel teſtificando: vel denunciando. Et contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum: quia in hoc frangeret fidem: quam alteri debet. Quandoque vero ſunt talia quæ quis prodere non tenetur: vnde poteſt obligari ex hoc, quod ſibi ſub ſecreto cõmittũtur & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris: quia ſeruare fidem, eſt de iure naturali. Nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de iure naturali.

225 Ex quibus verbis Diui Thomæ tale conficio argumentum in fauorem primæ partis noſtræ ſententiæ, quando homo ſcit aliqua delicta, quæ pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel temporalem; etiãſi prædicta delicta ſciat ſub ſecreto naturali, tenetur ea denunciare: atqui ſollicitatio alicuius mulieris ad venerem facta à Cõfeſſario in confeſſione ſacramentali pertinet ad corruptionem ſpiritualem multitudinis; ergo ille, qui ſciuerit dictam ſollicitationem, etiamſi eam ſciat ſub ſecreto naturali, tenebitur eam propalare denunciando dictum Confeſſarium Tribunali ſanctiſſimæ Inquiſitionis: maior eſt D. Thomæ in illis verbis ſuperius relatis, ſcilicet quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur, puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem. Minor autem eſt manifeſta: nam vt notauit Freitas in additionibus ad tractatum de Cõfeſſarijs ſollicitantibus quæſt. 21 nu. 26. quidam Confeſſarius per decem annos perditè, & effrænatè ſollicitationibus, & turpibus actibus in ipſo Confeſſionis loco operam dederat, per quod tempus à nulla ſollicitata delatus eſt Tribunali Sanctiſſimæ Inquiſitioni: ergo ſollicitatio Confeſſarij in confeſſione ſacramentali pertinet ad corruptionem ſpiritualem multitudinis: ergo ſi ipſa mulier ſub ſecreto naturali alicui reuelauerit dictam ſollicitationem ad venerem, illi à Cõfeſſario factam in confeſſione ſacramentali, tenebitur ille, qui talem ſollicitationem ſcit ſub ſecreto naturali dictum Confeſſarium denunciare Tribunali ſanctiſſimæ Inquiſitionis: ſi dicta mulier illum non voluerit denunciare.

226 Secundam vero partẽ noſtræ ſententiæ, ſcilicèt, quod etiamſi ille, qui ſciuit ſub ſecreto naturali aliquem Confeſſarium ſollicitaſſe in Sacramento pœnitẽtiæ aliquam fœminam ad actus inhoneſtos, & venereos, aut aliquod crimen ex contentis in edicto ſanctiſſimæ inquiſitionis, vt hæreſis, &c. iuramẽto firmauerit ſeruare prædictum ſecretum naturale, teneatur nihilominus prædicta crimina Dominis Inquiſitoribus denunciare, non obſtante iuramento, colligo ex ſecunda parte decreti cauſa 22. quæſt. 4. cap. inter cætera: ibi: Inter cætera, vt rogaueras à Patre noſtro Ambroſio; quæſiui, quid cariſsime agendum ſit de Hulbaldo Parrochiano tuo; qui captus, & timore necis impulſus ſuæ Concubinæ iuramento firmauit ipſam in coniugem ſuſcipere, propriamque matrem cũ fratribus de domo expellere, nihilque eis alimoniæ vnquam dare, quia verò quamprius concubinam habuerat non eſt peccatum in coniugem ſuſcipere: matrimonium ſit in Deo firmũ, & ſtabile. Porrò iuramentum,

non

non ob hoc fuiſſe inſtitutum inuenitur, vt eſſet vinculum iniquitatis, vel matricidij, vel fratricidij, ſeu cuiuſcumque criminis. Nec credo Sacramentum ad hoc debere fieri, vt iniuſta iuratio ſuorum bonorum ſit iniuſtè iurantibus expoliatio, & accipienti æterna damnatio. Periurij namque; percutitur pœna, & velut homicida in extremo examine à iuſto Iudice degrandinabitur, Per quem ſacroſanctum Euangelium ad iniuſtum, & illicitum, & Deo minimè amabile quaſi teſtimonium iuſtæ, & humanæ petitionis adducitur. Foueat itaque Hubaldus matrem, & fratres, & lugeat ſi ea actione, & timore iuramenti aliquid deſuit matri. Qui verò eum iurare coegerũt, quòd non debuit reatum periurij impliciti teneãtur. Iniuria quippè iniuſte irrogata, eius eſt infamia, qui facit. Nec enim vllo modo ad opprobriũ coactæ voluntatis trahitur, quod illicita conditio neceſſitatis extorſit: Ex quo textu, & cap. tale formo argumentum ad probandum efficaciter dictam ſecundã partem noſtræ ſentẽtię. Iuramẽtum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis: atqui ſi ille, qui ſub ſecreto naturale ſciuit à Confeſſario in Sacramento pœnitentiæ aliquam mulierem ad venerem fuiſſe ſollicitatam, vel aliquod aliud crimen ex contẽtis in edicto Dominorum Inquiſitorum, vt hæreſis, &c. & iuramento firmauit dictum ſecretũ non reuelare, teneretur ſeruare iuramentum, iam in tali caſu iuramentum eſſet vinculum Iniquitatis, ſi iurans non denunciaret dictum Confeſſarium, aut hæreticum occultum, aut aliquẽ alium delinquentem in criminibus contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum: atqui hoc non eſt dicendum: ergo hunc cognoſcens non aſtringitur iuramento præſtito tacendi, ſed potius obligatione aſtringitur præ dictum delinquentem denunciandi, quantumuis crimen occultiſſimum ſit. Maior quoad primam partẽ habetur in dicto cap. inter cętera per illa verba porro iuramentum non ob hoc fuiſſe inſtitutum inuenitur, vt eſſet vinculum iniquitatis. Quoad ſecũdam verò partem probatur maior: quia tum iuramentum eſſet vinculum iniquitatis; quãdo ex ſeruatione illius ſequeretur aliqua corruptio ſpiritualis multitudinis: ſeu Reipublicæ: atqui ex eo quod aliquis ratione iuramenti facti ſeruandi ſecretum delictorum commiſſorũ ex contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum, vt ſi ſciuit Confeſſarium aliquem in Sacramento pœnitentię aliquam mulierem ſollicitaſſe ad venerem, ſi hoc non denunciet Dominis Inquiſitoribus, vt iuramentum factum ſeruet, maxima ſequeretur corruptio ſpiritualis multitudinis, ſeu Reipublicæ; ergo ſeruatio iuramenti in dicto caſu deſeruiret ad vinculum iniquitatis: ergo, vt hoc non aſſeratur, dicendum eſt, hoc ſciens teneri, non obſtante iuramento facto ſeruandi ſecretum dictum Confeſsarium denunciare Dominis Inquiſitoribus, & conſequenter etiam alia crimina ad Tribunal ſanctiſſimæ Inquiſitionis pertinentia.

227 Sed contra dicta pro ſecunda parte noſtrę ſententię obijcies, quod Ioſuè Gabaonitas contra pręceptum Domini non deluerit, quia ſeniores Iſrael iuramẽto cum eis pacem firmauerant; vt conſtat ex libro Ioſuè cap. 9. nu.

n. 15. ibifecitque: Ioſuè cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, quod non occiderentur: Principes quoque multitudinis iurauerunt eis, & nu. 16. & deinceps proſequitur ſacer textus poſt dies autem tres initi fœderis audierunt, quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent: moueruntque caſtra filij Iſrael; & venerunt in Ciuitates eorum die tertio, quarum hęc vocabula ſunt: Gabaon, & Caphira, & Beroth, et Cariatharim, et non percuſſerunt eos; eoquod iuraſſent eis Principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael. ergo etiam iuramenta illicita debent ſeruari: ergo ille, qui iurauit nõ reuelare aliquod crimẽ occultum; etiamſi pertineat ad Tribunal ſanctiſſimę Inquiſitionis; et contineatur in edicto Dominorum Iuquiſitorum; vt ſollicitatio in confeſſione ſacramentali facta à Confeſsario, crimen hęreſis, &c. tenebitur ſeruare iuramentum, & non erit obligatus dictum crimen denunciare Dominis Inquiſitoribus.

228 Ad hoc argumentum, vt reſpondeamus, ſupponere oportet id, quod dicitur in cap. innocens par. 2. decreti cauſa 22. qu. 4. ibi: innocẽs credit omni verbo. non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocẽtem eſse, ignorare, quod noceat, etſi circumſcribitur ab aliquo; de omnibus tamen benè iudicat, qui fidem eſse in omnibus arbitratur; hac igitur mentis ſuæ deuotione inclinatus Ioſuè, vt crederet Gabaonitis teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, cõfirmauit Societatem. Sed vbi in terras eorum ventum eſt; deprehenſa fraude, quod cum eſsent finitimi aduenas ſe eſse ſimulauerant circumſcriptum ſe populus patruum indignari cępit; Ioſuè tamen pacem, quam dederat, reuocandam non cenſuit: quia firmata erat Sacramẽti religione; ne dum alienam perfidiam redargueret, ſuam fidem ſolueret; multauit tamen eos vilioris obſequio miniſterij, Clementior ſententia: ſed diuturnior.

229 Quo ſuppoſito ad argumentum reſpondetur: conceſſo antecedenti: nempè, quod Ioſuè nõ deluerit Gabaonitas: (licet vt ſtatim dicemus non fecerit contra pręceptum Domini) negando conſequentiam, cuius rationem optimè aſſignat Gloſsa in dicto cap. innocens per hęc verba. Caſus, ſupra oſtenſum eſt, quod illicita iuramenta non sũt ſeruanda. nunc vero probat cõtrarium exẽplo Ioſuè, qui licèt contra Domini pręceptum fœmaret pacem Gabaonis; tamen Sacramentum ſuum non violauit; ſed ſeruauit illęſum; et hoc ideò quia ſeniores Iſrael neſcierunt iuramentum illud eſse illicitum: quia neſciebant illos, quibus iurauerant eſſe incolas terrę ſibi promiſſæ, & ad hoc inducit ſequens cap. diuinitus fuit eis inſpiratum. Primo quod deberẽt eis parcere: ſed tamen iuramentum fuit illicitum. Vel dic quod ſatis impleuerunt præceptum Domini: quia ſatis videntur fuiſſe interfecti: cum redegerint eos in ſeruitutem: nã ſeruitus morti comparatur l. ſeruitum de reg. iuris. non obſtat dolus illorum: quia iſte dolus fuit pro vita cõſeruanda; licitum eſt enim reo corrumpere aliquem pro vita conſeraanda vt 2. quæſt. 3. cap. ſi quem pœnituerit §. notandum in fine hæc Gloſſa in introductione ad dictum cap. innocens.

230 Ad fundamentum Patris Stepha-

phani Fagundez reſpondetur, negando ſuppoſitum antecedẽtis, ſupponit falſò enim, quod ſollicitatio Confeſſarij non vergat in damnum tertij: vergit enim certè, non ſolùm in damnũ tertij, vt cumque, ſed etiam cõtra bonum commune, ſcilicet contra Sacramentum pœnitentiæ, & contra accedentes ad illud; ſi quidem pertinet dicta ſollicitatio ad corruptiouem ſpiritualem multitudinis, vt ſupra diximus in probatione primæ partis noſtræ ſententiæ.

231 Limitanda eſt tamen hæc doctrina in caſu, quo aliquis Confeſſarius ſub ſigillo ſacramẽtalis confeſſionis ſciat alium Confeſſarium in ſacramentali confeſsione aliquam mulierem ad venerem ſollicitaſſe, aut aliquem hæreticum eſſe formalem, & cætera crimina ſimilia ſpectantia ad Tribunal ſanctiſsimæ Inquiſitionis: quia in tali caſu nõ tenetur dicta crimina propalare, denunciãdo delinquentibus Tribunali Sãctiſsimę Inquiſitionis. Quamuis oppoſitum aſſerant Albericus in Rubrica C. de hæreſis nu. 8. cui adhæſit Rainerius relatus ab Archidiacono in ca. Sacerdos de pœnitẽtijs diſt. 6. qui in hoc ex parte inclinat, & circa idẽ dubius extitit Antiſidorenſis lib. 4. ſummæ tract. 6. queſt. 4. cap. 3. Sed horum Doctorum ſententia falſa eſt, & erronea, vt affirmant communiter Doctores ita ſentiunt Suarez, & Rojas ſuperius citati: quia eſt contra communem conſenſum, & vſum Eccleſiæ, & contra Religionem, ac vtilitatẽ Sacramenti pœnitentiæ: ſicque communiter docent omnes, tã Iuriſperiti, quam Theologi cum Angelico Doctore Diuo Thoma in 4. diſt. 21. qu. 3. art. 1. ad 1. & 2. 2. quæſt. 70. art. 1. ad 2. his verbis, dicendum, quod de illis, quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per confeſsionem: nullo modo debẽt teſtimonium ferre: quia huiuſmodi non ſcit, vt homo; ſed tanquam Dei miniſter, & maius eſt vinculum Sacramẽti quolibet hominis præcepto. Simanchas tit. 19. nu. 19. Peña 2. part. directorij comment. 19. Farinacius de hæreſi quæſt. 197. §. 2. nu. 46. Pater Sebaſtianus Salelles de materijs Tribunalium Inquiſitionis lib. 1. cap. 21. regula 153. nu. 51. quia Confeſſarius ex vi iuris diuini ad ſecretum ſigilli ſacramentalis confeſsionis tenetur, cui nullum ius humanũ derogare poteſt, vt cum Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 23. ſect. 2. docent multi alij Doctores: ergo illicitum eſt ipſi Confeſſario ſollicitationem cognitam ſub tali ſigillo, aut peccatum hæreſis, vel apoſtaſię propalare, & denunciare: ſi pœnitens animo confitẽdi: ſeu ſe accuſandi accedat.

232 Aduerto etiam cum dicto Patre Salelles vbi ſupra n. 54. quod prædicta exceptio intelligitur etiam, quando confeſsio tantùm fuit incepta: quamuis poſtea ex aliqua legitima cauſa pœnitens non abſoluatur, aut differatur abſolutio: vel ipſa confeſsio per accidens non finiatur.

RESOLVTIO XXII.

Vtrum ſi delictum occultum hęreſis, vel apoſtaſiæ, aut ſollicitationis in ſacramentali cõfeſsione ſit iam præteritum, & emendatum, nec timeatur recidium, vel ſi ſperetur probabiliter emendatio media correctione fraterna: teneatur, qui prædicta crimina cognouit, illa denunciare Dominis Inquiſitoribus, vel poſsit nõ

denunciare: ſed fraternaliter corrigere deliquentes?

233 PRima ſentẽtia affirmat, quod ſi prædicta crimina ſint occulta, & habeatur ſpes emendæ, quod ſemper eſt premittenda fraterna correctio ante denunciationem, & ſi media illa delinquens emendetur ceſſat obligatio denunciationis: ita Sayrus in claui regia lib. 11. cap. 4. nu. 8. Petrus Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 4. dub. 11. n. 141. Sotus de tegendo ſecreto tom. 2. queſt. 1. concl. 1. & lib. 5. de iuſtitia quæſt. 5. art. 1. verſu his tamen non obſtantibus. Caſtro lib. 2. de iuſta hęreticorum punitione cap. 25. concl. 1. Nauarrus cap. 18. nu. 59. Guttierez lib. queſtionum canonicarum cap. 11. à n. 20. vſque ad 27. quos citat, & ſequitur Pater Stephanus Fagundez in pręcepta Eccleſię pręcepto 2. lib. 4. cap. 3. n. 31. vbi addit hęc verba, vt autẽ correctio fraterna iudicetur nõ pro futura, nõ ſatis eſt, ſcilicet fieri, & non prodeſſe, ſed oportet iterum, atque iterum adhiberi quamdiu iudicio prudentis ſperetur emenda: vt tradit Sancius tom. 1. de matrimonio lib. 3. ca. 15. n. 3. ita Fagundez. Quæ ſententia videtur colligi ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 33. art. 7. in corpore; vbi ſic ait, quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale, puta ſi aliquis occultè tractet, quomodo ciuitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat. Et quia ille, qui ſic occultè peccat: non ſolum in te peccat, ſed etiã in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, vt huiuſmodi nocumentum impediatur, niſi forte aliquis firmiter extimaret, quod ſtatim per ſecretã admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire. Quæ ſententia etiam colligitur ex eodem Diuo Thoma in 4. diſtinct. 19. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. ad 2. verbis poſtea citandis Pater Thomas Hurtadus tom. 1. reſolutionum moralium tract. 4. cap. 8. reſolut. 55. & 56. & reſolut. 28. §. 4. & alij.

234 Prima pars huius ſententię, ſcilicet quòd hęreticus occultus non ſit denunciandus, ſed fraternè corrigendus, ſi ſit firma ſpes, quod hęreticus eſſet emendandus; non obſtante edicto Dominorum Inquiſitorum, in quo ordinatur, & pręcipitur, quod omiſſa correctione fraterna hęreticus formalis: quantumuis occultus Sancto Tribunali Inquiſitionis denuncietur. Probatur 1. à Patre Thoma Hurtado dict. tract. 4. cap. 8. reſolut. 28. §. 4 ex Diuo Thoma loco ſuperius citato ex 2. 2. ex illis verbis: niſi fortè aliquis exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire: ergo ex mente Angelici Doctoris, ſi aliquis firmiter iudicet fore, vt per ſolam ſecretam correctionem hęreticus emendetur, & infectio errorum eius reſpectu aliorum impediatur, nõ debet ipſum denunciare, ſed potius fraternè corrigere: Quę doctrina Angelici pręceptoris fundari videtur in l. ſaltem charitatis, quę ſine dubio exigit, vt ſi abſque infamatione proximi dãnum commune, vel priuatum impediri poteſt cuiuis ab eo infamando abſtinere debet, ergo ad denunciationem hęretici occulti ſi eſt ſpes emendatio is eius per ſolam correctionem. Quo fundamento etiam utitur Rojas

ſin-

ſingulari 3. nu. 21. & Caſtropalaus tom. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 10. nu. 2.

235 Secundò probat idem Pater Thomas Hurtadus eamdem partem ratione: quia quando hæreticus eſſet emendatus, & damnũ, quod intulit reparatum, non eſt obligatio denunciandi, nec monitorium Dominorum Inquiſitorum ligat; ergo ſi certam ſpem concipiam mea correctione ſecreta iuxta euangelium facta hęreticum emendandum, & damnum reparandum, non teneor denunciare antequam vadum tentem. Tertio probat eamdem partem: quia edictum, & monitorium edicens, quod nõ præmittatur fraterna correctio: ſed quod ſtatim denuncietur. Fundatur in rationabili præſumptione, quod correctio fraterna eſt inutilis, & hæretico non profutura, atqui ſi mihi certa ſpes adſit, de profectu, & damni reparatione: iam præſumptio hic, & nunc non nititur veritati, ac per conſequens, nec lex in illa fundata obligat, ergo ſtante firma ſpe, quod hæreticus media correctione fraterna eſſet emendãdus, præmittenda eſt priuata correctio, & non eſt denunciandus dictus hæreticus occultus Tribunali ſanctiſsimæ Inquiſitionis.

236 Quoad ſecundam verò partẽ, nempe, quod Confeſſarius, qui fœminam in confeſsione ſollicitauit ad venerem, ſi probaliter habeatur ſpes emendæ, non debet denunciari, ſed ante denunciationem præmitti correctio fraterna, probat Pater Thomas Hurtado hanc ſententiam dicto tractatu 4. cap. 8. reſolut. 56. n. 691. ex Diuo Thoma in 4. diſtin. 19. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 2. vbi ſic ait ad 2. dicendum, quod in peccatis denunciandis conſiderandum eſt, vtrum peccatum ſit omninò occulum, aut ad notitiam aliorum deuenerit, aut in promptu ſit, vt deueniat. Si autem peccatum iam ad notitiam aliorũ deuenerit: tunc debet dennnciari ei, qui habet poteſtatem corrigendi, vt qui ſunt ſcandalizati de culpa, edificentur de pœna. Si autem non dum publicum deuenit, ſed eſt in via deueniendi, tunc etiam denunciandum eſt, vt ſcandalo futuro occurratur. Si autem ſit omninò occultum: tunc conſiderandum eſt; vtrum emendatio peccantis expectari probabiliter poſsit; aut non: quod quidem facile aduerti poterit, ſi conſideretur: vtrum aliquis ex electione, vel paſsione peccauit, ſiue ex malitia, vel infirmitate, quod idem eſt, quod quidem perpendi poteſt ex conditione peccantis, & ex iteratione actus; quia ſi aliquis frequenter, & quaſi improhibitè ſine freno in aliquod peccatum lapſus eſt, ſignũ eſt, quod ex malitia, vel electione peccat, & non facile emendetur. Si autem ſemel occaſione peccandi oblata in peccatum ruit, & poſtea triſtitiam, & verecundiam de peccato oſtenderit, ſignum eſt, quod ſit peccatum ex paſsione, vel ex infirmitate, & quod de facili emendetur. Si ergo emendatio ſperetur, debet admonitio præcedere, & denunciatio differri quòuſque videatur: quomodò emendatur peccator: niſi forte immineret occaſio ſimilis, in peccatum ruendi, quam tamẽ declinare non vellet admonitus tũc enim deberet Prẽlato denũciari, ne in præcipitium iret. Si autem non ſperetur emendatio: tunc conſiderandum eſt; an illud peccatum ſit infectiuum aliorũ:

ſicut eſt hæreſis, vel fornicatio, vel aliquid huiuſmodi, aut etiam cedat in aliquod damnum alterius, ſicut furtũ, vel homicidiũ, & huiuſmodi. Si enim non cedat in damnum alterius, nec ſit infectiuum peccatum, tunc poteſt denunciatio differri, quouſque videatur admonitionis effectus: præcipuè ſi emendationem promittit. Si autem eſt infectiuũ aliorum debet denunciari Prælato, vt gregi ſuo caueat. Sicut enim dicit Hieronymus. Quæ miſericordia eſt parcere vni, & multos in diſcrimen adducere? polluitur populus ex vno peccatore: ſicut ex vna oue morbida vniuerſus grex. Semper enim bonũ multorum debet præferri bono vnius. Vnde etiam fama vnius negligi debet, vt innocẽtia, vel fama multitudinis conſeruetur. Si autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ iſtius, & illi damno, quod præponderat obuiandum magis: ergo ex mẽte Diui Thomæ in hac reſponſione præcipuè ex illis verbis: Si autem delictũ ſit omninò occultum, tunc conſiderandum eſt, vtrum emẽdatio peccantis ſpectari probabiliter poſſit, &c. colligitur, quod ſi emendatio probabiliter ſpereturin Cõfeſſario, qui in actu ſacramentalis confeſſionis mulierem ad venerẽ ſollicitauit, debet corrigi, & differri denunciatio, donec videatur effectus fraternæ correctionis.

237 Secundò eamdem partem probat Pater Thomas Hurtado vbi ſupra reſolut. 55. n. 673. & 674. rationibus deſumptis ex P. F. Ioanne à Trinitate in expoſitione bullæ Gregorij 15. ſect. 7. dub. 5. quarum prima eſt, quia extat præceptum diuinum de fraterna correctione præmittẽda ante denunciationem, quãdo adeſt probabilis certitudo, ſeu ſpes, quod frater correctus emẽdabitur, ergo quando adeſt probabilis certitudo, ſeu ſpes, quod Confeſſarius ſollicitans fraternè correptus emendabitur, tenemur ſub præcepto diuino præmittere correctionem fraternã. Secunda eſt, quia delictum ſollicitationis ſolùm nocet Confeſſario ſollicitanti, & pœnitenti ſollicitato; ſed nocumẽtum hoc ſi conſideretur, vt præteritum, non poteſt impediri per denunciationem, ſicut neq; impediri poteſt, quod iam factum eſt: & ſi cõſideretur, vt futurũ per relapſũ; & reſidium poteſt impediri per correctionem: ergo non apparet vrgens ratio, ob quam neceſſariò ſit procedẽdum ad denunciationem omiſſa correctione fraterna; nam taliter occurrẽdũ eſt nocumento reſultanti ex delicto, quod fama delinquentis conſeruetur illæſa. Tertia eſt: quia Cõfeſſarius ſollicitans pœnitentem ad peccatum à luxuria diuerſum, v. g. ad homicidium, furtum, &c. et ſibi, et pœnitenti nocet; imò et nocet communitati eo modo, quo nocet quãdo ſollicitat ad peccatum inhoneſtum, nam abutitur Sacramẽto, et illi iniuriam facit: atque graviori mole peccati onerat pœnitentem, quem ſollicitat; ſed in hoc caſu non eſt denunciandus Confeſſarius prætermiſſa correctione fraterna: quando huiuſmodi correctio ſperatur pro futura, & delictum ſollicitationis eſt occultum, vt omnes concedunt; ergo ſimiliter nec eſt denunciandus prætermiſſa correctione fraterna, quando ſollicitauit ad peccatum inhoneſtum; non enim apparet, quãtum.

tum ad hoc maior ratio in vna ſollicitatione, quam in alia.

238 Secũda ſententia docet, quod in caſu hæreſis hæreticus quamtumuis occultus eſt denunciandus Dominis Inquiſitoribus nulla pręmiſſa correctione fraterna: Confeſsarius autem ſollicitans in ſacramentali confeſſione ad inhoneſta nõ eſt denunciandus, ſed præmittẽda eſt fraterna correctio, et differenda denuuciatio; ita Villalobos tom. 2. ſummæ tract. 4. difficult. 11. num. 3. Portel in dub. regul. verbo correctio fratrum, nu. 1. Caſtropalaus tom. 1. trac. 6. diſp. 3. punt. 13. nu. 5. et 6. Lezana in qq. reg. cap. 10. nu. 34. & alij. quæ ſentẽtia probatur quoad vtramque partem à Portel: quia præceptũ denunciandi poſitum à Prælato eſt poſitiuum humanum tãtùm; at pręceptum correctionis fraternæ eſt naturale; qnatenus à natura inſitum eſt, vt vnum mẽbrum iuuet alterum, & illi ſuccurrat per influxum, &c. & prętera idem pręceptum correctionis eſt præceptum diuinum poſitiuum, & proindè pręceptum correctionis fraternæ: ſi poſſit, pręualet pręcepto poſitiuo Prętati iubentis denunciare; dum ſit ſpes aliqua ſaltèm moralis emẽdę: atqui in hęretico formali nõ inuenitur talis ſpes emendę, ſicut inueniri poteſt in Cõfeſſario ſollicitante ad venerea in actu ſacramentalis confeſſionis; ergo hęreticus eſt denunciãdus, nulla pręmiſſa correctione fraterna, & Confeſſarius ſollicitans ad inhoneſta in confeſſione ſacramentali eſt corrigendus fraterna correctione dilatando denunciationem: donec effectus fraternę correctionis videatur.

239 Tertia, & probabilior ſententia abſolutè affirmat, non ſolum hęreticum formalem eſſe denunciandum nulla pręmiſſa correctione fraterna: ſed etiam Confeſſarium ad venerea ſollicitantem in ſacramentali confeſsione ante immediatè, vel poſt aut ſimulata confeſsione. ita Diana part. 1. tract. 6. reſolut. 2. & par. 4. trac. 8. reſolut. 24. & part. 7. tract. 3. reſolut. 63. Ioannes Sancius in ſelectis diſp. 11. nu. 56. Bonacina in tract. variarum diſp. 6. pun. 3. num. 9. Syluius 2. 2. quæſt. 33. Trimarch. de Confeſſoribus abutentibus diſp. 11. ſect. 2. n. 15. Trullench. in decalogum lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 22. Turrianus 2. 2. tom. 1. diſp. 58. dub. 3. Pater Leander à Sanctiſsimo Sacramento par. 1. tract. 5. diſp. 13. quęſt. 6. Doctor Cęſar Carena de officio ſanctiſsimę Inquiſitionis part. 2. tit. 6. §. 22. num. 125. & 126. & tit. 9. §. 4. nu. 15. & 16. P. Sebaſtianus Salelles de materijs Tribunalium ſanctę Inquiſitionis lib. 1. cap. 21. regula 153. à n. 59. Peña par. 2. commento 18. per totã qui quamuis dicat prętermittendam correctionem fraternam cum eo, qui protulit blaſphemiam, vel verba hęreticalia: ſi mihi non cõſtet hunc eſſe hęreticorum; attamen ſubiungit. Id intelligendum eſſe ſecluſis edictis Inquiſitorum, vigore quorum coguntur pręcisè fideles ad denunciandum. Santarellus de hęreſi cap. 9. nu. 8. et prędecentibus. Molfeſius in ſumma tract. 1. cap. 17. nu. 14. & alij.

240 Probatur prima pars noſtrę ſententię: quia cum delictum hęreſis vel apoſtaſię magis conſiſtat in actibus internis erroris intellectus, & pertinacię voluntatis quàm in dictis, aut factis externis nunquam per remediũ monitionis priuatę de emendatione eius ſpes firma cõcipi po-

te-

terit: nec cognoſci certò, an hęreticus verè ſit emendatus tali medio, aut emendandus tali medio, ſed potius quod fingat, & decipiat, vt alios ſecretò poſtea inficiat erit timendum valde: ergo debet omiſſa correctione fraterna denunciari à ſciente tale crimen: licèt emendatus appareat.

241 Nec valet ſi dicas hanc rationem non conuincere: nam DD. contrarię ſententię loquuntur caſu, quo detur ſpes firma emẽdę in hęretico formali occulto media correctione fraterna: ergo licet quando non appareat ſpes firma, quod hęreticus vere ſit emendatus: aut emendus media correctione fraterna: ſed potius, quod fingat, & decipiat, vt poſtea alios ſecretò inficiat, non obliget prȩceptum naturale, & diuinum correctionis fraternę reſpectu hęretici in tali caſu, et conſequenter ſit denunciandus ſtatim correctione fraterna prętermiſſa: tamẽ ſi adſit firma ſpes emendę per correctionem non erit denunciãdus hęreticus occultus, ſed corrigendus correctione fraterna, omiſſa pro tunc denunciatione iuridica. Hoc inquam non valet, quia etiam dato, & non conceſſo, quod aliquando cognoſcatur certiſſimè hæreticus occultus iam prorſus abſque monitione priuata, ſeu fraterna correctione emẽdatus, vel emendandus per eam, adhuc tamen denunciari debet, vt docent Suarez de fide diſp. 20. ſec. 3. nu. 12. et Emanuel Moura opuſculo primo de incantatione ſect. 2. cap. 16. nu. 13. vbi ſic ait, quamuis mihi priuato moraliter cõſtet hæreticum occultum eſſe emendatũ, vrgeatque alioquin præceptum diuinum de non infamando proximum abſque neceſſitate; etiam coram Eccleſiæ miniſtris, teneor eum deferre ad ſacrum Tribunal, & iuxta omnes in dubio de eius emendatione, quia decernere an ſit, vel nõ ſit emendatus, Iudicium exigit altius; quam priuati hæc Moura, cui adheret quoad primum Diana cum alijs part. 4. tract. 3. reſolut. 61. vbi ſic ait: non ſolum in tali caſu (ſcilicet quando aliquis dubius eſt de emendatione alicuius rei in edicto Dominorũ Inquiſitorum poſitæ, & præſertim hæretici:) ſed etiam ſi moraliter conſtet eſſe emendatum puto denunciandum eſſe, & præter DD. quos alibi citaui, nouiſſimè tenet hanc opinionem Emanuel Moura, &c. Ratio dictæ obligationis denunciandi hæreticum iam emẽdatum fundatur, tum in præcepto edicti ſanctæ Inquiſitionis, ſe extendente ad hæreticum, etiam præteritum, tum etiam in timore recidij, niſi Iudici deferatur ad punitionem.

242 Secundo probatur eadem prima pars noſtræ ſententiæ, quia hæretici occulti denunciatio, non ſolum fit ob emendationẽ fratris, ſed etiam, & magis principaliter ad ingens detrimentũ ſpirituale auertendum, quod ex crimina hæreſis vniuerſæ Chriſtianitati prouenit: atqui ad dictũ finem conſequendum non eſt ſufficiens priuata correctio: ergo hæc debet omitti, & hæreticus quantumuis occultus, & emendatus appareat, aut emendandus iudicetur media correctione fraterna iudicialiter denũciari: quamuis indè infamatio proximi ſequatur, probatur cõſequentia, quia ex lege charitatis, & iuſtitiæ damnum communitatis præferendum eſt damno cuiuſuis priuatæ perſonæ, vt docet Diuus Thomas loco ſuperius ci-

citato ex 4. ſententiarum diſt. 19. quæſt. 1. art. 5. quęſtiunc. 1. ad 2. per hæc verba. Si autem eſt infectiuum aliorum debet denũciari Prælato, vt gregi ſuo caueat. Sicut enim dicit Hieronymus quæ miſericordia eſt parcere vni, & multos in diſcrimen adducere? polluitur populus ex vno peccatore: ſicut ex vna oue morbida vniuerſus grex. Semper enim bonum multorum debet præferri bono vnius. Et 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2.

His verbis circa ea vero, quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt. Quandòque enim ſunt alia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur, puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel temporalem, vel graue damnum alicuius perſonæ: vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi, quod quis propalare tenetur vel teſtificando, vel denunciando.

243 Secunda pars noſtræ ſentẽtię, quod Confeſſarius ſollicitans ad venerem in ſacramentali confeſſione debeat denũciare à muliere ſollicitata nulla præmiſſa correctione fraterna: ſtando in vi edicti Dominorum Inquiſitorum: probatur, quia ſi fœmina ſollicitata conſentiat in actu externo ſollicitationis adhuc tenetur dicta mulier denunciare Cõfeſſarium illam ſollicitantem, vt docet cũ alijs Pater Thomas Hurtado tom. 1. reſolutionum moralium tract. 4. cap. 5. reſol. 7. nu. 68. §. ſed quamuis hęc sẽtentia, & cap. 8. reſolut. 25. ergo multo magis voluit Summus Pontifex obligare mulierem ſollicitatam ad venerem in actu ſacramentalis cõfeſſionis ad denunciandum Confeſſarium ſollicitantem; nulla pręmiſſa correctione fraterna; probatur cõſequentia: quia in denunciatione agenda à fœmina ſollicitata contra Confeſſarium ſollicitantem (vt bene notat Ioannes Sãchez in ſelectis diſp. 11. nu. 17.) duplex inuenitur præceptum, vnum naturale, quo quilibet conſtringitur damna Reipublicæ impedire, & ob id delinquẽtes denunciare, ſi à nocumento inferendo non deſtiterint, & aliud poſitiuum ab Inquiſitoribus latum quo præcipitur denũciatio ſub excommunicationis pœna. Vnde quamuis hoc poſitiuum non adeſſet ex naturali mandato, oriretur obligatio denunciandi quamuis ob violationem non incurreretur in cenſuram, quæ ſolum à poſitiuo præcepto naſcitur: ergo ſtante publicatione edicti Dominorũ Inquiſitorũ, in quo pręcipitur, vt ſi quis ſciat aliquam perſonã incurriſſe in aliquod delictum ex contentis in dicto edicto, teneatur ſtatim Dominis Inquiſitoribus denunciare, abſque eo quod dictam ſcientiam, quam habet de delinquente, aut delinquentibus cum alia perſona cõmunicet, vt conſtat ex verbis ipſius edicti, quę hęc ſunt. Si ſupieredes que alguna perſona aya dicho, ò tenido alguna coſa de las arriba dichas, aſſi de viuos preſentes, ò auſentes, como de difuntos, ſin communicarlo con perſona alguna (porque aſſi cõuiene) vengais à manifeſtarlo dentro de ſeys dias. ergo cum pręcipiatur in dicto edicto, vt nulla habita conſultatione denunciandum fore, nec forte denunciandus fugiat, à fortiori præcipitur nullam pręmittendã eſſe monitionem reſpectu perſonæ denunciandę. Nec propter

hoc

hoc Tribunal Sanctę Inquiſitionis tollit, aut diſpenſatiue iure naturali correctionis fraternę: ſed explicat correctionem fraternam, in tali caſu non obligare: quia vt in plurimum, crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum vergunt in damnum Reipublicę, vel ſpirituale, vel temporale contra bonum commune, vel ad minus timetur pro futuro prędictum damnum ſecuturum. In quo caſu correctio fraterna nõ obligat, vel fortaſſe attendens Sanctum Tribunal Dominorum Inquiſitorum, quod correctio vnius perſonę priuatę non ſufficiet ad hoc, vt delinquentium in criminibus contentis in dicto edicto ſpes habeatur emendationis, ſibi reſeruat eos corrigere, qua correctione, vtpotè maioris efficacię delinquẽtes emendabuntur à dictis criminibus cõmiſsis pro futuro non committendis, & habebitur medio efficaciori finis intentus à iure naturali, & diuino correctionis fraternę, qui finis non obtinebitur media correctione fraterna perſonę priuatę.

244 Ad primam probationem P. Thomę Hurtado pro prima parte oppoſitę ſententię reſpondetur, Angelicum Pręceptorem loqui ſtãdo in iure naturali correctionis fraternę, ſecluſo edicto Dominorum Inquiſitorum, in quo pręcipitur, vt hęreticus denuncietur Sanctiſſimo Inquiſitionis Tribunali nulla pręmiſſa correctione fraterna propter rationes ſuperius à nobis aſſignatas in probatione ſecundę partis noſtrę ſententię. Et nota quod Diuus Thomas dicit, niſi fortè aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretã admonitionem poſſet huiſmodi mala impedire, quę firma exiſtimatio in hęretico nec eſſe, nec concipi poteſt: imo potius fundamẽtum habemus ad exiſtimandum firmiter hęreticum per correctionem fraternam non eſſe emẽdandum, ſed potius, quod fingat & decipiat, vt alios ſecretò poſtea inficiat. In quo caſu non eſt pręmittenda correctio fraterna, ſed ſtatim procedendum eſt ad denunciationem, vt docet ipſe Diuus Thomas in 4. diſt. 19. qu. 1. art. 3. quęſtiunc. 1. ad 2. his verbis. Si autem non ſperetur emendatio, tunc conſiderandum eſt, an illud peccatum ſit infectiuum aliorum, ſicut eſt hęreſis, vel fornicatio, vel aliquid huiuſmodi, aut etiã cedat in aliquod damnum alterius: ſicut furtum, vel homicidium, & huiuſmodi: Si enim non cedat in damnum alterius, nec ſit infectiuum peccatum, tunc poteſt denunciatio differri: quòuſque videatur admonitionis effectus: pręcipuè ſi emendationem promittit. Si autem eſt infectiuum aliorum, debet denunciari Prælato: ergo cũ Diuus Thomas aſſerat, quod hæreſis eſt peccatum infectiuum aliorũ debet ſtatim denunciari Prælato, non præmiſſa correctione fraterna, conſequens eſt, quod hæreticus eſt ſtatim denũciãdus Dominis Inquiſitoribus: vtpotè de quo nulla ſpes emendæ habetur: & quia cum peccatum ſuum vergat in damnũ ſpirituale vniuerſitatis, ſeu Reipublicæ, ceſſat obligatio fraternæ correctionis, cum bonum commune pręualere debeat bono particulari, ſeu priuatæ perſonę: lex autem ſaltem charitatis in argumẽto allegata loquitur ſpectata lege naturali correctionis fraternæ, & in criminibus, quę non vergunt in damnum commu-

munitatis contra bonum commune; non autem loquitur in caſu, quo à ſuperiore per ſuum edictum legitimè promulgatum præcipiatur denũciatio aliquorum delictorum, quæ pertinent ad corruptionem ſpiritualem multitudinis, vt eſt caſus hæreſis formalis, vt ſupra probatum eſt.

245 Ad ſecundam probationem eiuſdem partis reſpondetur: negando antecedens; nam vt bene docent Suarez de fide diſp. 20. ſect. 4. nu. 13. & Ioannes Sanctius in ſelectis diſp. 11. num. 51. & 56. licèt ſtando in iure naturę hæreticus emẽdatus non ſit denunciandus; tamen ſtando in præcepto Eccleſiaſtico poſitiuo Dominorum Inquiſitorũ adeſt obligatio denunciandi hęreticũ, vt intelligant hæretici non eſſe occultandos, etiãſi emendentur, & quia fortè infecerunt alios, & vnius emendatione nõ ſatis prouidebitur, & quia fictè ſe emendatum oſtendet hęreticus, vt docent Simanchas de inſtitutione tit. 19. nu. 12.

246 Ad primam probationem ſecundæ partis primæ ſententiæ deſumptam ex authoritate Diui Thomæ reſpondetur, quod D. Thomas ibi loquitur ſiſtendo in iure naturali correctionis fraternæ, & quando delictum non eſt infectiuum aliorum; non autem ſiſtendo in edicto Dominorum Inquiſitorũ, in quo pręcipitur, vt Confeſſarius ſollicitans mulierem ad actum venereum in ſacramentali confeſſione ſit denũciandus Sanctiſſimo Tribunali Inqniſitionis nulla præmiſſa correctione fraterna, vt ſupra diximus in probatione ſecundę partis noſtræ ſententię; Quod conſtat ex his, quę docet Diuus Thomas in corpore dictæ quęſtiunculæ primæ: vbi ſic ait. Reſpondeo dicendum ad primam quęſtionem, quod ſecundum Philoſophum in 5. ethicorum minus malum ex hoc quod, præeligitur reſpectu magis mali accipit rationem magis boni: & ideò medicus corporalis hominem ſi poteſt ob infirmitate totaliter liberat: ſi autem non poteſt, eligit minus malum, vt occurrat magis malo: ſicut amputare vnũ membrum, ne totum corpus inficiatur, & hunc ordinem Dominus ſeruare præcepit, cum peccatoribus corripiendo ſpiritualiter medicamur. Peccator autem ex peccato duo mala incurrit, innocentiæ damnum, & famæ diſpendium, & ideò prius tentandum eſt, vt taliter innocentiæ reſtituatur, quod fama etiam conſeruetur. Sin autem ſic debet negligi fama, vt conſcientia reparetur: famæ etiam diſpendio ſubueniri ſi aliter non poteſt, debet quantum poteſt, vt ſcilicet primo paucis, & poſtea multis crimen prodatur, & ideò Dominus hũc ordinem corripiendi ſtatuit, vt primo frater corripiatur ſecretò, vt ſic, & innocentiam recuperet, & famam non perdat: quod ſi hæc medicina nõ fuerit efficax debet paucis oſtendi, vt non totaliter fama perdatur, & deinde ſi non corripitur, debet omnino fama negligi, & in publicum prodi, quod ſi etiam publica correptio vel admonitio non profuerit, debet omnino abſcindi iudicio Eccleſiæ, vt ſit ſicut Ethnicus, & Publicanus. Et ideo dicẽdum, quod ſicut correptio fraterna cadit in præcepto, ita, & correptionis ordo.

247 Ad primam rationem, quam ex Patre Ioanne à Trinitate allegat Pater Thomas Hurtado pro eadẽ ſecunda parte ſuæ ſentẽſtiæ

reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens, ſi habeatur ſpes emendę, debemus fraternè corrigere Confeſſarium ſollicitantem ad ad actus venereos, ſiſtendo in 249
prȩcepto naturali, & diuino, concedo conſequentiam, ſiſtendo, vt debemus ſiſtere in edicto Dominorum Inquiſitorum, nego conſequentiam: quia tamen edictum Inquiſitorũ publicatur de hęretico, ſiue ſollicitante Confeſſario, deferendo nulla prȩmiſſa monitione, ſeu correptione fraterna quantumuis firmiter credatur emendationem conſecuturus, parendum erit prȩcepto, vt bene docet Ioannes Sancius vbi ſupra num. 56. ex Arcualo de correctione fraterna fol. 188. vt bonum publicum magis ſit procurandũ, quã particulare, & iudicium de ſpe emendationis hęretici, aut Cõfeſſarij ſollicitantis nolint Domini Inquiſitores committere denunciaturis, ſed ſemetipſis, qui tanquam literati, & in illis rebus experti rem ſanius mediabũtur.

248 Ad ſecundam rationem reſpondetur, negando antecedẽs; quoad primam partem: nam delictum ſollicitationis ad venerem in actu ſacramentalis confeſsionis, non ſolum eſt nociuũ Cõfeſſario ſollicitanti, & pœnitenti ſollicitato: ſed etiam nocet Reipublicę, & bono cõmuni, quatenus dictus Cõfeſſarius ſollicitans, niſi ſtatim corrigatur efficaci correctione, eſt in manifeſto periculo alios pœnitentes ſollicitandi, ad quod damnum vitandum, determinant Domini Inquiſitores in ſuo edicto ſub excommunicationis maioris pœna ipſo facto incurrendę, vt pœnitentes ſollicitati ad venerem in ſacramentali confeſſione ſtatim nulla correctione fraterna prȩmiſſa teneantur Dominis Inquiſitoribus Confeſſarium ita ſollicitãtem denunciare ob rationibus à nobis ſupra allegatis.

Ad 3. rationem nõ deſunt DD. qui reſpondeãt, negando minorem: quia iudicant, quoſcunque abutentes Sacramento pœnitẽtię circa alia crimina extra rem veneream ſubeſſe iuriſdictioni Dominorum Inquiſitorum, qui poſſunt cognoſcere de abuſu Sacramenti pœnitentię, non ſolũ circa libidinem, ſed circa furtũ etiam homicidium, infamiam, & huiuſmodi, ſollicitando ad iſta pœnitentem in actu confeſſionis. Ita defendunt Peña part. 2. directorij comment. 81. Lelius Zecchius in sũma tõ. 1. tract. de fide ca. 11. n. 5. Emanuel Moura opuſculo 1. de incantis, & incãtationibus ſect. 3. cap. 3. nu. 17. Caſtropalao par. 1. tract. 4. diſp. 9. punt. 5. n. 4. Ex eo quod cõpetat hoc Dominis Inquiſitoribus ex generali facultate, quam habent à iure diuino, & communi procedendi contra quoſcumque hęreticos, aut ſuſpectos de hæreſi, qualis haud dubiè eſt: quia abutitur Sacramento confeſsionis, ſollicitando ad quoduis delictum. Quorum ratio eſt: quia ſi quis v. g. abuteretur veſtibus ſacris, aut Religioſis, applicãdo eas ad vſus lauales prophanos, & iocoſos inſurgeret ſine dubio præſumptio contra eum de mala credulitate, & poſſent Domini Inquiſitores ipſum punire, ergo multo magis inſurget talis prȩſumptio contra abutentem re: multo magis ſacra: nempè pœnitentię Sacramento ad furtum homicidium, & ſimile. Imo in hoc abuſu appareret maior ſuſpitio erroris: quam in illo dicti Sacramenti ad rem ve-

veneream; cum abutens ipſo ad hanc plus, ex paſſione libidinis, quam ex mala credulitate videa tur induci.

250 Sed licet hæc ſolutio valdè probabilis ſit, ſtando tantùm in iure diuino, & communi: nihilominus apud vllum Doctorem, quem legi, nec aliunde mihi cõſtat, quod alicubi fuerit dicta doctrina ad praxim reducta, vt Inquiſitores cognouerint de abuſu Sacramẽti cõfeſſionis circa alia vitia extra venerem. Quare non pauci ex Doctoribus claſsicis, vt Bonacina in tract. variarũ diſp. 6. punt. 3. Santarellus trac. de hęreſi cap. 46. nu. 6. Freytas in nouiſſima editione de Confeſſore ſollicitante cap. 17. n. 21. & quæſt. 8. nu. 18. Souſa de Cõfeſſorum ſollicitatione tract. 1. cap. 13. à nu. 4. & Diana part. 1. tract. 4. reſol. 20. & par. 4. trac. 5. reſolut. 17. cum alijs, quos ipſe citat abſolutè tenent hoc, vt certum, ſed interpretandi ſunt attentis decretis, et bullis Summorum Pontificum.

251 Quare ad illam 3. rationem reſpondeo, conceſſa maiori, et minori, negando conſequentiã, et ratio diſparitatis eſt, quia licet Inquiſitores poſſint cognoſcere iure cõmuni, & diuino de abuſu Sacramenti pœnitentię in quibuſcumque vitijs, vt conſtat ex clauſula quadam bullæ Pij Quarti incipit, cum ſicut ibi nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica rectè ſenſerint Sacramentis in Eccleſia inſtitutis abutantur, vt illis iniuriam faciant. Ex quo loquẽdi modo generali, et indefinito ã cõtrario ſenſu deducitur, quod malè ſentiant de fide, qui abutũtur quouis Sacramento, quamquam Papa in ea bulla poſtea ſolum de abuſu Sacramenti pœnitentiæ in re venerea diſponit, tamẽ cum omnes bullę Summorum Pontificum præciſè, et ſolũ loquantur de Confeſſario ſollicitante ad rem veneream in cõfeſsione ſacramentali, et edictũ Dominorum Inquiſitorum conformando ſe prędictis decretis, et bullis Summorum Pontifi cũ prędicipiat, vt perſonę ſollicitatę ad actus venereos in ſacramentali confeſſione teneãtur Cõfeſſorem, ita ſollicitantem Dominis Inquiſitoribus denunciare ſtatim nulla correctione fraterna præmiſſa, et hoc ſub excommunicationis maioris pœna ipſo facto incurrendę, vt ex ipſo edicto cõſtat ideò licet non teneantur denũciare Confeſſorem ſollicitantem in ſacramentali confeſsione ad aliud peccatum à luxuria diuerſum tenentur tamen denũciare Confeſſarium ad venerem in actu ſacramẽtalis confeſsionis ſollicitantem propter rationes ſupra à nobis allegatas in probatione ſecundæ partis noſtræ ſententię.

Ad fundamentum ſecundę sẽ-
252 tentię ſatis patet ex dictis: nam licèt prędeptũ correctionis fraternę ſit naturale, & diuinum, & præceptum Dominorum Inquiſitorum ſit tantum eccleſiaſticũ: nihilominus Confeſſarius ſollicitans ad venerea in ſacramentali confeſſione eſt ſtatim denũciãdus à perſona ſollicitata nulla fraterna correctione prędmiſſa: quia licet cęteris paribus prędceptum naturale, & diuinum debeat prędualere prędcepto poſitiuo eccleſiaſtico; tamen in caſu ſollicitationis in ſacramentali confeſsione ad actus venereos, vel prędictum prędceptum de correctione fraterna non obli-

gat, cum dictum delictum ſollicitationis vergat in damnum communitatis contra bonum commune, & rarò habeatur ſpes emendæ in Confeſſario ſic ſollicitante, vel quia Domini Inquiſitores volunt ſibi reſeruare dictum Confeſſarium ſollicitantem in actu ſacramentalis confeſſionis ad venerera corrigere, vt ſupra tam in probatione ſecundæ partis noſtræ ſententiæ; quam in ſolutione argumẽtorum pro ſecunda parte primæ ſententiæ diximus.

253 Ex dictis colligitur, quod ſi Confeſſarius, qui in confeſsione aliquam mulierem ad venerem ſollicitauit: ſit iam emendatus, de qua emendatione certò perſonæ ſollicitatæ cõſtet in probabili opinione, non tenetur perſona ſollicitata Cõfeſſarium denunciare, vt docent Sotus lib. 3. quæſt. 5. art. 5. Molfeſius in ſumma tom. 1. tract. 7. cap. 24. n. 21. Genuenſis in praxi cap. 18. nu. 6. Nald. verb. accuſare num. 1. Victorellus in notis ad manuale Nauarri cap. 25. nu. 3. Finellus, Zanardus à Cugna, Freytas, Megala, Portel. & Peyrinus, quos citat Diana 1. par. tract. 4. reſol. 3. Souſa, Lezana, & Caſtropalaus, quos ipſe Diana addit part. 4. tract. 5. reſol. 23. & alij, quos citat Leander à Sanctiſsimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 13. quæſt. 7. *licet in probabiliori opinione*, cui aſſentior teneatur perſona ſcllicitata Confeſſarium ſollicitantem denunciare, etiam ſi iam ſit emendatus: ita Diana locis ſuperius citatis, Bonacina tract. variarum diſp. 6. punt. 3. nu. 9. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 19. quæſt. 5. Suarez tract. de fide diſp. 40. ſect. 4. nu. 13. Salon. in 2. 2. quæſt. 68. art. 1. Rojas ſingulari 3. num. 33. Paramus de origine Inquiſitionis lib. 3. qu. 8. nu. 90. Gaſpar Hurtadus de iuſtitia. & iure tract. de iudicio forenſi diſp. 4. difficult. 7. Doctor Cæſar Carena de officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis par. 2. de Confeſſarijs ſollicitãtibus tit. 6. §. 22. n. 128. Cuius ratio eſt; quia denũciatio, quam edicta Inquiſitorũ præcipiunt, non fit ad emendationem fratris, ſed ad punitionẽ, & emendationem aliorum, ſeu ad aliorum exemplum: nam vt ſupra diximus duplex eſt denũciatio; alia euangelica, & alia iudicialis, ante Euangelicam, quæ fit ad emendationem fratris, præmittenda eſt correctio: nõ autẽ ante iudicialem, quę tendit ad punitionem, & exemplum aliorum, vt eſt denunciatio preçepta in edictis Dominorum Inqniſitorum; quarè licèt Confeſsarius ſollicitans ſit emẽdatus, nihilominus perſona ſollicitata ab ipſo in ſacramentali confeſsione ad actus venereòs, tenetur illum Dominis Inquiſitoribus denunciare.

RESOLVTIO XXIII.

Vtrum denunciandus ſit Confeſsarius ſollicitans ad venerẽ in ſacramẽtali confeſsione, ſi de delicto ſollicitationis non ſit infamatus.

254 NEgatiuam ſentẽtiam ſuſtinent Reginaldus lib. 24. ca. 3. ſect. 6. n. 50. & 57. Megala par. 1. lib. 1. c. 5. n. 21. Ioannes Andreas in cap. nouiter extra de iudicijs. Gundiſaluus in tom. 11. tractatuum part. 2. tract. de hæreſi quæſt. 10. num. 7. repertorium Inquiſitorum verbo denunciatio §. generale tamen Decianus tract. criminum tom. 1. lib. 5. cap. 30. num. 4. qui citat ſpe-

ſpeculatorem, & Gloſsam, Palatius in repetitione cap. notab. 3. §. 26. num. 9. Pater Stephanus Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcep. 2. lib. 4. c. 3. n. 31. Zanardus in directorio Confeſsorũ de accuſatore cap. 52. quẽ citat pro hac opinione Amadeus Guimenius in opuſculo aduerſus quorũdã expoſtulationes cõtra nõnulla Ieſuitarum opiniones morales tract. de fide propoſit. 10. nu. 2. vbi refert verba Zanardi ſic. Tertio quæritur, an edicta: præcepta, excommunicationes Epiſcoporum Inquiſitorum, &c. in quibus præcipitur, vt delicta quouis modo nota reuelentur, obligent ſcientes ad denunciandum, vel accuſandum. Reſpondetur, quod in quibuſdam caſibus obligant, & in quibuſdam non, &c. Non obligant, etiam ſi Iudex quærat delictum ad pœnam delinquenti infligendam, ſi delinquens nulla ſuper hoc laboret infamia, nec contra eum ſint inditia: nam tunc quamuis delictum ſit à tribus, vel quatuor ſecreto cognitum, quilibet illorum poterit tacere: etiam ſtante præcepto. Hæc Zanardus, inquit, Amadeus Guimenius dict. n. 2. vbi etiam pro hac ſententia citat Magiſtrum Marcum Serra 2. 2. quæſt. 95. art. 3. dub. 2. cõcl. 2. & qu. 70. art. 1. dub. 1. §. dicendum eſt 2. ſed certè Magiſter Marcus Serra non loquitur in noſtro caſu, de Confeſſario ſollicitante ad venerem in ſacramentali confeſsione, nec ex eius doctrina (ni fallor) colligi legitimè poteſt: nam in dicta quęſtione 67. art. 3. in dub. 2. inquirit, quæ nam requirantur, vt Iudex rectè procedat vſque ad ſententiam, & condemnationẽ Rei, & in concl. 2. ſic ait: dicẽdum eſt 2. vt Iudex procedat ad Inquiſitionem omnino ſpecialẽ, requiri in eo notitiam infamiæ Rei, et criminis. Quod probat ex cap. cum oporteat de accuſationibus, vbi dicitur; Mandamus, quod niſi ſuper prædictis famam ipſius læſam noueritis, vos ad inquiſitionem illorum nõ ſubito procedatis, et ex cap. inquiſitionis eod. tit. vbi habetur nullum eſſe pro crimine, ſuper quo infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio nõ præceſſerit puniendum; quin imò ſuper hoc depoſitiones contra eũ recipi non debere, cum inquiſitio fieri debeat ſolummodò ſuper his, de quibus clamores aliqui præceſſerunt. Et in quęſt. 70. art. 1. in dub. 1. inquirit; quomodo teſtis interrogatus à Iudice teneatur teſtimonium ferre, et in concl. 2. inquit, dicendum eſt 2. Si Iudex procedit via inquiſitionis ad condemnationem, & punitionem Rei, contra hunc tenetur teſtis interrogatus iuridicè teſtimonium ferre, quando infamia præceſsit; Si hęc verò nõ præceſſerit, non tenetur contra illum teſtimonium ferre; etiam ſi ſciat Reum tale crimen commiſiſſe ipſo, & alijs videntibus: hęc Serra. Ex qua doctrina non licet inferre; quod ipſe aſſerat non eſſe obligationem denunciandi Cõfeſſarium ſollicitãtem in confeſsione: niſi de crimine ſollicitationis infamatus ſit, imò ex doctrina tradita ab ipſo Magiſtro Serra 2. 2. quęſt. 69. art. 1. dub. 1. vbi interrogat, quando teneatur homo ad accuſandum poſtquam in cõcl. 2. aſſerit, quod quando crimẽ non poteſt homo probare per teſtes idoneos, & ſufficientes, nõ tenetur ad illius accuſationem, poſtea §. ſi quęras interrogat, an idem ſit dicendũ de iuridica denunciatione, &

reſ-

reſpõdet duas eſſe de hac re Doctorum ſententias, quarum prima negat, idem dicendum eſt de denunciatione, ac de accuſatione: Et ſecunda affirmat, & concludit Magiſter Serra; mihi tamẽ prima ſecurior videtur: ergo cũ aſſerat, quod eſt denunciandus, qui commiſit aliquod delictum ex contentis in edicto Dominorum Inquſitorum, etiam ſi crimen à denunciante non poſsit probari: quia ita eſt praxis recepta in Tribunali ſanctiſsimæ Inquiſitionis; Conſequenter ex hac doctrina ſequitur ipſum Magiſtrum Serra ſentire Confeſſariũ ſollicitantem ad venerea in ſacramentali cõfeſsione eſſe denunciandum Tribunali Sanctiſſimæ Iuquiſitonis, etiam ſi de dicto delicto ſollicitationis non ſit infamatus, pro hac eadem ſẽtentia citat dictus Amadeus Guimenins dict. propoſit. 10. Patrẽ Thomam Hurtado tom. 1. reſolutionum moralium tract. 4. c. 8. reſolut. 57. §. 2. nu. 722. vbi ſic ait: dico primo, ſi Confeſſor ſollicitans non eſt diffamatus de ſollicitatione, & eſt aliàs bonæ vitæ, & conuerſationis, & benè opinatus, vbi moratur, ſi ſollicitata perſona habet prudentiæ dictamen, quod rectè ſentiat de fide: licet per accidens abutatur Sacramento pœnitentiæ, atque ita quod in illo deficiat præſũptio, & ratio legis, non eſt Inquiſitoribus denunciandus, ſi ſemel, aut iterum ſollicitet eamdem perſonam; ſed poteſt, & tenetur 255
ipſum fraternaliter corrigere iuxta Chriſti præceptum, ita Hurtadus, & in nu. 737. aſserit non requiri rigoroſam infamationem: ſed ſatis eſse, vt quomodolibet infametur per indicia & coniecturas. Verum enim verò hæc doctrina Patris Thomæ Hurtado, non capio: quomodò poſsit coherere cum alia doctrina, quam ipſe tradit dict. tract. 4. cap. 8. reſolut. 21. vbi inquirit, vtrum ſoli diffamati ſint denunciandi ob ſollicitationem in confeſsione factam, et poſtquam refert opinionem affirmantem requiri, quod ſollicitans ſit diffamatus, vt denuncietur, & opinionem negatiuam, quod ſollicitator Confeſsor debeat eſſe diffamatus, vt denuncietur in §. 1. & 2. eiuſdem reſolutionis, poſtea §. 3. vbi iudicium Authoris de vtraque opinione propalatur nu. 103. hæc verba profert, Hæc ſecunda ſententia; quæ negat requiri ſollicitantem de crimine ſollicitationis eſſe diffamatum, vt teneatur perſona ſollicitata Inquiſitoribus fidei denunciare, abſque dubio ſecurior eſt practicanda, et conſulenda, vt potè ſtylo ſacri Tribunalis conformior, ac iuxta mentem Summorum Pontificum, qui ſancto zelo moti hoc tam nefandum crimẽ voluerunt extirpare. Quare prior opinio hodiè practicè eſt improbabilis, et nullo modo conſulenda: Si enim ſequi poſset ferè fruſtaretur intẽtum Summi Paſtoris, vt optimè probat Souſa vbi ſupra. Hæc Pater Hurtadus: ergo vel ſibi eſt contrarius, vel falſo aſserit, quod opinio affirmans requiri, quod ſollicitãs ſit diffamatus, vt denuncietur, hodiè practicè eſt improbabilis, et nullo modo conſulenda.

Probatur hæc ſentẽtia, primò à Patre Stephano Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcep. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. quia Bulla Clementis Octaui de ſollicitatoribus quomodolibet infamatis loquitur: ergo ſtando in dicta Bulla, ſi Confeſsarius ſollicitans non ſit aliquo modo

dif-

diffamatus non debet à perſona ſollicitata denunciari Dominis Inquiſitoribus.

256 Secũdo probatur, quia Domini Inquiſitores iubent in edictis publicis, vt omnes ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrẽda, hoc crimen denuncient: atqui quãdo cenſura, etiam Põtificia præcipitur manifeſtatio alicuius criminis (excepta hæreſi: quia tunc denunciator nõ gerit officium accuſatoris, ſed teſtis) non tenetur quis denunciare, ſi crimen ita occultum eſt, vt probari non poſſit: ergo cum ſollicitans Cõfeſſarius nõ ſit formalis hæreticus, & ſi de hæreſi ſuſpectus, & ſi obligetur abiurare de leui, ſi eius crimen ſit occultum, non tenetur perſona ſollicitata in confeſſione ad actus inhoneſtos; imò nec poteſt illum denũciare Dominis Inquiſitoribus.

257 Secunda, & vera ſententia affirmat denunciandum eſſe Confeſſarium ſollicitantem ad venerem in ſacramentali confeſſione, etiam ſi de tali crimine ſollicitationis nõ ſit diffamatus, ita Barboſa de poteſtate Epiſcopi part. 3. allegat. 96. nu. 51. Peyrinus tom. 2. priuilegiorum Regulariũ conſtit 9 Pauli Quinti §. 2. n. 35. Homo bonus de exam. Eccleſię par. 11. tract. 7. cap. 2. queſt 14. & par. 2. tract. 11. cap. 4. queſt. 3. reſolut. 4. Zanardus in directorio Confeſſorum par. 3. ca. 31. Naldus verbo hęreſis nu. 6. Zecchius de caſibus reſeruatis caſu 2. Santarellus de hęreſi cap. 9. dub. vnico nu. 3. & 4. Genuenſis in praxi cap. 23. nu. 5. Lazarius de munitione ſect. 2. queſt. 11. nu. 22. Bonacina de cenſuris diſp. 2. queſt. 6. punt. 1. num. 9. Suarez tract. de fide diſp. 20. ſect. 4. nu. 7. quos citat, & ſequitur Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 1. tract. 4. diſp. 13. queſt. 5. Thoma à Ieſu, Portel. Zenedo, Farinacius, et alij, quos citat, et ſequitur Diana part. 1. tract. 4. reſolut. 1. et part. 4. tr. 5. reſolut. 1. Trullench. lib. 1. in decalogum cap. 3. dub. 18. num. 20. Fagundez lib. 6. in decalogũ cap. 12. nu. 28. vbi poſtquam refert ſententiam primam negatiuam, et ſecundam affirmatiuã in hęc prorumpit verba: ita ſe habẽt huiuſmodi opiniones am bę probabiles, ſecunda probabilior, & in fauorem Sacramenti in illam inclinandam videtur, & magis inclino. Prima tamen tã ſolidis fundamentis nititur, et tam expreſsè mentem legislatoris videtur continere, vt illi cõtradicere videatur audacia. Mihi non conſtat de praxi Dominorum Inquiſitorum, et Ordinariorum in hoc negotio, quãobrẽ ſi de illa cõſtiterit, illa ſequẽda erit; et ideo interim rem non definio, ſed meũ iudicium praxi ſanctę Inquiſitionis libẽter ſubmitto, et ſemper ſubmittam, hęc Fagundez. Doctor Cęſar Carena de officio Sanctiſsimę Inquiſitionis par. 2. tit. 6: §. 22. n. 127. Caſtropalaus par. 1. trac. 4. diſp: 9. punt. 10. nu m. 3. Pater Stephanus Salelles de materijs Tribunaliũ ſanctę Inquiſitionis lib. 1. cap. 21. regula 153. num. 39. et 59.

258 Veritas huius ſententię manifeſtè conſtat ex ſupradictis reſolutionibus prędentibus: nam vt iam probauimus, ſollicitatio Cõfeſſarij ad venerem, in ſacramentali cõfeſsione quantumuis ſit occulta, et ſecreta, eſt denũcianda Dominis Inquiſitoribus nulla prędmiſſa correctione fraterna: vt pote crimen quod vergit in damnum ſpritualem vniuerſitatis, ſeu Reipublicę: ergo licet

licet Confeſsarius; ita ſollicitans non ſit diffamatus de dicto crimine, niſi tantum apud perſonam ſolliciratam tenebitur dicta perſona ſollicitata illum denunciare Dominis Inquiſitoribus, nec poterit Confeſſarius illam abſoluere: niſi prius facta denunciatione: niſi adſit pro tali tempore aliqua legitima cauſa excuſans pro tunc à dicta denunciatione iuxta ſuperius à nobis dicta in hoc tract.

259 Deinde quia vt bene docet Caſtropalaus vbi ſupra dict. nu. 3. rarò fœmina ſollicitata tenebitur denũciationem facere, ſi ſolum eſt denunciandus Confeſſarius in Sacramento pœnitentiæ ſollicitans ad venerem, quando eſt diffamatus de dicta ſollicitatione: ſi quidem hoc crimen ſecretiſſimè committitur: neque alius à ſollicitato illud ſolet cognoſcere; neque infamationem contingere ſolet: niſi cum delictum denũciatum eſt; ergo nullo modo requiritur diffamatio rigoroſa Confeſſarij ſollicitantis ad actus inhoneſtos in ſacramẽtali confeſſione, vt ſit Dominis Inquiſitoribus denunciandus: ſed ſufficit diffamatio latiſſimè ſumpta? qualis eſt illa, quam habet apud perſonam ſollicitatam in actu ſacramentalis confeſsionis. Prẽterea quia hæc denũciatio ordinatur ad præcauẽdũ delictũ, & impediẽdã Sacramẽti pẽnitentiæ irreuerentiam: ergo nõ eſt neceſſarium delictum publicum eſſe: præcipuè cum nullus adſit timor, vt denunciator pro calumniatore habeatur: ſiquidem non induit perſonam accuſatoris, ſed latoris, & teſtis, vt ſupra diximus in hoc tractatu reſolut. 21. & 22.

260 Ad primũ fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur cũ Caſtropalao vbi ſupra: concedẽdo antecedens, & negando conſequentiam: nam verba Clemẽtis Octaui, in quibus mandat denunciare quemlibet Sacerdotẽ Confeſſarium de hoc crimine ſollititationis ad actus venereos in ſacramẽtali confeſsione quomodolibet infamatum: non ſunt intelligenda, vt Confeſſarius ſit publicè infamatus de dicto crimine: ſed ſufficit, quod ſit infamatus apud ſollicitatam perſonam: nam aduerbium illud, quomodolibet, reſtringit infamiam, ne accipiatur in rigoroſa ſua ſignificatione, & ita Confeſſarius ſollicitans vnam tantum perſonam ad actus inhoneſtos in ſacramentali cõfeſsione, dicitur quomodolibet infamatus de dicto crimine ſollicitationis, & ita denunciandus eſt ſtatim Dominis Inquiſitoribus à perſona ſollicitata de dicto crimine.

261 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorẽ, non tenetur quis denũciare, ſtãdo in iure naturæ, tranſeat minor, ſtando in edicto Dominorum Inquiſitorum, nego minorem, nam licet Confeſſarius ſollicitans ad venerem in ſacramẽtali confeſsione, non ſit formaliter hæreticus, eſt tamen ſuſpectus de fide, vt communiter cõcedunt DD. & ſic licet non ſit diffamatus rigoroſè de dicto crimine, ſed ſolum latè apud ſollicitatam perſonam, eſt nihilominus denunciandus à perſona ſollicitata, nec in hoc caſu perſona ſollicitata denũcians gerit vicem accuſatoris: ſed ſolùm depoſitoris, & teſtis, ſicut ille, qui denunciat hæreticum occultum non diffamatum de hæreſi apud alios.

Re-

RESOLVTIO XXIV.

Vtrum virtute bullæ Cruciatæ posſit Confeſſarius abſoluere nominatim excõmunicatos; aut publicos percuſſores Clericorum, aut alios, quorum excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, & lis non eſt finita.

262 IN hac difficultate tres reperio ſententias prima abſolutè negat poſſe Confeſſarium virtute bullæ Cruciate abſoluere præ dictos excommunicatos, aut Clericorum publicos percuſſores, aut alios, quorum excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum etiam in foro cõſcientiæ: ita Gabriel Vaſquez tom. 4. in 3. par. de excommunicat. dub. 20. n. 8. Pater Gaſpar Hurtadus de ſacram. & cenſuris diſp. 14. de excommunicat. difficult. 5. n. 24. vbi ſic ait obſeruandum eſt nominatim excommunicatum ab homine, aut excommunicatum à iure excommunicatione iam deducta ad forum iudiciale, & litè pendente non poſſe validè abſolui adhuc pro foro conſciëtiæ virtute priuilegij abſoluendi ab excommunicatione ab homine: & à iure lata (ut conceditur virtute bullæ Cruciatæ, & conceſſum eſt medicantibus) vt contra Auilam aduertit Vaſquez: quia non eſt credendum dicta priuilegia ad id concedi: alias perturbaretur Tribunal Iudicis: ſi verè, & quoad Deum reus abſoluatur. Quod intelligimus quamuis reus ſit in loco, in quo excõmunicatio, & lis eſt ingnota; ſi lis non dum ceſſauit, & quamuis conſentiat pars, & quãuis ſit notabilis aliqua neceſſitas. Virtute ergo dicti priuilegij tantum poteſt validè abſolui ille excõmunicatus ab homine, & à iure, cum quo non eſt lis, vel quia nunquam fuit, vel quia ſi fuit, iã ceſſauit, vt contingit quando excommunicatus tantum eſt excommunicatus generaliter, ſiue ab homine, ſiue à iure, & etiã quando eſt ſpecialiter ab homine, ſi excommunicatio lata fuit pro peccato futuro, & non eſt declaratus excommunicatus, & lis ceſſauit: quia abſolutè in his caſibus non perturbatur Tribunal Iudicis. Ita ille Luyſius de cenſuris lib. 2. diſp. 24. dub. vltimo in fine.

263 Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia priuilegium bullæ Cruciatæ abſoluendi à cenſuris latis à iure, vel ab homine in foro conſcientiæ eſt intelligendũ, & interpretandum abſque præiudicio fori externi: atqui ſi Cõfeſſarius poſſet vigore priuilegij bullę Criatæ nominatim excommunicatos, aut publicos Clericotum percuſſores, aut quosuis alios, quorum excommunicatio deducta eſt ad forum cõtentioſũ, & lis non eſt finita, abſoluere dicta facultas cederet in præiudiciũ fori externi, ſeu Iudicialis: ergo aſſerendum eſt non poſſe Confeſſarium dictos excommunicatos abſoluere in foro conſcientiæ vigore Bullæ Cruciatę: donec lis ſit finita.

264 Secunda ſententia, licet concedat validè abſoluere Confeſſarium dictos excommunicatos vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ, negat tamen hoc poſſe licitè facere ita Auila de cenſuris par. 2. diſp. 3. dub. 10. concl. 1. & 2. Coninch de Sacramentis diſput. 14. dub. 16. nu. 207. Trũllench in bullam cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 10. concl. 3. n. 4.

265 Probatur hac ſententia primo ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. vbi ſic dicitur, liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpenſare, ergo ſi Epiſcopis non licet vigore priuilegij Concilij Tridentini abſoluere à cenſuris ſuos ſubditos, quando cenſuræ ſunt deductæ ad forum contentioſum: ſimiliter non licebit Confeſſarijs abſoluere nominatim excommunicatos, aut publicos clericorum percuſſores, vigore priuilegij bullæ Cruciatæ, neque quoſuis alios, quorum excommunicatio eſt deducta ad forum contentioſum, & lis non eſt finita: licèt ſi eos abſoluant valida ſit abſolutio ab ipſis data.

266 Secundo probatur hæc ſententia ex extrauaganti Sixti quarti cap. & ſi Dominici 2. de pœnit. & remiſſ. vbi Summus Pontifex decreuit denunciatum, vel publicè diffamatum abſolui non poſſe, nec virtute bullæ Cruciatæ, neque alterius priuilegij per hæc verba. Nos, qui Deo propritio eiuſdem gregis Dominici (meritis licèt inſufficientibus) cauſam gerimus, & illum ſpiritualis theſauri elargitione cupimus ipſi Deo reddere acceptabilem, ne exinde clauium authoritas deducatur in contemptum ipſique ad peccandum procliuiores (vt diximus) liberius prolabantur: ex præmiſſis, & alijs rationabilibus cauſis animum noſtrum mouentibus motu proprio (non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam: ſed de noſtra mera voluntate, & deliberatione) authoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, et ordinamus, quod de cætero prætextu facultatum huiuſmodi conceſſarum à nobis, vel authoritate noſtra, & quas concedi quomodolibet cõtinget in poſterũ, verbo, literis, aut quouis alia ſcriptura, etiã cũ clauſula, quod ſola aſſignatura ſufficiat, etiam in fauorẽ fidei, & Cruciatę nullus Cõfeſſorum eorumdem quempiam cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtat, & quacumque Eccleſiaſtica etiã epiſcopali, vel maiori, aut mundana; etiam regali, & maiori dignitate præfulgeat, qui offenſa Eccleſiaſticæ libertatis, violationis, interdicti, ab eadem ſede impoſiti, ſeu hæreſis poſtquam fuerint de ea ſententialiter condemnati, delati, ſeu publicè diffamati: conſpirationis in perſonam ad ſtatum Romani Pontificis cuiuſuis offenſæ, inobedientiæ, aut rebellionis eiuſdem Pontificis, vel dictæ ſedis, mutilationis membrorum, vel occiſionis cuiuſcumq; in ſacris ordinibus conſtituti: offenſæ perſonalis in Epiſcopum ſeu alium Prælatum; inuaſionis, depredationis, occupationis, aut deuaſtationis terrarum Romanę Eccleſiæ, mediatè vel immediatè ſubijectarum: ac etiam inuaſionis Romipetarum, ſeu quorumcumque aliorum ad Romanam Curiam venientium; prohibitionis, deuolutionum cauſarum ad dictam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium; impoſitionis nouorum onerum realium, vel perſonalium Eccleſijs, vel eccleſiaſticis perſonis: Simoniæ ſuper ordinibus, vel beneficijs conſequendis in dicta curia, vel extra eam contractæ, criminum quomodolibet reus

fo-

foret, & generaliter in casibus contentis in literis, quæ cõsueruẽt in die Cœnæ Domini publicari, prætextu huiusmodi facultatũ absoluere, &c. ergo virtute dictæ bullæ Sixti Quarti nõ possunt Confessarij licitè vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ absoluere nominatim excommunicatos, aut publicos Clericorum percussores, aut alios, quorum excommunicatio, deducta est ad forum contentiosum, & lis non est finita, licèt si illos absoluant, valida sit absolutio.

267 Tertia, & probabilior sententia affirmat absolutè posse Confessarium vigore Bullæ Cruciatæ dictos excommunicatos absoluere in foro conscientiæ, quorũ excommunicatio deducta est ad forũ contentiosum, & lis non est finita: ita Thomas Sanchez to. 2. summ. lib. 6. cap. 17. num. 43. Henriquez lib. 8. cap. 60. nu. 4. litera I, Couarruuias in ca. Alma mater par. 1. §. 11. n. 16. Peres l. 1. tit. 8. lib. 8. ordin. Ludouicus à Cruce de expositione bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 4. dub. 1 à n. 7. Sayrus de censuris lib. 1. cap. 20. n. 29. Pater Magister Lezana in summa qq. regularium tom. 3. verbo bulla cruciatæ n. 25. Diana par. 1. tract. 11. de bulla Cruciatæ resol. 26. Pater Franciscus Bardi in expositione bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. 3. sect. 1. n. 6. D. Carolus Latius in delucidatione bullę Cruciatæ disp. 7. quæst. 2. diffic. 4. n. 22. Acosta in bullam Cruciatę quæst. 80. resol. 2.

268 Probatur nostra sentẽtia, quia quãdo aliquod priuilegium absolutè conceditur à Superiore, nempè à Principe, vel à Summo Pontifice absque aliqua limitatione, vel restrictione absolutè, et absque restrictione est intelligẽdum, & si dictum priuilegium est fauorabile: potius est ampliandum: quam restringendum iuxta regulam iuris in 6. fauores sunt ampliandi: atqui in bulla Cruciatæ absolute, & absque aliqua limitatione, aut restrictione cõceditur facultas absoluẽdi à censuris; ergo virtute illius potest Confessarius absoluere suos pęnitentes habentes Cruciatam bullam, etiamsi sint nominatim excommunicati, aut publici clericorum percussores, & excommunicatio sit deducta ad forum contentiosum, antequam lis finiatur.

269 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, omittendo pro nunc maiorem, nam de hac difficultate ex professo agemus resol. sequenti, & negando minorem: imò ex ipso fundamento maximè confirmatur nostra sententia: nam eo ipso quod absolutio à censuris concessa virtute bullæ Cruciatæ non prodest pro foro exteriori: sed tantum pro foro conscientię: recte sequitur quod dicta absolutio nõ inferat damnum foro externo, & ordinarijs, quia illi non obstãte ea absolutione poterunt procedere contra suspensum, vel excommunicatum in foro exteriori, eadem ratione ac possunt, si ille in foro interiori non esset absolutus.

270 Ad primum fundamentum secundæ sententiæ: desumptum ex authoritate Concilij Tridẽtini. Respondeo primo ipsum nobis non nocere; imò ex ipso possumus assumere validam confirmationem in fauorem nostræ sententiæ: quia vt bene docet Pater Thomas Sanchez loco superius citato, si Concilium Tridentinum in dicto cap. 6. non apponeret dictam limitationẽ,

possent Episcopi sine vlla restrictione absoluere ab omnibus censuris, & dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus: ergo cũ in Bulla Cruciatæ non addatur ea limitatio sine restrictione accipienda erit.

271 Secũdo respondeo concedẽdo antecedens, & negando consequentiam, tum quia Concilium Tridentinum expressit eam limitationem, & eam non apponit Summus Pontifex in Bulla Cruciatæ. Tum etiam quia cum cõcessio Concilij Tridẽtini sit perpetua per viam statuti, & minus ampla: cum compræhendat ferè omnes irregularitates, & omnes casus reseruatos Sedi Apostolicæ: Concessio autem Bullæ Cruciatæ, nec sit ita ampla cum secundum communem sententiam non se extendat ad irregularitatem, nec sit ita perpetua: ideò licet Episcopi non possint vigore Concilij Tridentini absoluere à censuris, & excommunicationibus, quæ sunt deductæ ad forum contentiosum, inde non sequitur, quod Confessarij non possint virtute Bullę Cruciatę à dictis excommunicationibus deductis ad forum contentiosum in foro interiori, seu cõsciẽtiæ absoluere. Præterea quia si Concilium Tridentinum Episcopis facultatem concederet ad absoluendum à censuris, & irregularitatibus ad forum contentiosum deductis, deberet eã facultatem illis concedere etiã pro foro exteriori, in quo Episcopi sunt Iudices: Vnde sequerentur plurima inconuenientia, & perturbaretur iurisdictio eorũ, ad quorum forum deductæ essent censuræ illæ; quod non sequitur ex eo, quod Cõfessarijs cõcedatur facultas virtute bullæ Cruciatæ absoluendi pro solo foro interiori, seu conscientiæ à dictis excommunicationibus deductis ad forum externum, vt supra diximus solut. ad fundamentum primæ sententię.

272 Ad secundum fundamentum eiusdem sententiæ tres solutiones adhibet Pater Thomas Sanchez vbi supra dict. nu. 43. quarum prima est, quod extrauagãs illa Sixti Quarti non interdicit absolutionem cuiuscumque criminis ad forum externum deducti, sed tantum criminis hæresis. Sed hæc responsio, & interpretatio dictę extrauagantis (vt bene notat Pater Franciscus Bardi vbi supra nu. 10.) non est admittenda; quia ibi expressè Summus Põtifex prohibet absolutionem casuum contentorum in Bulla Cœnæ Domini. Secunda est: ibi solum prohiberi absolutionem criminum deductorum ad forũ contentiosum faciendam virtute facultatum concessarum ab eodem Sixto Quarto; non tamẽ restringi facultates concessas ab alijs Summis Põtificibus. Tertia est dictã extrauagãtẽ iã expirasse, & cessasse mortuo Sixto IV. quia fuit quasi clausula Bullę Cœnę, quę expirat defuncto Põtifice, vel expirat translato anno promulgationis: nam Bulla Cœnę nõ durat, nisi per annum & singulis annis est noua. Has autem duas vltimas solutiones admittimus cum Patre Francisco Bardi dict. nu. 10.

RESOLVTIO XXV.

Vtrum absolutio ab excommunicatione publica iam delata ad forum externum facta virtute Bullę Cruciatę prosit etiam pro foro externo, si collata sit parte satisfacta.

Af-

273 AFfirmatiuè reſpõdet Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 4. tract. 2. de excommunicat. diſp. 17. queſt. 97. per hęc verba, ſed probabiliter certè reſpondeo: abſolutionem ab excommunicatione virtute Bullę collatam prodeſſe adhuc pro foro externo, & iudiciali, etiamſi data ſit ſine licentia Iudicis, dummodo pars leſa ſatisfacta à Reo fuerit, aut cum ea concordauerit.

274 Probat primò ſuam ſententiã dictus Pater Leander à ſanctiſsimo Sacramẽto: quia Bulla Cruciatę abſolutè, et ſimpliciter cõcedit facultatẽ abſoluendi à cẽſuris ſuppoſita ſatisfactione partis nulla poſita reſtrictione, aut limitatione fori: ergo pro vtroque foro nempè interno, & externo, vel Iudiciali eſt dicendũ valere, patet conſequentia. Tũ quia hoc priuilegium cum ſit fauorabile potius eſt ampliãdum, quàm reſtringendum: Tum etiã quia Pontifices dum in ſuis bullis, aut iubilęis concedunt facultatem abſoluendi à cenſuris: ſolum pro foro interno id exprimunt addendo hæc verba: in foro conſcientiæ dumtaxat: vt videre eſt in iubilęo cõceſſo à Sixto quinto: anno 1585. vt habetur in bullario tom. 2. pagina 486. & à Paulo quinto an. 1605. vt habetur tom. 3. pagina 173. & ab Vrbano Octauo anno 1641 ergo dum hanc limitationem nõ apponunt apertè ſignificant abſolutionem à cenſuris pro vtroque foro: tam interno, quam externo valere.

275 Secundo probat ex quodam iubilęo conceſſo à Pio quinto anno Domini 1568. die 17. octobris, & ex alijs à Gregorio 13. & 14. conceſſis. Vbi hi Pontifices poſtquam conceſſerunt facultatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis explicarunt talem abſolutionem non prodeſſe in foro fori: ſeu contentioſo; niſi parti ſatisfecerint, aut cum ea concordauerint, vt referunt Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 2. liteera V. Rodriquez in bullam Cruciatæ §. 9. n. 56. & 57. & in additionibus ad §. 9. n. 51. & in ſumma tom. 1. cap. 83. concl. 8. n. 9. (non autẽ cap. 9. vt falsò citat Leander à Sanctiſſimo Sacramento) Vega tom. 1. ſummæ cap. 6. caſu 52. concl. 2. vbi addit id ipſum ſentire Nauarrum in manuali cap. 27. n. 22. ergo dicti Pontifices clarè inſinuant, quod abſolutio cẽſurarum collata cuiuſcumque indulti vigore facta ſatisfactione partis valere, & prodeſſe pro foro fori, ſeu contentioſo, aut iudiciali.

276 Tertio probat: quia abſolutio virtute bullæ Cruciatæ a cenſura lata à iure valet, & etiam pro foro fori, vt concedit Diana par. 1. tract. 11. de bulla Cruciatæ reſol. 26. §. notandum eſt verò Acoſta: ergo & valebit à cenſura lata ab homine: patet conſequẽtia: tum quia noſtra bulla Cruciatę, de qua loquimur (quidquid ſit de bulla conceſſa Regno Portugallię à Pio quinto) ęqualiter omnino abſolutionem ab vtraque cenſura concedit: nempe à iure, vel ab homine. Tum etiam quia rationes ſupra factæ in fauorem huius ſententię abſolutè procedunt: ergo idem eſt de vtriſque dicendum.

277 Secunda, & vera ſententia affirmat abſolutionem a cenſuris virtute priuilegij bullę Cruciatę ſolùm prodeſſe pro foro conſcientiæ, & nullo modo pro foro fori; ſeu Iudiciali: ita Couarruias in cap. Alma mater par. 1. §. 12. n. 16. Nauarrus conſil. 23. de

pœ-

pœnit. & remiſs. conſilio 11. de ſentent. excommun. aliàs 51. & 52. & conſilio 4. n. 2. de ſepulturis Ioannis Guttierrez lib. Canonicarum quæſtionum cap. 2. per totum Philiarcus de officio Sacerdotis 1. par. lib. 3. cap. 27. ad finem Toletus in ſumma lib. 5. cap. 18. n. 4. & 9. Sayrus de cẽſuris lib. 2. cap. 20. n. 31. Auila par. 2. cap. 7. diſp. 3. dub, 10. & 12. Suarez de cenſuris diſput. 7. ſect. 5. n. 21. & tom. 4. de religione tract. 10. lib. 9. cap. 2. n. 34. Thomas Sanchez tom. 2. ſummæ lib. 6. cap. 17. n. 43. Villalobos tom. 1. ſummæ tract. 27. de bulla Cruciatæ clauſula 9. n. 24. quos citat, & ſequitur Caſtropalaus par. 4. tract. 25, de bulla cruciatæ diſp. vnica punct. 8. §. 5. n. 9. Molina tom. 4. de iuſtitia diſp. 64. n. 10. Ludouicus à Cruce in expoſitione bullæ Cruciatæ diſp. 1. cap. 4. dub. 3. n. 3. Pater Franciſcus Bardi in explicatione bullæ cruciatæ par. 2. trac. 6. cap. 5. ſect. 1. n. 8. D. Carolus Latius in dilucidatione bullæ Cruciatæ diſp. 7. quæſt. 2. difficult. 5. à nu. 31. Pater Magiſter Lezana tomo 3. quæſtionum regularium verbo bulla cruciatæ n. 27. Ludouicus Lopez in directorio conſcientiæ par. 2. tract. de clauibus Eccleſiæ ca. 8. de bulla §. quarto accedẽdo ad punctũ quæſtionis pagina mihi 830. Machadus lib. 1. par. 3. tract. 8. docum. 5. n. 3. Diana par. 1. rract. 11. reſol. 26. & par. 5. tract. 9. reſol. 13. Pater Gaſpar Hurtadus de Sacramentis, & cenſuris diſp. 15. de excommunicatione difficultate 4.

278 Probatur primo noſtra ſentẽtia ex conſtitutione 106. Vrbani Octaui edita anno Domini 1630 die 19. Iunij, quæ incipit In ſpecula militantis Eccleſiæ, & habetur tom. 4. bullarij vbi Summus Pontifex declarauit abſolutionem datam vigore priuilegij bullæ cruciatæ: etiam à reſeruatis in bulla Cœnæ Domini non ſuffragari: niſi in foro coſcientiæ, non autem in foro fori, ſeu iudiciali: ergo tam certa eſt noſtra ſententia, vt omnis alia opinio (vt bene notat Pater Frã ciſcus Bardi, vbi ſupra nu. 11.) hodiè nequeat practicè admitti.

279 Ad hoc argumentum reſpondet Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento, vbi ſupra: negando toto ore noſtram ſententiam eſſe definitam ab Vrbano Octauo in conſtitutione citata: quia in ea nullo modo declarauit dictus Summus Pontifex Vrbanus Octauus abſolutionem datam etiam à reſeruatis in Bulla Cœnę Domini virtute Bullę Cruciatę ſatisfacta parte non ſuffragari: niſi in foro conſcientię, non autẽ in foro fori, ſeu externo, & iudiciali; Quod ſuadet Primò, quia Vrbanus viij. in dicta conſtitutione ſolum intendit definire, & declarare id, quod prius definiuit, et declarauit ſuus prę deceſſor Clemens Octauus: nẽpè non poſſe Regulares abſque licentia proprij Pręlati vti Bulla Cruciatę ad eligendum Confeſſarium, et ab eo abſolutionem à reſeruatis obtinere, hic finis totalis eſt, & intentum Pontificis, et non alius, vt conſtat ex prœmio dictę cõſtitutionis. Ergo non fuit declarare, aut definire, vt verum noſtram ſententiam oppoſitam ſententię dicti Patris Leandri, & aliorum: licet verum ſit, quod incidenter, & per tranſennam, & per parenteſym ſequentia verba Pontifex intexuit: videlicet; conceſſionem ſanctę Cruciatę (quę reſpectu facultatis huiuſmodi etiã Laicis,

cis, et Clericis ſęcularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, et qualitatis, & conditionis; etiam ſpeciali nota dignę quoad caſus reſeruatos, etiam in Bulla Cœnę Domini hęreſi excepta contentos, non niſi in foro conſcientię, non autem in foro externo ſuffragatur) aliorumque indultorum huiuſmodi, etc. per huiuſmodi autem verba non definit Pontifex, aut declarat vt verum, quod abſolutio data à cenſuris vigore Bullę Cruciatę nunquã ſuffragari potuiſſe, neque poſſe pro foro externo, vt conſtat: ſed aſſerit, quod non ſuffragatur, loquendo primò in opinione probabili Authorum, quid affirmant. Secundò loquendo in caſu, quo pars lęſa ſatisfacta non ſit, quo modo locuti fuere Pius Quintus, et Gregorius 13. & 14. non verò in caſu, quo parti fuerit ſatisfactum: quia tunc pro foro etiam externo ſuffragatur.

280 Secundo reſpondet, quod hęc conſtitutio Vrbani ad minus in Hiſpania non fuit recepta eo quod de illa fuit ſupplicatum eidem Pontifici per Commiſſariũ Generalem ſanctę Cruciatę de mandato Regis Noſtri Philippi Quarti. Vnde ſtandũ eſt, et inhęrendũ declarationibus Pij Quinti, et aliorum Pontificum, cum nullo modo ſint reuocatę. Ex quibus iam conſtat (inquit Pater Leander à ſanctiſsimo Sacramẽto) falſum dixiſſe Bardi oppoſitam ſententiam eſſe definitam ab Vrbano Octauo, nec noſtram hodiè practicari poſſe: Cum potius hęc ſit definita, aut ſaltem declarata, et hodie in praxi ſit deducta in caſu contingenti cũ aſſenſu, et conſilio ferè omnium Doctorum Complutenſis Academię ab Excellentiſsimo, et Reuerendiſsimo Domino Don Ioanne Cebrian Archiepiſcopo Cæſaraugustæ.

281 Sed hæc ſolutio Patris Leandri à Sanctiſſimo Sacramento (ſalua pece tanti Doctoris) eſt omnino falſa: nam abſque fundamento negat noſtram ſententiam non eſſe definitam ab Vrbano octauo in dicta conſtitutione, quia licet finis, & intentum dicti Summi Pontificis fuerit confirmare bullam Clemẽtis Octaui ſui prædeceſſoris, in qua Clemens Octauus declarauit ſuam intentionem fore, & eſſe, quod bulla cruciatæ nõ prodeſt Regularibus vtriuſque ſexus quantum ad facultatem eligendi cõfeſſarium ex approbatis ab ordinario, qui eſt abſoluere valeat vigore dictæ bullæ à caſibus reſeruatis ſuis Prælatis abſque licentia, & facultate ſuorum Prælatorum in foro conſcientiæ; nihilominus ad hoc magis declarandum Summus Pontifex Vrbanus Octauus appoſuit illa verba, quod quamuis ſęculares, & clerici poſſint gaudere dicta bulla cruciatę quoad facultatem eligẽdi Confeſſariũ, qui eos abſoluere valeat à caſibus Pontifici reſeruatis etiam in bulla Cęnę Domini tantum in foro conſcientię, & non in foro fori, dicto priuilegio non gaudere Religioſi Regulares vtriuſque ſexus eligendi ſibi Confeſſarium vigore dictę bullę, qui eos abſoluat à caſibus Summo Pontifici, & ſuis Pręlatis reſeruatis: et iam in foro conſcientię tantũ. Quare dicta verba non fuerunt appoſita à Summo Pontifice incidenter; & per tranſennam; nec per parentesym vt falſo aſſerit Pater Leandet à Sanctiſſimo Sacramento: claudendo illa inter

pa-

parentesym: cum nõ ſint clauſa in dicto decreto, vt ex eo, & ex eius tenore conſtat: ſic enim ait Summus Pontifex Præfatæque Clementis prædeceſſoris declarationi inhærentes, illamque tenore præſentium innouantes, ac quatenus opus ſit ampliãtes; motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ plenitudinis poteſtate: conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, quæ reſpectu facultatis huiuſmodi etiã laicis, & clericis ſęcularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam ſpeciali nota dignæ quoad caſus reſeruatos, etiam in bulla Cœnæ Domini (hæreſi exceepta) contentos nõ niſi in foro conſcientiæ, non autem in foro externo ſuffragatur aliorum indultorum huiuſmodi quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis: etiam in bulla Cœnæ Domini contentis cum fratribus, & monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, aliorum quorumcumque ordinum, & congregationum ſocietatis, & inſtituti prædictorum mendicatium, & non mẽdicantium, tam prouinciæ Hiſpaniæ, quam extra eam vbilibet conſtitutorum, locum minimè habuiſſe, neque habere, neque illis vllo modo ſufftagari potuiſſe neque poſſe, excepto dumtaxat illo quinquẽnio, quo literæ noſtræ huiuſmodi vt præfertur durauerunt, ſiquidem die 14. menſis Iunij 1629. proximi præteriti expirauerunt. Sed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe quod ijdem fratres, & moniales quantum ad ſacramentum pœnitentię, ſeu confeſſionis adminiſtrationem ordinarię diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicę quoad ſibi reſeruata ſubiecti ſint, earumdem tenore præſentium declaramus, Decernentes præſentes noſtras literas ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non poſſe. Sicque & nõ aliter in omnibus, & ſingulis præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiã cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, ac Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, ac Sedi Apoſtolicę nuncios, ac Cruciatę Cõmiſſarios, & quoſuis alios, quauis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate inrerpretari, ac iudicari debere, ac irritum, & inane: ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, &c. Ex quibus verbis apertè conſtat Summum Põtificem Vrbanum Octauum definire noſtram ſententiam: ſcilicet quod abſolutio data à Confeſſarijs vigore Cruciatę bullę nunquam ſuffragari potuiſſe, nec poſſe pro foro externo.

282 Nec ſecunda reſponſio dicti Patris Leandri à Sanctiſſimo Sacramento aliquid in contrarium conuincit; nam licèt verum ſit, quod dicta conſtitutio Vrbani Octaui non fuit recepta in Hiſpania: eo quod de illa fuit ſupplicatum eidem Pontifici per Cõmiſſarium Generalẽ Sanctę Cruciatę de mandato Catholici Regis noſtri Philippi Quarti vt cũ eodem Patre Leandro à Sanctiſſimo Sacramento 1. par. tract. 5. diſp. 12. queſt. 58. & 61. nos diximus in noſtra queſtione apo-

lo-

logetica morali §. 23. à nu. 110. nihilominus ex hoc non ſequitur, quod poſſint Confeſſarij vigore bullæ Cruciatæ abſoluere à cenſuris in foro externo, nam ſupplicatio dictæ conſtitutionis ſolum fuit facta Summo Põtifici in ordine ad hoc, vt poſſint Religioſi Regulares vtriuſque ſexus; tam mendicantes, quam non mendicantes in Regnis Hiſpaniæ gaudere priullegio dictæ bullæ quantum ad facultatem eligendi Confeſſarium, qui eos poſſit abſoluere à reſeruatis: tam Sedi Apoſtolicæ: quam ſuis Prælatis abſque licentia, & facultate dictorum ſuorum Prælatorũ: ſicut virtute eiuſdem bullæ poſſunt ſæculares, & Clerici abſolui à caſibus Papæ reſeruatis, quod debet intelligi in foro conſcientiæ: non autem in foro fori, ſeu contentioſo, cum in dicta ſupplicatione facta à Commiſſario Generali Sanctæ Cruciatæ de mandato Catholici Regis noſtri Philippi quarti, nulla fuerit facta expreſſa mentio de abſolutione à reſeruatis, & cenſuris pro foro externo: imo praxis in Hiſpania ſit in contrarium: niſi ſuppoſita voluntate, & conſenſu Iudicis, à quo lata fuit excommunicatio, etiãſi ante abſolutionẽ excõmunicationis vigore bullæ Cruciatæ fuerit pars ſatisfacta, & ſi in aliqua diœceſi adeſt conſuetudo quod abſolutus ab excommunicatione virtute bullæ Cruciatæ ſatisfacta parte, aut de eius conſenſu non compareat coram Iudice ordinario pro abſolutione dictę excõmunicationis pro foro externo, ſed intelligatur abſolutus in vtroque foro vigore abſolutionis datę à Confeſſario virtute bullæ Cruciatæ, hoc prouenit ex eo quod Iudex ordinarius in hoc conſentit tacitè, vel expreſsè, vel ratione alicuius diſpoſitionis Synodalis, ex quo inferre non licet, quod abſolutè abſolutio data à cenſuris vigore bullæ Cruciatæ deſeruiat pro vtroque foro conſcientiæ: ſcilicet, & iudicialis.

283 Secundo probatur: quia eadem eſt ratio de abſolutione a peccatis: ac de abſolutione à cẽſuris vigore bullæ Cruciatæ: cũ ſub eodem tenore verborum cõcedatur in bulla Cruciatæ facultas abſoluendi à peccatis, & à cẽſuris: atqui ſi aliquis commiſiſſet aliquod peccatum graue, cui annexa eſſet aliqua pœna, ſi iſte talis abſolueretur à dicto peccato commiſſo virtute priuilegij bullę Cruciatæ non excuſaretur ob dictam abſolutionem à punitione iniungenda à Iudice, ſi dictum peccatum in iudicium deferatur: ergo neque ob abſolutionem à cenſuris: probatur conſequentia: quia cum ab eadẽ forma conceſſionis vtraque abſolutio determinetur, eumdem effectum habere debet argumẽto legis iam hoc iure ff. de vulgari, & pupillari.

284 Tertio probatur: quia poteſtas abſoluẽdi à peccatis, & cẽſuris, quæ Confeſſarijs conceditur virtute Bullæ Cruciatæ eſt vt maiori cum puritate poſſit pœnitẽs indulgentiam obtinere, vt conſtat ex illis verbis Bullæ Cruciatæ: y para que con mas puridad de ſus concientias, &c. atqui ad huiuſmodi finem conſequendũ ſufficit abſolutio ſolum pro foro conſcientię, ergo non eſt extẽdenda dicta facultas abſoluendi à cenſuris vigore Bullæ Cruciatæ ad forũ iudiciale. Probatur conſequentia. quia quando ex verbis priuilegij circa ſubiectã materiam colligitur per dictum priuilegium non eſſe amplian-

dum non debet ampliari quãtumuis priuilegium gratioſum & generale ſit: atqui ex verbis Bullæ Cruciatę quibus conceditur Cõfeſſarijs facultas abſoluẽdi à cenſuris, & peccatis; rectè colligitur dictam facultatem nõ eſſe ampliandam ob prędiudiciũ ſcilicèt ordinarię iuriſdictionis; cui non eſt viſus Pontifex derogare, niſi id expreſsè exprimat argumento legis ſecundæ §. Si quis à Principe ff. ne quid in loco publico: ergo cum in bulla Cruciatę Summus Pontifex non exprimat Confeſſarium electum à pœnitente vigore dictę bullę poſſe illum abſoluere in foro cõtẽtioſo, & iudiciali, intelligendũ eſt dictam facultatem abſoluendi à cenſuris ſolùm eſſe intelligẽdam pro foro conſcientiæ, & minimè pro foro contentioſo, & iudiciali.

285 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ad primam eius probationem reſpondeo: concedendo facultatem abſolutè conceſſam, & beneficiũ Principis late eſſe interpretandum: niſi ex ſubiecta materia aliud colligatur, vt in præſenti colligitur, vt diximus in probatione tertia noſtrę ſententię. Ad ſecundam probationem, dico quod aliquando Summi Pontifices in iubilęis ab ipſis conceſſis explicitè exprimunt, & explicant facultatem conceſſam Cõfeſſarijs abſoluẽdi à cenſuris virtute dicti iubilęi eſſe intelligendam in foro conſcientię dumtaxat, ex quo non licet inferre, quod quando id non explicant explicitè, extendatur dicta facultas ad forum contentioſum, & iudiciale: nam eo ipſo, quod explicitè non explicant dictam facultatem abſoluendi a cẽſuris eſſe intelligendam, non ſolùm pro foro interno conſcientię, ſed etiam pro foro externo contentioſo, & iudiciali, eſt intelligenda pro foro conſcientię ſolum: quia vt ſupra diximus nullo modo Summus Pontifex intelligitur in ſuis priuilegijs concedere aliquam facultatem abſoluendi in prędiudicium ordinarię iuriſdictionis: niſi id expreſsè exprimat argumento allegato ſuperius l. 2. §. *Si quis à Principe* ff. ne quid in loco publico: ergo cum in bulla Cruciatę Sũmus Pontifex non explicet facultatem conceſſam Cõfeſſarijs abſoluendi à cenſuris vigore dictę bullę eſſe intelligendam etiã pro foro externo, & iudiciali; neceſſario eſt intelligenda dicta facultas pro foro conſcientiæ dumtaxat.

286 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur cum Caſtropalao vbi ſupra ſolutione ad 4. argumẽtum ex Couarruuias dicto cap. Alma mater par. 1. §. 12. nu. 16. Guttierrez lib. 1. canonicarum quæſtionum cap. 2. nu. 19. quod *Pius Quintus* in verbis dicti iubilæi videlicet declarantes inſuper tam præſentes: quam alias quaſcumque ſupra cõceſsiones ſimilium, vel diſsimilium indulgentiarum à nobis, aut à prædeceſſoribus noſtris hactenus emanata, & in futurum quomodolibet emanandas literas Chriſtifidelibus ipſis. niſi ad earum effectum in foro conſcientiæ, & pœnitentiali conſequendum dumtaxat; non autẽ in foro fori, aut contentioſo: niſi ſatisfecerint nullatenus ſuffragari: ſolum declarauit eũ, quem conſtabat parti ſatisfeciſſe virtute Iubilęi, & Cruciatæ abſolui poſſe: tam in foro conſcientiæ, quam externo

ad

ad effectum conſequendi indulgentiam: ita vt neque à Iudice, neque à parte impediri poſſe; quominus confiteatur, & communicet, aliaque opera præſtet ad indulgentiæ conſecutionem requiſita. Non tamen inde fit cenſeri pro foro externo ſimpliciter abſolutum: ſiquidem ad alios effectus ſe gerere debet, ac ſi abſolutus non eſſet. Quin imo obtento iubileo ſi non ſe ſuperiori abſoluendum præſentet in eamdem excommunicationem in foro interno reincidit, vt ſatis indicat ipſe Pius Quintus in ſua declaratione dicens: quin imo eas in illas poſmodum reincidiſſe, & in futurũ reincidere, quod bene notauit Suarez tom. 4. de religione tract. 10. lib. 9. cap. 2. nu. 38. & ſequentibus.

287 Ad tertium reſpondetur negando antecedens, loquendo de noſtra Bulla Cruciatæ (quidquid ſit de Bulla cõceſsa Regno Portugalliæ à Pio Quinto) nam cum dicta noſtra Bulla Cruciatæ eodem modo loquatur de facultate abſoluendi à cẽſuris latis à iure, & ab homine in eodem ſenſu eſt intelligenda dicta facultas in ordine ad abſoluendum à cenſura lata ab homine, & à iure, & cum Confeſſarius vigore dictæ Bullæ ſolum habeat facultatem abſoluendi à cenſura lata ab homine in foro conſcientiæ, & minime in foro fori, ſeu contentioſo, vt ſupra probauimus, idem dicendum eſt de abſolutione lata à iure, ſcilicet non poſſe Confeſſarium ab illa abſoluere vigore bullę Cruciatæ, niſi in foro conſcientię dumtaxat.

RESOLVTIO XXVI.

Vtrum virtute bullę Cruciatę poſſit commutari votum in rem minorem?

288 AFfirmatiuè reſpondent Diana par. 1. tract. 11. de bullu Cruciatę reſolut. 40. Henriquez lib. 7. cap. 30. n. 5. Aragon. 2. 2. quęſt. 88. art. 12. dub. 1. Trullench in expoſit. bullę Cruciatę lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 12. n. 5. D. Carolus Latius in dilucidatione bullę Cruciatæ diſp. 8. quæſt. 1. difficul. 3. n. 16. Don Carolus Malletus in auro Theolog. moral. tom. 2. malleat. 3. bract. 21.

289 Probatur primo, hęc ſentẽtia à dicto D. Carolo Latio: quia vouẽs poteſt propria virtute, & abſque bulla commutare ſuum votum in rem æqualem, ergo ſi virtute bullæ non poſſet commutari votum in rem minorem ſanè hoc priuilegium omninò inutile eſſet. Probat antecedẽs, quia ſi ſpectatis omnibus res, quæ ſubrogatur, erit omnino, & euidenter æqualis rei promiſſæ erit Deo æquè gratior, ergo poterit quis propria authoritate abſque bulla Cruciatę ſuum votum commutare in rem ęqualẽ, ergo ſi commutatio fiat virtute bullę poteſt fieri in rem minorẽ patet hęc vltima conſequentia: quia aliàs idem poſſet aliquis facere propria authoritate, quod poſſit facere vigore priuilegij bullę, & bullę priuilegium eſſet inutile, quod non eſt dicendum.

290 Secundo probat n. 20. quia preſens bullę priuilegium eſt oneroſum, nempe ſub onere ſoluendi taxatam eleęmosynam ergo vouens, dum ſumit bullã pro commutando voto, iam loco voti adimplet aliquod opus bonũ; quare ſi præter hoc requiritur vlterius ęqualitas inter votum, ac rem loco voti ſubrogandam, vtique ſequeretur, quod vi bullæ votum commu-

taretur in rem omnino maiorē; ſeu meliorem, quod non eſt aſſerendum.

291 Secunda, & probabilior ſententia negat poſſe virtute bullę Cruciatæ commutari votum in rem minorem: ita Suarez tom. 2. de religione lib. 6. cap. 12. Thomas Sanchez tom. 1. ſummæ lib. 4. cap. 50. n. 4. (non autem cap. 54. n. 4. vt falsò eum citat D. Carolus Latius vbi ſupra n. 18.) Reginaldus tom. 2. lib. 8. cap. 22. n. 352. Ioannes à Cruce in directorio par. 1. prȩcept. 2. dub. 10. concluſ. 5. Raphael della Torre in 2. 2. tom. 2. quæſt. 88. art. 12. diſp. 4. nu. 1. Azorius par. 1. lib. 11. cap. 18. quæſt. 6. Sotus iure 7. de iu. & iur. quȩſt. 4. art. 3. Sanctarellus de Iubilæo cap. 8. dub. 1. Pater Franciſcus Bardi in explicatione Bullæ Cruciatæ psr. 2. tract. 7. cap. 1. ſect. 3. nu. 27. Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza in ſumma vniuerſę Theolog. moral. tom. 1. lib. 7. ſect. 1. problema 67. nu. 699. Caſtropalao pær. 3. tract. 15. diſp. 2. punt. 17. nu. 2. §. dicendum eſt.

292 Probatur primo: quia per bullam Cruciatæ ſolum conceditur facultas commutandi vota, & nullo modo ea diſpenſandi: atqui quando commutatio voti fit in rem minorem tranſcendit limites puræ commutationis, & multum habet admixtum de diſpenſatione, aut relaxatione voti: ergo commutatio voti facta vigore bullæ Cruciatæ nō poteſt fieri in rem euidenter minorem; ſed neceſſario eſt facienda in bonum æquale.

293 Ad hoc argumentum reſpondet Don Carolus Latius vbi ſupra nu. 21. concedendo maiorē, & diſtinguendo minorem: quādo commutatio voti fit in rem minorem phyſicè, ſiue mathematicè, ſiue arithmeticè loquēdo concedit minorem: nam in hoc ſenſu aſſerit commutationē debere eſſe inter res ęquales moraliter loquendo (prout in huiuſmodi rebus moralibus loquendū eſt) negat tamē minorē, & ſimiliter negat conſequētiam in eodem ſenſu, nam benè poteſt ſtare voti commutationem in rem moraliter minorem: quia hoc non eſt contra naturam, & eſſentiam commutationis.

294 Verum enim vero hęc reſpōſio D. Caroli Latij, aut non eſt ad propoſitum, aut reddit quęſtionem de nomine, & non de re, nā vt benè notat Pater Thomas Sanchez dict. cap. ſupra citato n. 6. hæc ęqualitas in commutatione voti non ſcrupulosè, & mathematicè accipienda eſt, & quaſi in pūcto indiuiſibili cōſiſtens, ſed moraliter, ita vt prudentis arbitrio, aut nulla, aut parua differentia eſſe credatur. Quia cum omnimoda ęqualitas ſit impoſſibilis cognitu, vana eſſet commutandi poteſtas, ſi hęc indiuiſibilis ęqualitas ſeruanda eſſet. Quod ſi hoc intendat in ſua reſponſione D. Carolus Latius, ſolum differt nomine à noſtra ſententia: nam nos non aſſerimus commutationem voti exigere ęqualitatem phyſicam indiuiſibilem, ſed ęqualitatem moralem, quam Hiſpanè explicamus poco mas, ò menos, & in lingua Italica più, ò meno. Si verò intendat dictus Don Carolus Latius, quod commutatio voti poteſt fieri in rem euidenter minorem moraliter loquendo ſua reſponſio eſt falſa, quia non poteſt aliqua res eſſe alia minor certò, & infallibiliter etiam in ſenſu morali, quin habeat aliquā minoritatem phyſicam, et arith-

me-

meticam: ergo cum ipſe affirmet in ſua ſolutione, quod ad commutationē voti requiritur, quod commutatio fiat in rem phyſicè æqualem: licet cum aliqua inæqualitate morali, hæc inæqualitas debet intelligi ſolum prout opponitur æqualitati indiuiſibili phyſica, non autem, æqualitati morali; ergo ſemper commutatio voti debet fieri in rem æqualem moraliter loquēdo, modo à nobis explicato, non autem poteſt fieri in rem euidenter inæqualem ſiue phyſicè, ſiue moraliter, Vnde optimè infertur, vel quod doctrina dicti D. Caroli Latij ſolo nomine differat à noſtra, vel ſi in alio ſenſu loquitur ſua reſponſio nihil facit ad rem.

295 Secundo probatur noſtra ſententia, commutatio voti eſt quidam cōtractus inter commutātem nomine Dei, & vouentem, vt affirmat Diuus Thomas in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 4. quæſtiūcula vltima in corpore: atqui omnes contractus ſuapte natura æqualitatem petunt, quæ contractu permutationis in eo verſatur, vt ſit æqualitas inter illa; quæ permutantur, vt ait Ariſtoteles 3. ethicorum, ergo commutatio voti facta virtute bullæ Cruciatę neceſſario debet eſſe in rem æqualem: ſaltem moraliter modo à nobis ſupra explicato, & nullo modo in rem certò, & infallibilter minorem.

296 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię reſponderur, negando antecedens, nam licet aliqui ſint DD. qui affirmēt poſſe vouentem propria authoritate abſque vllo priuilegio commutare ſuum votum in bonum euidenter æquale: tamen ideſt incertum, & probabilius oppoſitum, vt docent Thomas Sanchez tom. 2. ſummæ lib. 4. ca. 49. n. 12. Suarez tom. 2. de Religione cap. 19. n. 3. Filliucius tom. 2. tract. 26. cap. 10. n. 283. Malderus in 2. 2. Diui Thomæ tract. 10. cap. 15. dub. 11. Layman in ſumma lib. 4. tract. 4. cap. 8. Caſtropalao tom. 3. diſp. 2. punct. 17. n. 2. & 4. (non autem punćto 14.) vt citant eum Pater Frāciſcus Bardi loco poſtea citando, & D. Carolus Latius vbi ſupra difficult. 2. Pater Franciſcus Bardi in explicatione bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 7. cap. 1. ſect. 1. n. 13. & 14. & alij apud ipſos, quia non eſt certum acceptare à Deo eam commutationem, cum nulla vtilitas in ea acceptatione eluceat; ergo oportet intercedere authoritatem Prælati interprætanti vice Dei eam volūtatem. Deinde quia in hac æqualitate promiſſa materia, excedit, eo quod ad Dei cultum ſpectet perſeuerantia in priori voluntate, vbi aliquid auctius loco illius non præſtatur, quo compēſetur receſſus à priori voluntate oblata Deo: Ad probationem antecedentis reſpondeo negando ſimiliter antecedens, nam ſuppoſita promiſſione Deo facta per uotum, non eſt vtraque materia æquè grata, ſed gratius eſt Deo perſeuerare in materia ſpecialiter promiſſa, vbi nullus eſt exceſſus materiæ ſubrogatæ, ad id autem, quod in argumento dicitur, quod ſi vigore bullæ Cruciatæ non poſſet votum commutari in rem minorem, ſui non æqualem, priuilegium dictæ bullæ eſſet inutile. Reſpondeo dictum priuilegium inutile non eſſe. Primo, quia per ipſum priuilegium conceditur poteſtas commutandi ipſi Confeſſario, qui abſque tali priuilegio (in communiori, & probabiliori Doctorum opinione) hac po-

poteſtate caret: quia iuriſdictio Confeſſarij ad forum pœnitentię ſolum circa abſolutionem à peccatis, & à quibuſdam cenſuris ſe extendit, facultas verò cõmutandi vota pertinet ad Prælatos, vel ad eos, qui ab eiſdem delegatam habent poteſtatem, vnde Confeſſarius in hoc vt perſona priuata ſe habet, & obtinet hanc poteſtatem vigore bullę Cruciatę. Secundo, quia pręciſo priuilegio bullę Cruciatę nullas poteſt propria authoritate ſua vota commutare in rem ęqualem vt ſupra probauimus; ſed debet illa commutare in rem meliorem: per priuilegium autem bullę Cruciatę poſſunt vota commutari in rem ęqualem, ſaltem moraliter, modo à nobis ſupra explicato.

297 Ad ſecundum fundamentum eiuſdem ſententię reſpondetur: omittendo antecedens, & negãdo conſequentiam. Aliud enim eſt, quod onus tribuendi eleęmosynam taxatam à Sũmo Põtifice pro recipienda Cruciata bulla, pręſupponatur, vt conditio neceſſaria ſine qua non ad acquirendam facultatem commutandi vota virtute dicti priuilegij bullę Cruciatę: Aliud verò, quod dicta eleęmoſyna, & onus illam tribuendi pro accipiẽda dicta bulla ſe teneat ex parte rei, aut boni, in quo vigore priuilegij bullę alicui votum commutatur: Primum eſt verum. Secundum verò falſum; & ideo sẽper eſt neceſſarium, vt quando vigore bullę Cruciatæ commutetur in rem æqualem; ſaltem moraliter loquendo modo ſuperius in hac reſolut. à nobis explicato.

RESOLVTIO XXVII.

Vtrum Cõfeſſarius electus à pœnitente virtute Bullæ Cruciatæ, ſi pœnitens petat illi, vt vigore dictæ Bullę ei commutet aliquod votum teneatur Confeſſarius dictum votum pœnitentis commutare, itaut aliter faciendo, ſcilicet denegãdo commutationem dictus Confeſſarius mortaliter peccet?

298 IN hac difficultate prima ſententia docet, quod etiamſi Confeſſarius electus per bullam Cruciatæ nullum agnoſcat impedimentum in pœnitẽte ne illius vota commutet, non tenetur illa commutare, ne per ſe loquendo mortaliter peccare dicto pœnitẽti non cõmutãdo vota: licet aliquãdo per accidens poſſit ea nõ cõmutando mortaliter peccare: Ita Ioannes Sanch. in ſelectis diſp. 14. nu. 17. quem citat, & ſequitur D. Carolus Latius in dilucidatione Bullę Cruciatæ diſp. 8. queſt. 1. difficult. 8. n. 47. & 49. Probatur hęc ſententia quoad primam eius partem: quia cum omnis obligatio ſit odioſa, nemo obligandus eſt, niſi euidẽs habeatur caput obligationis; atqui in caſu præſenti nullum aſſignari poteſt caput obligans dictum Confeſſarium ad commutãda vota vigore bullæ Cruciatæ: ergo Confeſſarius electus vigore Bullæ Cruciatæ non tenetur commutare vota pœnitentis eligentis illum in Confeſſarium, nec per ſe loquendo peccabit mortaliter: imò nec
299 venialiter dicta vota pœnitentis non commutando.

Quoad ſecundam verò partẽ, ſcilicet quod per accidens poterit

rit Confeſſarius mortaliter peccare non commutando pœnitẽti vota virtute bullæ Cruciatæ: ratione cuius fuit à dicto pœnitente electus in Confeſſarium, probatur eadem ſententia: quia ſi Confeſſarius agnoſcat pœnitentem eſſe in manifeſto periculo fractionis voti, & eius audierit peccata, & videat commutationem voti eſſe hic, & nunc mediũ opportunum, & aptius reliquis, cum ipſe poterit facile authoritate ipſi commiſſa per bullam Cruciatæ commutationem dicti voti facere: tunc ſi eam non faciat, non poteſt excuſari à culpa graui: quia eò ipſo quod ſponte ſuſcepit munus Cõfeſſarij, & audiuit peccata: tenetur adiuuare pœnitentem meliori modo, quo poteſt; vt iterum non redeat ad priora peccata, ac proinde ad vitãdas fractiones, debet requiſitus votum commutare, etiam ſi non ſit proprius Confeſſarius pœnitentis: ergo datur caſus, in quo Confeſſarius electus virtute Bullę Cruciatę teneatur ſub mortali ad cõmutanda vota pœnitentis cõmutationem petentis: licet per ſe loquendo ad id non teneatur.

300 Secunda ſententia diſtinguit inter Confeſſarium proprium pœnitentis, & Confeſſarium nõ proprium, & loquendo de proprio Confeſſario aſſerit, quod requiſitus à pœnitente per bullã Cruciatę tenetur id ſub mortali illi ſua vota commutare, ad quod per ſe loquẽdo non tenetur Confeſſarius, qui nõ eſt proprius pœnitentis, & ſic dictus Confeſſarius non proprius, nec peccabit mortaliter, non commutando vota pœnitentis, qui eum eligit in Confeſſarium virtute bullę Cruciatę; licet per accidẽs in aliquo caſu poſsit mortaliter peccare, non commutãdo pœnitentis vota: ita Eruditus Pater Franciſcus Bardi in explicatione bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 7. ſect. 4. nu. 35. 36. & 40. Secunda pars huius ſententiæ probatur fundamentis ſententię præcedentis. Prima vero pars probatur à Patre Franciſco Bardi dict. nu. 40. quia pœnitens in ordine ad ea, quæ ad propriam ſalutem pertinent, & poſſunt præſtari à proprio Paſtore ſtrictum ius habet in ipſum Confeſſarium ordinarium, vt ab ipſo hæc omnia præſtentur: ſcilicet votorum commutatio vigore Bullæ Cruciatæ; ac proinde proprius Confeſſarius non habet ius ſe excuſandi à tali onere; atqui inter ea, quæ conferri poſſunt ad ſpiritualem pœnitentis perfectum, eſt computatio votorum; nam interdum expedit bono ſpirituali ipſius pœnitentis facere hanc commutationem: ergo vrgẽtior cauſa requiritur ad excuſandum proprium, quam alienũ Confeſſarium: ac proinde ſecundum circumſtantias occurrentes erit decidendum quando obligatio proprij Confeſſarij erit ſub graui, quando ſub leui culpa.

301 Tertia, & probabilior ſentẽtia affirmat Confeſſarium ſiue proprium, ſiue alienum electum per bullam Cruciatæ teneri ſub mortali commutare vota pœnitentis, ſi pœnitens id petat, & Confeſſarius ſi ſit alienus admittat electionem factam à pœnitente, audiat ſacramentaliter pœnitẽtis peccata, & ſit requiſitus à pœnitente in ipſo actu confeſsionis, vt ei commutet ſua vota vigore bullæ Cruciatę: dummodò ad talem commutationem nullum ſit impedimentum, eam impediens ex parte pœnitentis; ita Pater Thomas Sanchez tom. 1.

ſum-

ſummę lib. 4. cap. 54. nu. 12. vbi pro hac ſententia citat Aragonium 2. 2. quęſt. 88. art. 12. in dubio, quod mouet circa ſecundam concluſionem verſ. ſi quis autem quęrat Viualdum in Cãdelabro Sacramentorum 3. par. cap. 14. nu. 58. Stunicham de voto quæſt. 5. nu. 38. Sayrum in claui regia lib. 6. cap. 12. n. 18. in fine. Ludouicus à Cruce de expoſitione bullę Cruciatę diſp. 1. cap. 6. dub. 1. n. 1. Bartholomæus à Sancto Fauſto in Theſauro Religionis lib. 4. quæſt. 53. Homobonus de examine Eccleſiæ part. 1. tract. 5. cap. 6. quæſt. 40. quos citat, & ſequitur Diana par. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatæ reſol. 44. Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza tom. 1. vniuerſæ Theolog. moral. lib. 7. de bulla Cruciatæ ſect. 1. cap. 20. num. 274. Pater Magiſter Gallegus in expoſit. bull. Cruciat. cap. 9. clauſ. 9. part. 3. duda 149. Caſtropalaus par. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 8. §. 2. n. 12.

302 Probatur noſtra ſentẽtia. Primò: quia Confeſſarius electus à pœnitente vigore bullæ Cruciatæ eſt iudex delegatus in fauorẽ ipſius pœnitentis eligentis ipſũ, ergo quamuis non teneatur cõfeſſionem eius audire: nihilominus ſuppoſito, quod eam audiat tamquam Confeſſarius electus à pœnitente virtute bullæ Cruciatæ tenetur requiſitus ab ipſo pœnitente vota illius commutare: dummodo ex parte pœnitẽtis non ſit aliquis obex. Probatur conſequentia: quia ad Confeſſarium electum vigore bullæ Cruciatæ ad audiendam confeſſionem ſacramentalem: eo ipſo quod abſolutè talem electionem acceptet: non minus pertinet, ſeu ſpectat ad ipſum commutare vota vigore bullæ Cruciatæ, qua fuit electus à pœnitente, quam peccata abſoluere pœnitentis: cum æqualiter Summus Pontifex concedat facultatem Confeſſario electo vigore bullæ Cruciatæ abſoluendi pœnitentem à peccatis, & commutandi illi vota.

303 Ad hoc argumentum reſpondet D. Carolus Latius vbi ſupra n. 48. concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ſcilicet teneri Confeſſarium commutare pœnitentis vota ex eo præcisè quod illius peccata ſacramentaliter exceperit: nam abſoluere peccata, & commutare vota (adhuc facta hypoteſi, quod vni ſoli vtrùmque competat) ſunt abſolutè onera inter ſe omninò diſparata, nullamque connexionem, neque implicitã inter ſe dicunt, ac proinde Confeſſarius ex eò quod acceptauerit ſui electionem in ordine ad peccata: nequaquam cenſendũ eſt acceptaſſe etiam electionem in ordine ad commutanda vota.

304 Sed hæc reſponſio nõ eneruat vim noſtri argumenti, neque aliquid in contrariũ conuincit, tũ quia nos non aſſerimus, quod Confeſſarius tenetur neceſſariò vota pœnitentis commutare ex eo præcisè, quod pœnitẽtis peccata ſacramentaliter excipiat, ſed ex eo quod acceptet electionem factam à pœnitente in illius Confeſſarium vigore bullæ Cruciatæ abſolute, & abſque aliqua limitatione, & reſtrictione: nam in hoc caſu licèt abſoluere à peccatis, & commutare vota, ſit quid diſtinctum, non ſunt onera inter ſe omninò diſparata in dicto Confeſſario electo à pœnitente vigore bullę Cruciatæ: cũ per dictã bullam Cruciatę ſuppoſita electione pœnitentis, & acceptatione ipſius Confeſſarij:

ac-

accipiat dictus Confeſſarius immediatè à Summo Pontifice iuriſdictionem, & poteſtatem, nõ ſolum abſoluendi pœnitentem à peccatis, ſed etiam commutandi ei vota, & conſequenter, ſicut pœnitens in dicto caſu habet ius ad abſolutionem ſacramentalẽ à peccatis faciendam à Confeſſario: dum ex parte pœnitentis nullum ſit impedimentum ad illam recipiendam, ita habet ius ad hoc, vt Confeſſarius illi commutet ſua vota: vnde iſti duo effectus abſoluendi à peccatis, & commutandi vota pœnitentis, vtpotè prouenientes ab eadem poteſtate, & facultate Confeſſario conceſſa virtute bullæ Cruciatæ non dicendi ſunt inter ſe omnino diſperati (vt affirmat D. Carolus Latius) ſed habere inter ſe aliqualem connexionẽ, quatenus talis poteſtas ſit, & facultas datur Cõfeſſario in ordine ad vtrũque effectum: ſcilicet abſoluendi à peccatis pœnitentem, & cõmutandi ei vota ſuppoſita electione pœnitentis, & acceptatione abſoluta Confeſſarij. Vnde ſicut Confeſſarius peccaret mortaliter negando pœnitenti abſolutionem à peccatis, nulla exiſtente legitima cauſa: quia priuaret pœnitentem iure ſuo, quod habebat ad dictam abſolutionem à ſuis peccatis, ita 305
ſimiliter peccaret mortaliter, negando illi commutationem votorum propter eamdem rationem: quia non minus ius habet pœnitens in dicto caſu ad abſolutionem ſuorum peccatorum faciendam à Confeſſario, virtute bullæ Cruciatæ: quam ad diſpenſationem ſuorum votorũ impendendam ab eodem Confeſſario vigore eiuſdem bullæ Cruciatæ. Tum etiam, quia aliud eſt, quod electio Confeſſarij facta à pœnitente acceptetur ab ipſo Confeſſario abſolutè, & abſque aliqua limitatione, aliud vero eſt, quod Confeſsarius electionem factam ab habente bullam Cruciatæ acceptet tantum pro abſolutione à peccatis, & non pro commutatione votorum: quia tũc in primo modo acceptandi electionem: ſcilicet ſimpliciter, & abſolutè abſque aliqua reſtrictione tenetur Confeſſarius non ſolùm ad abſolutionẽ à peccatis impendendam (dummodo nullum ſit impedimentũ ex parte pœnitentis eligentis ipſum in Confeſſarium virtute bullæ Cruciatæ) ſed etiam ad diſpenſationem votorum, & ſi nolit eam facere, erit infidelis, & iniuſtus, quia iam quaſi ex iuſtitia ratione acceptæ electionis obligatur ad concedendam diſpenſationem. Si autem ſecundo modo acceptet electionem non tenetur diſpenſare vota pœnitentis, etiamſi confeſſionem ſacramentalem ipſius pœnitentis audierit, quia priuilegium conceſſum per bullam non eſt ad arctandum Confeſſarium ad diſpẽſationem concedendam, ſed ſolum ad concedendam facultatẽ diſpenſandi Confeſſario volenti, non renuenti.

Secundo probatur noſtra sẽtentia: quia vt conſtat ex cap. quanto cauſa ſecunda quæſt. 5. Epiſcopus dicitur infidelis, ſi deneget diſpenſationem ſubdito illam ex iuſta cauſa petenti, ergo ſimiliter dicetur iniuſtus Confeſſarius, qui electus à pœnitente virtute bullæ Cruciatæ, & acceptata à Cõfeſſario dicta electioue noluerit requiſitus à pœnitente illi vota commutare facultate dicto Confeſſario conceſſa vigore dictæ bullæ Cruciatæ. Conſequentia patet à parita-

te rationis, & antecedens conſtat ex dict. cap. quanto, ibi: quãto à nobis credi tibi, & neceſſarias vides cauſas iniungi, tanto te ſtrenuum debes, & ſollicitum exhibere. Proinde ſi Maximus Salonitanus præſtito Sacramentis firmauerit ſe ſimoniaca hæreſi non teneri, atque de alijs ante corpus Sancti Apollinaris tantummodo requiſitus innoxium ſe eſſe reſponderit, & de inobedientia ſua pœnitentiam, (ſicut reputauimus) egerit, volumus, vt ad conſolandum illũ, epiſtolam, quam ad eum ſcripſimus (qua ei, & gratiam noſtrã, & communionem nos reddidiſſe ſignauimus] experientia tua dare debeat, quia ſicut in contumacia perſiſtentibus ſeueros nos eſſe conuenit, ſic iterum humilitatis, & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.

306 Ad hoc argumentum reſpondet D. Carolus Latius vbi ſupra n. 50. concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & rationem diſparitatis aſſignat, quia Epiſcopus eſt proprius, & vnicus, ac neceſſarius delegatus in hoc, ac etiam ad diſpenſandum, qualis non eſt ſimplex Cõfeſſarius adhuc vi bullæ Cruciatæ electus.

307 Verum enim vero hæc ſolutio nou valet: quia licet Confeſſarius electus per bullam Cruciatæ ab aliquo illam habente ad effectum, vt ei ſua vota diſpenſet virtute facultatis dicto Confeſſario delegatæ immediatè à Summo Pontifice per dictã cruciatam bullam, antequam electionem acceptet nõ ſit proprius, ac neceſſarius delegatus ad diſpenſandum, nihilominus poſtquam illam acceptauit liberè, & voluntariè eſt proprius, ac neceſſarius delegatus ad diſpenſandum: quare non poteſt abſque culpa, ſuppoſita dicta acceptatione dictam diſpenſationem denegare; licet ante acceptationem dictæ electionis potuerit illam abſque culpa denegare, vt n. præcedenti diximus; ergo ſemper remanet firma veritas noſtræ ſententiæ, ſiquidem nos non aſſerimus, quod Confeſſarius tenetur dictam electionem acceptare; imo contrariũ firmamus, ſed quod ſuppoſita libera, & ſpontanea confeſſarij acceptatione tenetur vti dicta facultate diſpenſandi vota pœnitentis ei delegata à Summo Pontifice immediatẽ per dictam bullam Cruciatæ, quod ſi non faciat nullo exiſtente impedimento ex parte pœnitentis petentis vigore dictæ bullæ diſpẽſationem ſuorum votorum peccauit grauiter Confeſſarius priuando pœnitentem ſupradicto ſuo iure in re graui, ideoque exemplum à nobis allegatum in ſecunda probatione noſtræ ſententiæ tenet in hoc, quod ſicut Epiſcopus vtpotè proprius, & neceſſarius delegatus erit infidelis, & iniuſtus; ſi abſque legitima cauſa neget diſpenſationem alicui eam petenti, ita, ſimiliter Confeſſarius electus vigore bullæ Cruciatæ ab aliquo illam habente ad effectum, vt ei dictus Confeſſarius diſpenſet ſua vota diſpenſabilia vogore priuilegij dictæ bullæ, ſi Confeſſarius dictam electionem acceptet, erit infidelis, & iniuſtus ſi abſque legitima cauſa non diſpenſet: ſeu neget pœnitenti diſpenſationẽ ſuorum votorum.

308 Ad fundamentum primę ſententiæ pro prima eius parte reſpondetur; concedendo maiorem, & negando minorem, nam eo ipſo, quod aliquis eligat in Con-

Confeſſarium aliquem Sacerdotem ſiue ſęcularem, ſiue Regularem vigore Bullę Cruciatæ ad effectum obtinendi ab ipſo diſpenſationem ſuorum votorum, & Confeſſarius liberè, & ſponteneè dictam electionem acceptet ipſa ſua acceptatio libera, & ſpõtanea eſt ſufficiens caput, ex quo oriatur obligatio in dicto Confeſſario electo diſpenſandi dicta 309
vota, ita vt aliter faciendo dicatur infidelis, & iniuſtus: & ita conſequenter dicẽdũ erit mortaliter peccare negando abſque legitima cauſa pœnitenti dictã votorum diſpẽſationem, ex quo manifeſtè patet falſitas cõſequẽtiæ dictæ probationis partis cõtrariæ. Et ſpecialiter mihi diſplicet, id, quod in dicta conſequentia aſſerit dictus D. Carolus Latius: ſcilicet, quod Confeſſarius electus per bullam Cruciatæ ſi nolit requiſitus à pœnitente vota illius commutare: neque venialiter peccabit; nam licet ſtando in probabilitate ſententiæ oppoſitę Cõfeſſarium acceptantem electionem in eo factam vigore bullæ Cruciatæ poſſimus excuſare aliquando à culpa graui: ſi munus commutandi poſtea ſine cauſa neget, ſi ex tali negatione pœnitens non maneat in periculo frangendi votum: neq; ſentiat magnam cordis Anguſtiam; neque demum debeat ni- 310
mium laborare inquirendo aliũ Confeſſarium, à quo commutationẽ habeat; ex eo quod in hoc caſu, cum notabile detrimentũ pœnitens non patiatur, non videtur Cõfeſſarius lætaliter peccare denegando commutationem: tamen non video qua ratione dictus Confeſſarius adhuc in hoc caſu à culpa leui, ſeu veniali poſſit excuſari, ſi nolit diſpenſare: quia cum nullum ſit impedimentum: neque ex parte pœnitentis: neque ex parte Confeſſarij non videtur poſſe negari, quod charitas aliquo modo obliget Confeſſarium ad commutandum: ergo ad minus adhuc ſiſtendo in opinione contraria Confeſſarius peccabit venialiter non præſtando munus dictæ diſpenſationis.

Ad fundamentum ſecundæ partis eiuſdem ſententiæ patet manifeſtè ex ſupradictis: nam ſi Confeſſarius electus vigore bullæ Cruciatæ ab aliquo illam habente ad effectum, vt illi præſtet munus commutandi vota: ſi electionem liberè, & ſponteneè acceptet, tenetur ſub mortali dictum munus præſtare, ſi nulla cauſa impediens exiſtat ex parte ipſius pœnitentis: multo magis tenebitur ſub mortali dictum munus commutandi præſtare, ſi agnouerit in pœnitente periculum frangendi votum. Ex quibus etiam patet reſponſio ad fundamentum primæ partis ſecundæ ſententiæ, quia: ſi Sacerdos nõ proprius electus per bullam Cruciatę ad prædictum munus commutandi vota, ſi electionem acceptet tenetur modo ſuperius dicto ſub culpa graui præſtare prædictum munus cõmutãdi vota, potiori iure ad hoc tenebitur proprius Sacerdos.

Aduertendum: tamen eſt cũ Patre Thoma Sanchez, & Diana locis ſuperius citatis; quod licet Religioſi Regulares approbati ab Ordinatio de licentia ſui Prę-lati ad ſæcularium confeſsiones audiendas, poſſint vigore ſuorũ priuilegiorum vota ſuorum pœnitentium commutare, vt docent Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. diſp. 19. quæſt. 2. n. 5. Henriquez lib. 7. de iedulgentijs cap. 30. n. 6. Ioannes Sanci-

us in ſelectis diſp. 14. nu. 2. & cõmuniter Doctores quos citat, & ſequitur dictus Pater Antoninus Diann par. 3. tract. 2. reſol. 9. & part. 4 tract. 4. reſol. 8. Nihilominus non peccarent mortaliter ſi nollent virtute ſuorum priuilegiorum vota pœnitentis commutare; imò nec venialiter; quia non aſtringũtur vti ſuo priuilegio; quamuis probabile ſit, vt docet Caſtropalao vbi ſupra dict. nu. 12. quod ſi Religioſus Regularis ſe obligauit ad vtendum facultate diſpenſandi, quã habet vigore ſuorum priuilegiorum, ſi poſtea noluerit diſpenſare, erit infidelis, & iniuſtus nõ ſtando obligationi promiſſę, & conſequenter peccabit non diſpenſando peccato graui; aut leui attentis circumſtantijs tunc occurrentibus.

RESOLVTIO XXVIII.

Vtrum Confeſſarius poſſit vigore bullę Cruciatæ commutare votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium vt poſſit vouens petere debitum?

311 AFfirmatiuam ſententiã tuẽtur Viualdus in Candelabro aureo par. 3. cap. 14. nu. 41. Sanctarellus de iubilæo cap. 9. dub. 8. & 9.

312 Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto caſtitatis: ad petendum debitum, quãdo quis adſtrictus voto caſtitatis ad nuptias tranſit, atqui in his omnibus in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare poteſt Confeſſarius diſpenſare virtute bullæ Cruciatæ: ergo poterit optimè Confeſſarius virtutæ priuilegij dictæ bullæ commutare caſtitatis votum emiſſum ante cõtractum matrimonium, vt poſſit vouens petere debitum maiorem docẽt Angelus verbo matr. 3. impedim. 5. n. 3. Tabiena verb. impediment. 2. quæſt. 5. Valentia to. 4. diſp. 10. quęſt. 5. punct. 5. Henriquez lib. 12. cap. 2. n. 9. Sà verb. debitum coniugale. num. 4. Toletus lib. 7. cap. 14. nu. 4. Rodriquez in bullam Cruciatę §. 9. n. 119. Minor vero communiter recipitur à Doctoribus, & conſequentia apertè patet ex præmiſſis.

313 Secunda, & vera ſententia negat poſſe Confeſſarium virtute bullæ Cruciatæ commutare votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium ad petẽdũ debitũ à vouẽte: ita Thomas Sanchez tom. 1. ſummæ lib. 4. c. 54. n. 20. Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 18. quæſt. 8. Guttierrez in ſuis quæſt. canonic. lib. 1. ca. 23. nu. 17. Diana par. 1. tract. 11. reſol. 66. & par. 11. tract. 8. reſol. 16. Magiſter Gallegus in bull. Cruc. cap. 9. clauſul. 9. par. 3. §. 1. dub. 69. Pater Leander à Sãctiſſimo Sacramento par. 1. trac. 5. diſp. 14. quæſt. 117. Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza tom. 1. Theolog. moral. lib. 7. de bulla Cruciatæ ſect. 2. probl. 87. nu. 724.

314 Probatur noſtra ſentẽtia: quia quamuis Confeſſarius poſſit virtutæ Bullæ Cruciatæ commutare omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare, aut diſpenſare hoc eſt intelligẽdum de votis, quę ab Epiſcopo commutãtur, aut diſpenſantur de iure ordinario, & ex natura reſeruationis: non verò de illis, quæ commutantur, aut diſpenſantur ab Epiſcopo iure ſpeciali, aut per conſuetudinem: atqui facultas, quam habet Epiſcopus diſpenſan-

ſandi in voto caſtitatis emiſſo ante contractum matrimonium, ad hoc vt vouens poſſit petere debitum, non competit Epiſcopo iure ordinario, & ex natura reſeruationis; ſed ſolum iure ſpeciali, aut per conſuetudinem: ergo non poteſt Confeſſarius vigore Bullę Cruciatę in dicto voto caſtitatis diſpenſare: ad hoc, vt qui votum emiſit ante matrimonium poſſit poſt matrimoniũ contractum debitum petere,

315 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur diſtinguendo maiorem, poteſt Epiſcopus diſpenſare in ſupradicto voto Caſtitatis ad petendum debitum facultate illi conceſſa ex iure communi; & ex natura reſeruationis: nego maiorem, poteſt diſpenſare iure ſpeciali ſolius Summi Pontificis, aut ex conſuetudine: concedo maiorem, & ſimiliter diſtinguo minorẽ, Cõfeſſarius poteſt virtute bullę Cruciatæ commutare ea vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare, aut diſpenſare, ſi facultas commutandi, aut diſpenſandi competat Epiſcopo iure communi, & ex natura reſeruationis: concedo minorem: ſi competat Epiſcopo iure ſpeciali ſolius Summi Pontificis, aut per conſuetudinem: nego minorem, & ſimiliter nego conſequentiam propter rationem dictam in probatione noſtræ ſententiæ.

316 Aduertendum tamen eſt cum Bartholomæo de Sancto Fauſto in Theſaur. Religion. lib. 3. qu. 91. nu. 3. quod in caſu preſenti Epiſcopus non relaxat ſimpliciter dictum votum emiſſum ante contractum matrimonium; ſed tantum ex parte, & ſecundum quid, habilitando ſubiectum, quod poſt emiſſum votum caſtitatis matrimonium contraxit adhoc vt licitè poſſit petere debitum: ideoque mortua coniuge tota voti obligatio reuiuiſcit,

317 Sed dices quidquid poteſt Cõfeſſarius Regularis vigore priuilegiorum ſuæ Religionis facere, quoad commutationem votorũ id ipſum poteſt facere quilibet alius Confeſſarius approbatus ab Ordinario vigore bullę Cruciatæ; atqui Confeſſarius Regularis poteſt virtute ſuorum priuilegiorum commutare votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium ad petendũ debitum, ergo etiam hoc poterit facere quilibet alius Confeſſarius approbatus ab Ordinario virtute priuilegij bullę Cruciatæ.

318 Reſpondetur negando maiorem abſolutè loquendo: nã Regulares vigore ſuorum priuilegiorũ poſſunt habere facultatẽ commutandi, aut ſpenſandi ea omnia vota, quę poteſt Epiſcopus cõmutare, aut diſpenſare, ſiue talis cõmutatio, aut diſpẽſatio cõpetat Epiſcopis iure communi, & ex natura reſeruationis ſiue iure ſpeciali ſolius Summi Pontificis, aut per conſuetudinem, quod non poſſunt facere alij Confeſſarij Seculares approbati ab ordinario vigore priuilegij bullæ Cruciatæ, vt ſupra diximus. Ad minorem autem reſpondeo poſſe Confeſſarium Regularem de facultate ſui Prouincialis vigore priuilegiorum Regularibus cõceſſorum diſpẽſare ad petendum debitum cum his qui poſt votum caſtitatis matrimonium inierunt; quia ita Regularibus cõceſſit Pius Quintus, vt ferunt Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 16. num. 3. & alij apud ipſum Baſilius Pontius Legionenſis lib. 8. de matrim. ca.

10. n. 12. vbi ſic ait, ſed ſublimi ta eam limitationem, vt poſſint Religioſi diſpenſare in voto caſtitatis in ordine ad petendum debitum: dummodo votum ſit emiſſum ante contractum matrimonium, non verò ſi ſit factum poſt matrimonium; contractum. De eo enim tãtum loquitur priuilegiũ, vt docet Emanuel Rodriquez tom. 1. quæſtionum regularium quæſt. 66. art. 2. quod amplia ſiue ſit matrimonium cõſumatum: ſiue non (quamuis contrarium dicant nonnulli ſine fundamẽto) ſiue etiã eo tẽpore, in quo licebat diuortium: verba enim priuilegij vniuerſalia ſunt. ita Baſilius Pontius Ioannes à Cruce in epitome lib. 2. c. 6. dub. 9. concl. 2. Trullẽch. lib. 2. in Decalogum cap. 2. dub. 44. nu. 5. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 2. tract. 9. diſp. 24. quæſt. 19. licet contrarium videatur aſſerere par. 1. tr. 5. diſp. 14. queſt. 117. Pater Andreas Mendo in bull. Cruc. diſp. 26. cap. 11. nu. 120. Diana part. 10. tract. 8. reſol. 16.

RESOLVTIO XXIX.

Vtrum ſi aliquis votum diſiunctiuum emittẽs: nempe caſtitatis, vel dandi certam quantitatem eleemoſynę alicui Eccleſię, ſi poſtea vouens prædictum votum diſiunctiuum deueniat ad tantam paupertatẽ, vt impoſſibile ſit adimplere votum quoad materiam non reſeruatam: ſcilicet quoad tribuendam dictam eleemoſynã dictę Eccleſię, poſſit Confeſſarius vigore bullę Cruciatę illi commutare dictum votum quoad materiam reſeruatã: nẽpe quoad caſtitatẽ voto promiſſam, quam poteſt adimplere?

319 PRima ſententia negat poſſe Confeſſarium in dicto caſu vigore bullę Cruciatę diſpenſare, quoad dictam materiam reſeruatam caſtitatis: ita Bonacina tract. de leg. diſp. 4. qu. 2. punct. 7. §. 4. num. 18. fundamentum huius ſententię eſt: quia ille, qui emiſit votum diſiunctiuum de materia reſeruata, & non reſeruata v. g. qui vouit vel caſtitatem, vel dare centum aureos tit. eleemoſynę alicui Eccleſię: licèt illi liberum ſit eligere quãcumque partem dicti voti diſiũctiui: ſcilicet, aut reſeruatam, aut aut non; nihilominus tamen neceſſariò tenetur vi dicti voti vnam ex dictis partibus diſiunctiuè eligere: aliàs votum eſſet inutile, & ſuperuacaneum; atqui in caſu ſuppoſito in titulo reſolutionis materia non rrſeruata dicti voti reddita eſt impoſſibilis, & conſequenter ineligibilis, à vouente: ergo tenebitur in hoc caſu eligere materiam reſeruatã dicti voti; nempè caſtitatem ſeruandam: atqui votum caſtitatis perfectę non poteſt commutari vigore bullę Cruciatę: ergo nullo modo poterit Confeſſarius in dicto caſu commutare dictum votum diſiũctiuum quoad materiam neceſſariam.

320 Secunda, & vera ſententia affirmat poſſe in dicto caſu Confeſſariũ commutare dictũ votũ diſiunctiuum quoad materiam neceſſariã vigore priuilegij bullę Cruciatæ, ita Thomas Sãchez in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 40. nu. 44. Diana part. 1. tract. 11. reſol. 74. & par. 4. reſolut. 102. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 24. nu. 4. Pater Franciſcus Bardi in explicatione bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 7. cap. 2. ſect. 5. §. 1. nu. 65. Pater Magiſter Barnaba Gallegus in explicat. bullę

Cru-

Cruciatę cap. 9. clauſul. 9. part. 3. dubitat. 156. Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza lib. 7. de bulla Cruc. cap. 34. probl. 90. nu. 732. & 733. Ludouicus à Cruce apud Trullench. in bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14. nu. 6. Leander à Sanctiſſimo Sacram. par. 1. tract. 5. diſput. 14. quæſt. 142. Boſſius de iubilæo ſect. 2. caſu. 11. num. 10. & apud ipſum Layman. & Tamburinus. Caſtropalao par. 3. diſput. 25. punct. 11. num. 6.

321 Probatur noſtra ſententia: quia ille, qui emiſit votum diſiũctiuum caſtitatis, vel certam quantitatem eleemoſynæ tribuendi alicui Eccleſiæ puta centũ aureos, per ſe, & ex natura dicti voti nunquam manet obligatus dictus vouens ad eligẽdam partem reſeruatam dicti voti, ſed poteſt eligere pro ſuo libito, & libertate quam maluerit ex illis partibus: ſcilicet reſeruatam partem, vel non reſeruatam: atqui reddita impoſſibili electione partis non reſeruatæ, non tenetur per ſe, ſed ſolum per accidẽs eligere partem reſeruatam ex ſola impoſſibilitate alterius materiæ non reſeruatæ; ergo poteſt Confeſſarius vigore bullæ Cruciatę commutare dictum votum diſiunctiuum, quoad materiam reſeruatam ſuppoſita impoſſibilitate ex parte vouentis electionis materiæ non reſeruatę dicti voti diſiũctiui ab ipſo emiſſi. Maior probatur ex regula 70. de regul. iur. in 6. ibi. In alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri, & ex cap. inter cæteras 4. lib. 1. decretal. de reſcript. tit. 3. ibi inter cęteras cõſultationes tuas fuit propoſitum coram nobis quid tenere debeas cum aliqua ſubdiſiunctione mãdantur; quorum vnum verum eſt: alterum falſum: vt puta ſi ponatur, quod ſi talis ſit Sacerdotis filius, & in ſacerdotio genitus, qui proximo in tali Eccleſia miniſtrauit, vel quod illicitè Eccleſiam occupauit eamdẽ. Huic ergo quæſtioni taliter reſpondemus (Iudici quodcumque iſtorum conſtituerit) illi prælibatam Eccleſiam adiudicari debere. Et idem in ſimilibus obſeruandum eſt. Vbi Gloſſa. Ex diſiũctiue narratis in reſcripto ſufficit impetranti alterum probare: ergo vouens diſiunctiue materiam reſeruatam, & non reſeruatam per ſe ex vi dicti voti nunquam manet obligatus ad eligendam partem reſeruatam, ſed poteſt eligere, quam maluerit ex illis diſiunctiuè: ſcilicet reſeruatam, vel non reſeruatam: minor autem manifeſte patet, quia ille tenetur eligere per ſe ſolum illam materiam voti, quã abſolute, & determinatè vouit; atqui ille, qui diſiunctiuum votum emiſit ſeruandi caſtitatem, vel dandi certam eleemoſynam alicui Eccleſiæ nõ promiſit Deo determinate caſtitatem ſeruare: cum ex vi dicti voti ſit in ſua libertate eligere aliam partem dicti voti: ſcilicet tribuere aſſignatam eleemoſynam dictæ determinatæ Eccleſiæ: ergo dictus vouens per ſe nunquam eſt obligatus ad partem reſeruatam dicti voti: licet per accidens poſſit oriri in illo obligatio dictæ partis reſeruatæ ex ſola impoſsibilitate alterius materiæ: ſeu partis non reſeruatæ dicti voti diſiunctiui ab ipſo emiſſi. Ergo optimè poterit Confeſſarius ab Ordinario approbatus in hoc caſu vigore bullæ Cruciatæ dicto vouenti votum cõmutare quoad materiam reſeruatam: Probatur hęc vltima conſequentia: quia bulla

Cru-

Cruciatæ ſolum excludit à commutatione facienda à Cõfeſſario vigore illius, votũ caſtitatis perfectæ: atqui votum diſiunctiuũ caſtitatis, vel alterius rei non reſeruatæ, vt eſt donatio determinatæ eleemoſynæ alicui Eccleſiæ, non eſt votum perfectæ caſtitatis: etiã ſuppoſita ex parte ſic vouentis impoſsibilitate electionis partis non reſeruatæ dicti voti diſiunctiui: ergo prædictum votum quoad materiam reſeruatam in noſtro caſu eſt cõmutabile à Confeſſario vigore Bullæ Cruciatæ.

322 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, diſtinguendo maiorem, quoad ſecundam partem neceſſario tenetur vi dicti voti vnam ex dictis partibus diſiunctiue eligere; ſi quælibet ſeorſim, & per ſe ſit eligibilis: concedo maiorem: ſi aliqua ex illis ratione alicuius circumſtantię extrinſecæ reddatur impoſsibilis, & ineligibilis: nego maiorem; quia tunc ſolum per accidens, & non per ſe tenetur aliam partem voti eligere; quare cum in caſu præſenti ratione impoſsibilitatis, & ineligibilitatis materiæ non reſeruatæ, maneat ſolum materia neceſſaria eligibilis à dicto vouente, non dicitur teneri per ſe dictam materiam neceſſariam voti diſiunctiui eligere, ſed ſolum per accidens ex ſola impoſsibilitate alterius materiæ non reſeruatę: quare conceſſa minori diſtinguendum eſt conſequens, tenebitur in hoc caſu eligere; materiam reſeruatam dicti voti, per ſe, & neceſſariò: nego conſequentiã: per accidens, ratione impoſsibilitatis alterius materiæ nõ reſeruatæ dicti voti; concedo conſequentiam, & conceſſa minori ſubſumpta: neganda eſt conſequentia: nam ex eo quod ex accidenti aliquo extrinſeco, nẽpe ex paupertate vouentis, nõ poſſit vouens dictum votum diſiunctiuum, eligere materiam nõ reſeruatam dicti voti, ſcilicet elargitio dictæ eleemoſynę determinatę in dicto voto tali determinatę Eccleſię, non ſequitur, quod ex vi dicti voti teneatur per ſe eligere materiam reſeruatam voti, ſcilicet ſeruationẽ perpetuam caſtitatis: licet ad hoc teneatur per accidens, vt ſupra diximus: ideoque dictum votũ diſiunctiuum in dicto caſu non poteſt dici votum perfectę caſtitatis, et conſequenter neque incommutabile a Cõfeſſario vigore priuilegij bullę Cruciatę.

RESOLVTIO XXX.

Vtrum ille, qui emiſit votum diſiunctiuum caſtitatis, vel ieiunandi omnibus ſextis ferijs anni; ſi ſemel elegit libera ſua voluntate ſeruare caſtitatem quę eſt materia reſeruata dicti voti, poſsit Confeſſarius vigore bullę Cruciatę illi cõmutare dictum votum?

323 PRima ſententia negat poſſe Confeſſarium commutare vigore bullę Cruciatę votum diſiunctiuum caſtitatis, aut ieiunij, quando vouens ſemel elegit caſtitatem ſeruare perpetuã; ita Thomas Sãchez tom. 1. ſum. cap. 40. nu. 43. vbi ſic ait: at poſt electionem materię reſeruatę obligantem: iam pręcisè ad illam nequit Epiſcopus diſpenſare. Quia eſt quaſi noua voti reſeruati emiſsio: vbi citat pro hac ſententia Suarez tom. 2. de Religion. tract. de voto lib. 6. cap. 24. nu. 3. (immerito: tamen vt poſtea videbimus) et lib. 8. de

ma-

matr. disp. 9. nu. 14. Azorius to. 1. lib. 11. cap. 20. quæst. 10. Sayrus in claui regia lib. 6. cap. 11. n. 62. Sanctarell. de iubilæo qu. 8. sect. 1. nu. 92. Bonacina in 2. præcep. Decalogi disp. 14. qu. 2. punct. 7. §. 4. Fagundez in decalogum lib. 2. cap. 43. n. 8. Trullench. in decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 36. nu. 14. quos citat, & sequitur nouissimè Pater Magister Barnaba Gallegus in expl. bull. Cruc. cap. 9. clausula 9. part. 3. dubit. 156. versu aduiertase.

324 Fundamentum huius sententiæ est: quia qui emisit votum disiunctiuum seruandi castitatẽ, aut ieiunandi omnibus sextis seriis anni potest pro sua libertate quamcumque materiam dicti voti eligere, scilicet aut reseruatam, aut non reseruatam: atqui quando semel elegit materiã reseruatam, vt in casu præsenti, non potest amplius materiam non reseruatam dicti voti eligere: ergo tenebitur necessario seruare castitatem, quę est materia reseruata dicti voti, & consequenter non poterit Confessarius vigore bullæ Cruciatæ dictum votum cõmutare, quoad dictam materiam reseruatam; patet consequentia: quia ideò potest Confessarius vigore dictæ bullę Cruciatę commutare votum disiũctiuum de materia reseruata, & non reseruata: quia est in potestate vouentis eligere materiam reseruatam: vel non reseruatam: atqui postquam elegit materiam reseruatam: non potest non reseruatam eligere: ergo nõ est in potestate Confessarij in hoc casu dictum votum disiunctiuum, quoad materiam iam electam reseruatam cõmutare. Minor, in qua potest esse difficultas, probatur ex regula 21. de reg. iur. in 6. quod semel placuit amplius displecere non potuit: atqui vouens, vt supponitur: iam elegit partem reseruatam omittendo materiam non reseruatam: ergo dum vouens determinauit se eligendo partẽ reseruatam dicti voti, quæ quidem determinatio Deo creditori innotescit, non poterit vouens resilire: at per consequens dictum votum erit incommutabile à Confessario: etiam virtute bullæ Cruciatæ.

325 Secunda, & probabilior sententia affirmat posse Confessarium vigore bullæ Cruciatæ dictum votum disiunctiuum de materia reseruata, & non reseruata commutare: etiam quando vouens iam elegit materiam reseruatam dicti voti: nempe castitatem seruare; dum tamen illa electio sit electio simplex, & non confirmata noua, & explicita promissione seruandi castitatem: ita Suarez tom. 2. de Religione cap. 24. nu. 3. qui distinguens ait, quod si mutatio fiat per electionem vouentis; quatenus post primum votum emissum voluntariè, determinat suã obligationem ad alteram partẽ voti reseruatam, & hoc per solũ propositum exequendi votum in parte materiæ reseruatę; quãdiù sistitur in solo proposito votum non mutatur, nec eius obligatio: quia propositum illud nõ inducit obligationem: vnde, & mutari potest sine speciali peccato, & non redditur votum minus dispensabile: quam antea erat: si autem mutatio, seu determinatio ista fiat per absolutã voluntatem; qua vouens vult se obligare ad hanc partem reseruatam: tunc emittitur: quasi nouum votum, & non poterit vouens resilire; ac proindè votũ erit reseruatum, hæc Suarez;

quarè malè citatur pro oppoſita ſententia à Doctoribus oppoſitæ ſeutentiæ. Hanc eamdem ſententiam docent Malderus in 2. 2. Diui Thomæ trac. 10. cap. 5. dub. 10. nu. 4. caſu 4. licet eum citet Pater Magiſter Gallegus c. 15. dict. tract. Filliucius tom. 1. tract. 26. cap. 10. nu. 272. Layman in Theolog. moral. lib. 4. tract. 4. cap. 8. nu. 12. vbi ſic ait: alia vero ratio eſt, poſtquam ipſemet vouens obligationem ſuã, quæ principio indeterminata erat, determinauit ad eam partem, quæ reſeruata eſt; idque non ſimplici tantum propoſito, ſed cum voluntate ſe obligandi, ſeu vt potius priorem obligationẽ determinandi, &c. Caſtropalao tom. 3. diſp. 2. punct. 11. nu. 6. Et licet pro contraria sẽtentia nonnulli Doctores citent Filliucium; nihilominus abſque dubio ſtat pro noſtra ſententia: nam ipſe cum Suarez expreſſe ait, quod ſi vouens ſe determinauit ad partem reſeruatam, & id non ſimplici tantum propoſito, ſed cum voluntate ſe obligandi; tunc reſilire non poteſt, & votum erit reſeruatum. Pater Andreas Mendo in expoſit. bull. Cruc. diſp. 26. cap. 10. Quintanaduenas de iubilæo duarum hebdomadarum cap. 12. nu. 15. Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza in vniuerſa Theolog. moral. to. 1. lib. 7. de bull. Cruc. ſect. 2. cap. 34. probl. 81. num. 705. & 706. Pater Antoninus Diana par. 1. tract. 11. reſol. 65. & par. 10. tract. 8. reſol. 27. Boſſius de iubilæo ſect. 2. caſu 11. n. 7. Moronus reſponſ. 98. nu. 376. Trullench. in expoſit. bull. Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14. num. 6. in fine Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 1. tract. 5. diſp. 14. quæſt. 143. P. Franciſcus Bardi in explic. bull. Cruc. par. 2. tract. 7. cap. 2. ſec. 5. §. 2. nu. 70. D. Carolus Latius in dilucidat. bullæ Cruc. diſp. 8. quæſt. 2. difficult. 11. nu. 60.

326 Probatur noſtra ſentẽtia: quia qui vouit diſiunctiuè ſeruare caſtitatem, aut ieiunare omnibus ſextis ferijs anni ad hoc, vt teneatur ſeruare vnam partem dicti voti, neceſſe eſt, vt quando vnam ex illis partibus dicti voti eligit, eligat illam animo ſe obligandi ad talem partem, & nõ ad aliam: quia nudum, & ſimplex propoſitum, quo homo determinat aliquod obſequiũ Deo præſtare non cenſetur obligare ad illud obſequium exhibendũ: neque à Deo ius aliquod acquiri ratione illius propoſiti: niſi aliunde ſit obligatio præſtata à dicto homine determinante dictum obſequium præſtare Deo; atqui in noſtro caſu, qui fecit votum diſiunctiuum circa vtrãque materiam reſeruatam, & nõ reſeruatam poteſt dupliciter electionem facere partis reſeruatæ. Ptimo per ſolum propoſitum exequendi votum in parte materiæ reſeruatæ. Secundo per abſolutam voluntatem ſe obligandi ad partem materiæ reſeruatam: ergo ſi primo modo ſe determinet vouẽs ad materiam reſeruatam, non mutatur votũ, nec obligatio eius, & conſequẽter erit cõmutabile vigore bullæ Cruciatæ, quia propoſitum illud non inducit obligationem, vnde & mutari poteſt ſine ſpeciali peccato, & non reddit votum minus diſpenſabile, quam antea erat, hoc eſt, antequam vouens ſe determinaret, ſeu eligeret per ſolum ſimplex propoſitum votũ exigui in parte materiæ reſeruatæ. Licet ſi ſecundo modo fecerit electionem, ſcilicet per abſo-

lu-

lutam voluntatem ſe obligandi ad partem reſeruatam materiæ dicti voti, non poſſit à dicta electione reſilire: nec votum maneat commutabile à Confeſſario etiam vigore bullæ Cruciatę. Quia tunc quaſi nouum votum emittitur, & contrahitur, ac determinatur obligatio ex cõſenſu partium, quæ & ideò mutari amplius nõ poterit arbitrio vouentis, ſed tenetur implere voluntatem in parte, quam decreuit: ideòque iam illud votum eſt ſimpliciter caſtitatis: ac ſubinde reſeruatum, & conſequenter incommutabile vigore pripilegij bullæ Cruciatæ.

Ad fundamentum oppoſitæ
327 ſententiæ reſpondetur concedẽdo maiorẽ, & diſtinguendo minorem, poſtquam elegit partem reſeruatam non poteſt amplius partem non reſeruatam eligere, ſi vouens elegit partem reſeruatam dicti voti per ſolum propoſitum exequendi illud in parte materiæ reſeruatæ: nego minorem, ſi fecit electionem partis materiæ reſeruatæ per abſolutã voluntatem ſe obligandi ad dictam partem materiæ reſeruatæ, concedo minorem, nam vt ſupra diximus in probatione noſtræ ſententiæ: quando vouens per ſimplex propoſitum elegit executionem voti in parte materiæ reſeruatæ ſiſtendo in ſolo propoſito pertinente ad executionem voti, non mutatur votum; neque obligatio eius, neque illa electio inducit nouam obligationem, ideoque mutari poteſt ſine peccato. Quod non euenit, quando electio facta à vouente de parte reſeruata dicti voti fit ab eo per abſolutam voluntatem ſe obligandi ad dictam partem reſeruatam materiæ voti, quia tunc efficitur, quaſi nouum votum, atque adeo dicta voluntas mutari amplius nõ poteſt arbitrio vouentis, & tenetur implere votum in illa parte, quã decreuit, quia per illam nouam voluntatem ſe obligandi ad illud votum quoad partem reſeruatam, nempe quo ad caſtitatẽ obſeruandam, remanet dictum votum ſimpliciter caſtitatis, & conſequenter reſeruatum, & incommutabile. Vnde in eodem ſenſu, & ſub eadem diſtinctione neganda eſt conſequentia. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo, concedendo maiorem, & negando minorem ſub diſtinctione ſuperius data, ad cuius probationem dico cum erudito Patre Franciſco Bardi, quod illa regula 21. de regul. iur. in 6. quod ſemel placuit, &c. plures patitur exceptiones, quæ à Gloſa ibidem explicantur, & inter alia ponit exceptionem vniuerſalem, nempe fallere hanc regulam in omnibus caſibus, in quibus permittitur pœnitere à iure, vel variare, &c. cum ergo in iure permittatur receſſus à puro, & ſimplici propoſito, quia multa ſuperuenire poſſunt, ob quæ expediat illud mutare. Et licet interdum alteri manifeſtetur, niſi id fiat per modum promiſſionis acceptæ ab eo, cuius intereſt, non habet vim obligãdi, quapropter etiam ſi Deus videat propoſitum vouẽtis in ordine ad materiam reſeruatam; nihilominus nudum, & ſimplex propoſitum, neque eſt promiſſio, neque reſpectu Dei eſt locutio, & per conſequens nulla reſultabit in vouente obligatio, ex eo præcisè, quod abſque noua promiſſione determinet ſe ad partem illam reſeruatam.

RESOLVTIO XXXI.

Vtrum votum disiunctiuum cõstans ex vtraque parte reseruata, vt si quis v. g. voueat, vel ingredi religionem, vel perpetuam castitatem seruare possit vigore bullę Cruciatę à Confessario commutari?

328 AFfirmatiuam sententiam sustinet Pasqualigus in praxi magni iubilęi, ac etiam extraordinarij quęst. 301. Cuius fundamentum est, quia vota pœnalia, & conditionalia de materia reseruata non sunt reseruata, sed possunt commutari: ergo etiam est commutabile votum disiunctiuum, etiam si cõstet ex materia reseruata pro vtraque parte, scilicet vt quando quis emisit votum ingrediẽdi religionem, vel seruandi perpetuam castitatem: antecedẽs docent Suarez tom. 2. de Religion. lib. 6. de voto cap. 23. n. 1. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 10. n. 8. & in summ. lib. 4. cap. 40. n. 91. Ludouicus à Cruce disp. 1. in bull. Cruc. cap. 6. dub. 8. n. 4. & plures alij à nobis postea citãdi resol. sequenti, quia votum pœnale castitatis, aut religionis non elicitur per se primo ex amore materię ipsius voti, sed solùm tanquam media pro assequendo fine, quem intendit vouens, dum sibi pręfixit pœnam, si non peruenerit ad finem intentum. Consequẽtia vero probatur, nam votum disiunctiuũ castitatis, vel ingressus religionis est imperfectum in ratione promissionis, & obligationis. Cum enim voluntas sit illa, qnę perficit actum: vt tradunt Glosa in l. si fil. C. de donat. ant. nupt. & in l. omn. verb. volũt. C. cõm. de legat. & in cap. super abbat. de offic. deleg. vbi etiam Bald. & cons. 226. lib. 1. Crauett. de antiq. temp. par. 1. princ. part. c. 4. n. 52. Menoch. cons. 1. n. 259. & communiter, cum in pręsenti non adsit perfecta voluntas: quia non est determinata, nec ad vnam: nec ad aliam partem voti disiunctiui emissi, consequẽter nec promissio est determinata, vnde indiget determinatione, tanquam perfectiuo, & complemento, nec etiam aderit votum perfectum, & obligatio perfecta; ergo tamquam votum imperfectum non continetur sub reseruatione.

329 Confirmatur. primò quia votum disiunctiuum antequã fiat electio vnius partis non est perfectum, & completum, quia nondum est de materia determinata, sed determinanda; ergo non est sufficiens, vt inferre possit exequutionem: ergo non dũ est votum completè emissum; sed est veluti adhuc in fieri, quia debet determinari ad alteram partem: vt possit exequutioni mandari, ac proinde non venit nomine voti stricte accepti, vt notat Menoch. cons. 133. n. 12. Actus qui perfectionem non habet, & est adhuc in fieri non meretur nomẽ actus. Atqui votum, quod non est complete emissum, sed est veluti in via, seu in fieri: non potest dici reseruatum; ergo cum votum disiunctiuum castitatis, vel religionis, antequam vouens determinetur ad vnam, vel alteram partem dicti voti, non sit completè emissum: sed veluti adhuc in fieri, non continetur sub reseruatione; patet hęc vltima consequentia, quia cum reseruatio sit strictè accipienda: solũ se extendit ad votum strictè accep-

ceptum, & cum proprietate.

330 Confirmatur ſecundo: quia votum diſiunctiuum habet tacitam conditionem reſpectu vtriuſque partis; ſi vouens illam eligat: ac proinde ante electionem, neque ad vnam, neque ad alteram partem obligat: ſed ſolum de præſenti obligat ad eligendam vnam, aut alteram partem: ergo non eſt votum reſeruatum; probatur conſequentia, quia: neq; eſt determinatè votũ obligandi ſe mediante electione, aut ad Religionem, aut ad caſtitatem: ſi votum diſiunctiuum ſit de ingreſſu Religionis, aut caſtitatis ſeruandæ: atqui reſeruatio; ſolum cadit ſupra votum, quod eſt determinate de caſtitate aut Religione: ergo votum diſiunctiuum caſtitatis, vel Religionis non eſt reſeruatũ, & conſequenter eſt commutabile vigore bullæ Cruciatæ.

331 Secunda ſententia negat votum diſiunctiuum de materia neceſſaria pro vtraque parte v. g. Religionis, vel perfectæ caſtitatis eſſe commutabile à Confeſſario vigore bullæ Cruciatę: ita Thoma Sanchez tom. 1. ſum. lib. 4. c. 40. n. 42. & Suarez tõ. 2. de Relig. tr. de voto lib. 6. c. 24. n. 1. & 2. Ludouicus à Cruce de expoſit. bull. Cruc. diſp. 1. c. 6. dub. 15. n. 5. in fine. P. Frãciſcus Bardi in ſelectis lib. 5. quæſt. 12. nu. 36. vbi ſic ait: dicendum eſt cũ hac ſecunda ſententia, quam puto certam, nam prior illa, quam tuetur Paſqualigus non videtur ſolido fundamento niti, vt mox ex ſolutione eius argumenti patebit: probari autem poteſt noſtra concluſio ratione, qua vtũtur Authores citati: aliquanto fuſius eam applicando tali pacto. Quoties tota materia voti eſt reſeruata: toties votum ipſũ eſt reſeruatum; ſed votum diſiunctiuum, de quo agimus ex ſuppoſitione, habet totam materiam reſeruatam: ergo votum diſiunctiuum, de quo agimus, eſt reſeruatũ, & per conſequẽs commutari non poterit virtute iubilæi. Probatur maior: nam votum recipit reſeruationem, aut negationem eiuſdem à materia, circa quam verſatur, vnde ſi materia erit reſeruata; ipſum quoque reſeruatum erit. Hæc Eruditus Bardi. Quam ſententiam etiam docet in explicatione Bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 7. cap. 2. ſect. 5. §. 1. concl. 2. n. 66. P. Antoninus Diana par. 11. tract. 7. reſol. 17. D. Carolus Latius in dilucidatione bull. Cruciatæ diſp. 8. qu. 2. difficult. 9. n. 52.

332 Fundamentũ huius ſententię eſt: quia vouens diſiunctiuè caſtitatem, vel Religionem tenetur ex vi dicti voti de præſenti vnam, vel alteram partem materiæ dicti voti eligere: atqui materia dicti voti, quoad vtramque eius partem eſt reſeruata: ergo dictum votum; quoad vtramq; partem eius eſt reſeruatum, & conſequenter non eſt commutabile vigore priuilegij bullæ Cruciatæ. Maior eſt certa, & vt talis conceditur à Paſqualigo loco ſuperius citato. Minor verò ex ſe eſt manifeſta, vt patet, & conſequentia probatur: quia vt votum ſit reſeruatum duo requiruntur, primum eſt, vt materia talis voti ſit reſeruata: ſecundũ eſt, vt vouens abſolutè, & determinatè ad talem materiam reſeruatam ſe obliget: atqui in voto diſiunctiuo caſtitatis, vel Religionis, de quo in præſenti loquimur, hæc duo reperiuntur, & quod tota materia dicti voti pro vtraque parte ſit reſeruata, & quod vouens abſolutæ, & determi-

minatè ſe obliget ad talem materiam genericè ſumptam; ergo dictum votum diſiunctiuum, de quo loquimur totum eſt reſeruatum, & conſequenter incommutabile vigore bullæ Cruciatæ.

333 Dicendum eſt primò, primam ſententiam affirmantem votum diſiunctiuum de materia reſeruata; quoad vtramque eius partem v. g. votum caſtitatis, vel ingreſſus Religionis eſſe cõmutabile vigore bullæ Cruciatę: antequam ſic vouens ſe determinet ad vnam, vel alteram partẽ eſſe probabilẽ, & tutam in praxi. Probatur hæc concluſio: quia illa opinio dicitur probabilis, & tuta in praxi, quæ affirmatur; ſaltem ab vnico Doctore ſapienti, & nititur fundamentis: ſatis probabilibus, quæ dictam opinionẽ ſuadeant, & ornata eſt doctrina, & Doctoribus, qua facile poſſit reſoluere fundamenta opinionis contrariæ; atqui dicta prima opinio eſt huiuſmodi; ergo dicenda eſt probabilis, & tuta in praxi. Maior communiter conceditur à Doctoribus, vt latè diximus in tractatu pœnit. vbi cum ſaniori parte Doctorum aſſeruimus opinionem vnius Doctoris periti in ſcientia, & timoratæ conſcientiæ debere dici probabilem: præcipuè quando nititur fundamentis, & rationibus, quibus ſuadetur eius probabilitas, & reſponſum præbet fundamentis contrarijs. Cum autem Eruditus Pater Zaccharias Paſqualigus ſit ſatis peritus in S. T. tam morali, quam Scholaſtica, vt eius opera declarant, & manifeſtant: ſatis eſt eius authoritas, vt dicta eius opinio dicatur probabilis, & tuta in praxi, præcipuè cum præterauthoritatem tanti Doctoris habeat in ſui fauorem ſufficientiſſimum fundamentum, quo eius probabilitas, & ſecuritas in praxi ſuadetur. Ex quibus patet probatio minoris, quoad primam eius partem. Minor autem quoad ſecundam eius partem, ſcilicet, quod dicta prima opinio ſit ornata doctrina Doctorum, qua facile poſſit fundamentum contrarium reſolui, non melius probabitur: quam reſpondendo ad fundamentum ſecundæ ſententiæ huic ex diametro oppoſitę.

334 Incipiendo igitur à ratione, qua nititur Pater Frãciſcus Bardi ad probandam oppoſitam sẽtentiam in ſelectis lib. 5. quæſt. 12. n. 36. quã ſupra retulimus n. 329. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, quoties tota materia voti eſt reſeruata, toties votum eſt reſeruatum, ſi promiſſio, & obligatio vouentis ſit perfecta voluntas ſe determinandi ad talem materiam reſeruatam voti ſecundam ſpeciem, concedo maiorem, quoties tota materia voti eſt reſeruata: toties votum eſt reſeruatum, ſi non adſit perfecta voluntas vouentis ſe determinantis ad materiam dicti voti ſecundum ſpeciem: nego maiorem: cum autem in dicto voto diſiunctiuo caſtitatis, vel Religionis (& ſimiliter dicendum eſt de alijs votis diſiunctiuis, quæ conſtant ex materia neceſſaria pro vtraque parte) antequam vouens ſe determinet, & eligat alterutram partem dicti voti, nõ ſit voluntas ſic vouentis determinata, nec ad vnam, nec ad aliam partem dicti voti diſiunctiui, conſequenter, nec promiſio dicti vouentis erit determinata: vnde indiget determinatione: tanquam perfectiuo, complemento, & dum hæc non adeſt, nec etiam erit votum perfectum,

ctum, & obligatio perfecta, ac proinde tãquam votum imperfectum non continebitur ſub reſeruatione, & conſequenter erit commutabile vigore bullæ Cruciatę. Ad probationem maioris reſpondeo diſtinguendo antecedens, votum recipit reſeruationem à materia neceſſaria, circa quam verſatur: præciſe nego antecedens, à materia circa quam verſatur, & à promiſſione, & obligatione perfecta, & determinata vouentis ad dictam materiam neceſſariam in ſpecie; concedo antecedens, & nego conſequentiam propter rationem allegatam in fundamento primę ſententiæ, quæ ſatis demoſtrat probabilitatem huius ſolutionis.

335 Ad fundamentum autem poſitum pro ſecunda ſententia, reſpondetur: concedendo maiorẽ, & minorem, & negando conſequentiam, & ad eius probationem reſpondeo: diſtinguendo maiorem; quoad ſecundam partem, vt vouens abſolutè, & determinatè ad talem materiã reſeruatam ſe obliget: ideſt ad talẽ materiam genericè ſumptam: nego maiorem quoad dictam partem; vt abſolutè, & determinatè ſe obliget ad talem materiam reſeruatam in ſpecie, concedo maiorem, quoad dictam ſecundam partem. Cum autem volũtas vouentis dictum votum diſiunctiuum caſtitatis, vel Religionis: dum vouens non eligit efficaciter alteram ex dictis partibus: non ſit determinata ad materiam reſeruatam dicti voti, ſecundum ſpeciem, ſed genericè tantum; ideo dicta promiſſio nõ ſufficit ad conſtituendum dictũ votũ perfectum in ratione promiſſionis, & obligationis, & cõſequenter votum remanet imperfectum, & non continetur ſub reſeruatione, & incommutabilitate; ideoque poteſt dictũ votum commutari vigore bullæ Cruciatæ. Ex quibus probata manet minor probationis pro prima concluſione, quoad ſecũdam eius partem, & relinquitur adæquatè probatum; primam ſententiam eſſe probabilem, & tutam in praxi.

336 Dicendum eſt 2. ſecundam opinionem tutiorem, & probabiliorem eſſe: tum ob multos, & graues DD. qui eam tenent: tum etiam: quia efficacioribus fundamentis nititur; quam prima sẽtentia, vt ex ſolutione argumẽtorum pro prima ſententia factorum conſtabit.

337 Ad fundamentum primę sẽtentię reſpondetur; omittendo antecedens, (de quo poſtea ſequentibus reſolutionibus) & negando conſequentiam. Ad probationem conſequentiæ reſpõdetur: negando votum diſiunctiuum caſtitatis, vel Religionis eſſe imperfectum in ratione promiſſionis, vel obligationis; quia ad hoc vt dictum votum perfectum ſit in ratione promiſſionis, & obligationis: ſatis eſt, vt vouens dictum votum habeat voluntatem abſolutam, & determinatam ſe obligãdi ad dictam materiam reſeruatam voti diſiunctiui caſtitatis, vel Religionis genericè ſumptam: quam certè habet; antequam ſe determinet ad alterutram partem dicti voti diſiunctiui: ideoque manet obligatus vi dicti voti vnam, vel alteram partem neceſſariam eligere: in quo diſtinguitur votum diſiunctiuum de materia reſeruata, quoad totum, aut reſeruata, quoad vnam partem, & non quoad aliam à voto non diſiunctiuo, ſiue de materia reſeruata ſit, ſiue non: nam in voto

non

non disiunctiuo eo ipso, quod vouens emittit votum manet obligatus de præsenti ad obseruationem materiæ dicti voti, siue reseruata sit, siue non: in voto autem disiunctiuo: siue de materia reseruata sit: siue non: non manet obligatus de præsenti ad aliquam partem, seu materiam dicti voti, secundum speciem: sed solum ad eligendam quamlibet partem, siue materiam dicti voti genericè sumptam: vnde infertur dictum votum disiunctiuum de materia reseruata, quoad totum esse verum, & perfectũ votum in ratione voti disiunctiui; antequam vouens vnam, vel alteram partẽ materiæ dicti voti eligat. Cum autem votum disiunctiuum castitatis, vel Religionis de quo in præsenti loquimur cõstet ex vna parte ex materia tota reseruata, & ex alia habeatur voluntas vouẽtis se obligantis absolutè ad obseruationẽ dicti voti, quoad dictam materiam genericè sumptam rectè infertur dictum votum esse absolutè, & simpliciter reseruatũ, & consequenter non commutabile à Confessario vigore bullę Cruciatæ.

338 Ad primam confirmationem respondetur: negando antecedens; quia ad hoc, vt votum disiunctiuum sit perfectum votum, non est necessarium, quod sit de materia determinata secũdum speciem, sed sufficit, quod sit de materia determinata genericè, & determinanda secundum speciem ex vi dicti voti disiunctiui, quod quidem votum non obligat de præsenti ad exequutionẽ determinatæ materiæ dicti voti: sed solum obligat de præsenti ad eligendam quamcumque partẽ materiæ dicti voti, quam vouẽs maluerit, in quo distinguitur à voto non disiunctiuo. Vnde falsum est asserere dictũ votũ in suo genere, & specie voti disiũctiui nõ esse votũ cõpletũ, & in facto esse sed solũ in fieri! cũ ex natura sua solum petat debere determinari non ad alteram partem dicti voti secundum speciem: sed dũtaxat secundum genus: licet, vt vouens maneat obligatus ad exequutionem dicti voti disiunctiui in actu secundo: seu in exercitio requiratur determinatio ad 339 alteram partem dicti voti disiũctiui secundum speciem.

Ad secundam confirmationẽ respondetur cum Patre Francisco Bardi in selectis lib. 5. quęst. 12. superius citata: concedendo in voto disiunctiuo implicitè cõtineri conditionem respectu vtriusque partis; quatenus vouẽs in sua manet libertate ad eligendam potius vnam partem, quã alteram: ex hoc autem non sequitur tale votum non esse reseruatum: si tota materia est reseruata, quia tunc vouens, qui necessario tenetur vi dicti voti disiunctiui vnam eligere partẽ dicti voti, quamcumque pro sua libertate eligat est de materia reseruata: cum totum votum sit de materia reseruata; & ita necesse est, vt totum votum à suo principio, & origine sit reseruatum; neque ex tali libertate vouentis, qua potest vnam, vel alteram eligere partem dicti voti: sequitur, quod votum sit imperfectum, & indeterminatum, vt ex supradictis in fauorem huius secundæ sentẽtiæ apertè cõstat.

RESOLVTIO XXXII.

Vtrum vota pœnalia Religionis & castitatis possint commutari virtute priuilegij Bullę Cruciatæ?

Pro

340 PRo decisione huius resolutionis: notandum est. Primo votũ pœnale esse illud, per quod quis se obligat ad aliquid in pœnam alicuius propriæ actionis, quam intendit punire mediante eo, ad quod per votum se obligat, vt cum Soto lib. 7. de iust. & iur. quæst. 2. art. 1. ad 4. & Sãchez lib. 8. de matr. disp. 10. n. 1. notat Pasqualigus de iubileo qu. 295. n. 1. vnde votum non procedit ex affectu erga materiam ipsius voti pœnalis; sed ex affectu illius boni cui opponitur trãsgressio, quam vult vouens punire mediante tali voto; quare materia voti est potius contra inclinationem vouentis: cum ad eam se obliget tanquam afflictiuam, & punitiuã, & non sit volũtaria: nisi secundum quid tantũ.

341 Secundo notandum est, quod votum pœnale potest esse vnicum, vel duplex. Tunc vnicum erit: si solum versetur circa pœnam, quæ assumitur, vt si quis dicat nolo ludere, & si lusero, in pœnam voueo castitatem. Tunc vero erit duplex: si votum cadat: non solum supra pœnam; sed etiam supra id, quod quis sibi interdicit sub tali pœna, vt si quis dicat voueo non ludere, & si lusero voueo ingredi Religionem. Vt autem votum sit pœnale non procedere debet ex affectu ad materiam voti: nam tunc transiret in conditionale sed debet assumi illa materia, tãquam pœnam pœnæ: ac proindè tanquam aliquid contra inclinationẽ vouentis. Quod regulariter fit: dũ interuenit affectus vitãdi aliquid, quod vouẽs sibi interdicit. Quibus ita suppositis.

342 In hac difficultate tres versantur sententiæ. Prima negat posse votum pœnale commutari à Cõfessario vigore bullę Cruciatæ si votum sit tantum vnicũ, vt si quis v. g. sic voueat, nolo ludere, & si lusero voueo castitatem, aut religionem, affirmat tamen posse commutari à Confessario vigore bullæ Cruciatæ votum pœnale castitatis, aut Religionis, si dictum votum pœnale non sit vnicum, sed duplex, vt si quis ita voueat, voueo non ludere, & si lusero voueo castitatem, aut voueo religionem ingredi, ita Nauarrus in manuali cap. 20. nu. 43. Azorius par. 1. lib. 11. cap. 19. quæst. 13. & alij, quos tacito nomine refert Philiarcus de officio Sacerdotis tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 22. versu penultimo, quorum opinio probabilem iudicat.

343 Probatur prima pars huius sẽtentiæ, nempè non posse Confessarium vigore bullæ Cruciatę commutare votum pœnale castitatis, aut religionis, si vnicum tantum sit, quia votum castitatis, vel religionis est reseruatum Summo Pontifici, ita vt nec Episcopus, nec Confessarius vigore bullæ Cruciatæ possint in dicto voto dispensare; atqui lex reseruationis non distinguit de pœnalibus, aut non pœnalibus, cum absolutè reseruet vota castitatis, & religionis, ergo nec nos distinguere debemus, ergo cum in bulla Cruciatæ excludãtur vota castitatis perpetuæ, aut religionis debent accipi vt absolutè excluſa, etiamsi pœnalia sint, & consequenter votum pęnale castitatis, aut religionis nõ erit commutabile vigore bullę Cruciatæ. Secunda verò pars dictæ sententiæ, scilicet, quod votum pœnale castitatis, aut religionis possit commutari, si interueniat duplex votum, vnũ circa rem in conditione positã, & alterum circa pœnã, seu circa

caſtitatē, aut religionē ante impletam conditionem. Probatur: quia in hoc caſu votum caſtitatis, aut Religionis eſt acceſſoriū ad votum principale de re in cōditione poſita: ergo poteſt commutari facta commutatione voti principalis ante impletam cōditionem, nam ea impleta fit votum abſolutum.

344 Secunda ſententia affirmat poſſe commutari votum pœnale caſtitatis, aut religionis ante impletam conditionem, non autem ea impleta, ita Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. quæſt. 2. art. 1. ad 4. Graf. par. 1. deciſionum lib. 2. cap. 28. n. 3. Rodriquez in bull. Cruc. §. 9. nu. 122. Couarruuias in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 3. n. 12. de pact. Corduba in ſumm. quæſt. 152. Baſilius Pontius Legionenſis lib. 8. de matr. cap. 9. n. 10. Alcozer tract. de Iudo cap. 13. concl. 9. Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 40. dub. 13. n. 106. Guttierrez lib. 2. Canonicarum quæſtionum cap. 22. n. vltimo. Zanardus par. 2. directorij cap. 52. Azorius par. 1. lib. 11. cap. 10. quæſt. 3. & cap. 19. quæſt. 3. Llamas 3. par. metodi cap. 4. §. 40. Acoſta in bull. Cruc. quæſt. 73. propoſit. 3. & nouiſſimè Pater Antonius de Eſcobar, & Mendoza in vniuerſ. Theolog. moral. par. 1. lib. 7. de bull. Cruc. ſect. 2. cap. 34. problem. 70. n. 673.

345 Prima pars huius ſententiæ ab omnibus Doctoribus conceditur, vno excepto Nauarro. Secunda autem pars dictæ ſententiæ probatur, quia Confeſſarius vigore bullæ Cruciatæ non poteſt commutare votum abſolutū caſtitatis, aut religionis, vt certum eſt apud omnes: atqui votum pœnale caſtitatis, aut religionis impleta conditione tranſit in abſolutum, ac ſi nunquam præceſſiſſet cōditio argumento tex. in l. potius C. qui pot. in pig. hab. ergo cum votum abſolutū caſtitatis, aut religionis ſit indiſpenſabile, & incommutabile, nō poterit Confeſſarius illud commutare vigore bullæ Cruciatæ, ergo nec poterit commutare votum pœnale caſtitatis, aut religionis poſt impletam conditionem, cum conditione impleta tranſeat in votum abſolutum caſtitatis, aut religionis.

346 Neque obſtat, quod huiuſmodi votum pœnale, caſtitatis, aut religionis non fuerit emiſsū ex primario affectu caſtitatis, aut religionis, ſed ex affectu vitandi peccatum, aut ex voluntate circa aliquam conditionem, & Pontifici ſolum reſeruentur ea vota, quæ quis emittit ex affectu primario erga caſtitatem, aut religionem. Hoc inquam non obſtat, quia non eſt idoneum aliquod fundamentum (inquit Pontius Legionenſis) ad aſſerēdam hanc reſtrictionem huius reſeruationis, cum abſolutè reſeruentur prædicta vota, ſi ſint pura, & abſoluta. Quod autem dicitur de primaria, vel ſecundaria intentione, ad eſſentiam voti nihil omninò refert, cum obligatio voti tātum exigat ſufficientem libertatem, & conuenientem materiam. Alias autem quando quis intuitu commoditatis temporalis, vel propter mortem vitandam, aliàs non facturus, commotus eſt ab intrinſeco, vouet Religionem, aut caſtitatem, eſſent diſpenſabilia vota, cum tunc non ſint facta ex primario affectu religionis, aut caſtitatis; ſed ex affectu commoditatis temporalis, vel ex affectu vitandi mortem.

347 Tertia, & probabilior ſentē-

tia

tia affirmat poſſe cõmutari vota pœnalia caſtitatis, aut religionis vigore priuilegij bullæ Cruciatæ, non ſolum ante impletã conditionem, ſed etiam poſt impletam, ita docent Henriquez lib. 7. ſumm. cap. 30. n. 6. & in Gloſa litera A. Medina lib. 1. ſumm. cap. 14. §. 6. & 12. quæſt. 96. art. 4. ad 2. Aragon. in 2. 2. Diui Thomæ quæſt. 88. art. 12. poſt 6. concl. Toletus lib. 4. cap. 18. n. 11. Sayrus in claui regia lib. 6. cap 11. n. 72. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 10. n. 8. & tom. 1. ſumm. lib. 4. cap. 40. n. 9 1. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 23. n. 1. iuncto n. 6. Bonacina diſp. 4. de præceptis quæſt. 2. punct. 7. §. 4. n. 17. verſu dixi modò Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 9. Filliuccius tract. 26. cap. 9. num. 270. Homobonus par. 1. exam. tract. 7. quæſt. 57. Malderus in 2. 2. Diui Thomæ tract. 10. cap. 5. dub. 10. verſu nota Barboſa de poteſtate Epiſcopi par. 2. allegat. 37. n. 7. Sanctarell. de iubilæo cap. 11. dub. 1. Aſcanius Tamburinus tom. 2. de iure Abbatum diſp. 18. quæſt. 8. nu. 39. Barthol. à Sancto Fauſto lib. 3. theſauri religionis quęſt. 107. n. 4. & lib. 4. de iubilęo quæſt. 164. Sà verb. voti irritatio n. 11. Reginaldus lib. 18. praxis fori pœnit. nu. 337. Ludouicus Lopez par. 1. directorij cõſcientiæ cap. 44. §. ſi autem ſub forma Fernãdez par. 3. exam. Theolog. moral. cap. 9. ſect. 2. §. 17. num. 9. Boſſius de iubilæo ſect. 2. caſu 10. n. 29. Trullench in bull. cruc. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 6. nu. 13. & in decalogum lib. 2. cap. 2. dub. 40. n. 3. Ludouicus à Cruce in explicat. bull. Cruc. diſp. 1. cap. 6. dub. 8. nu. 4. Zaccarias Paſqualigus de iubilæo quæſt. 295. à n. 6. Pater Franciſcus Bardi in explicat. bull. Cruciat. par. 2. cap. 2. ſect. 2. n. 23. D. Carolus Latius in dilucidat. bull. Cruciat. diſp. 8. quæſt. 2. diffic. 2. n. 8. Rodriquez mutãs ſuam opinionem tom. 1. quæſt. regul. qu. 63. art. 7.

348 Prima pars noſtræ ſententiæ manifeſtè probatur: ſcilicet vota pœnalia caſtitatis, aut Religionis ante completam conditionẽ eſſe commutabilia vigore bullæ Cruciatæ: quia omnia vota pœnalia vltra propriam imperfectionem, quam habent: vt pœnalia ſunt, habent generalem ſuſpenſionem conditionalium: nã reuera conditionata ſunt; ergo nullum votum pœnale eſt reſeruatum non impleta conditione; ergo à fortiori vota pœnalia caſtitatis, & Religionis non ſunt reſeruata ante impletam conditionem: ergo poſſunt commutari à Confeſſario vigore bullæ Cruciatæ: Patet hæc vltima cõſequentia: quia omne votum: ſiue abſolutum, ſiue conditionale, ſiue pœnale conditionale, quod non eſt reſeruatum Sũmo Pontifici eſt commutabile vigore bullæ Cruciatæ: atqui votum pœnale caſtitatis, aut Religionis: vtpotè conditionatum, non eſt reſeruatum ante impletam conditionem: ergo in hoc ſtatu eſt commutabile à Confeſſario vigore bullæ Cruciatæ.

349 Sed dices votum pœnale caſtitatis, aut Religionis ante impletam conditionem non eſt votum caſtitatis, aut Religionis: ergo non poteſt commutari vigore bullæ Cruciatæ; probatur conſequentia, quia commutatio non poteſt verſari circa id, quod non eſt: atqui votum pœnale caſtitatis, aut Religionis ante incurſam pœnam non eſt votum

tum caſtitatis, aut Religionis: ergo ante incurſam pœnam non eſt commutabile vigore bullæ Cruciatæ. Reſpondetur diſtinguẽdo antecedẽs: votum pœnale caſtitatis, aut Religionis ante impletam conditionem, ſeu incurſam pœnam non eſt votum perfectum caſtitatis, aut Religionis, concedo antecedens: non eſt votum imperfectum, nego antecedens: nam dictum votum pœnale caſtitatis, aut Religionis ante impletam conditionẽ; ſeu incurſam pœnam obligat imperfectè ad materiam promiſsã: nempe vt eueniente promiſſione executioni mandetur: quare ante euentum, & conditionis ad impletionem non eſt integrum vouenti reſilire ab obligatione per votum ingrediendi Religionem contracta: at eo ipſo, quod non eſt perfectum, cenſetur non reſeruatum, & conſequenter cõmutabile vigore priuilegij bullæ Cruciatæ.

350 Secunda pars noſtræ ſententiæ: ſcilicet votum pœnale caſtitatis, aut religionis: eitam poſt impletam conditionem, ſeu incurſam pœnam nõ eſſe reſeruatum, & conſequenter poſſe cõmutari per bullam Cruciatæ varijs rationibus: probatur à Doctoribus citatis pro noſtra ſententia: ſed magis mihi placet ratio, quæ pro hac parte adducitur à Suarez dict. cap. 23. nu. 8. quæ ſic ſe habet: quia in voto pœnali vouens non intendit directè, & per ſe id quod vouet in pœnam, vt Religionem, vel caſtitatem; neque illud promittit intendens per ſe cultum Dei; ſed potius affectat vitare talem rem, 352 vt moleſtam, & pœnalem: ideòque illam promittit ſub tali conditione, vt ex affectu vitãdi pœnam cogatur vitare culpam, aut vitium; ergo ille, qui ſic vouet non vult religionem, aut caſtitatem, niſi valde materialiter, & imperfectè, ergo nunquam poteſt votum illud eſſe votum ſimpliciter Religionis, etiam conditione impleta. Antecedẽs, & prima conſequentia ſunt nota, ſecunda vero conſequentia probatur: quia votum religionis, aut caſtitatis ſimpliciter dictum ſignificat illud, quod factũ eſt ex affectu religionis, aut caſtitatis: ergo non eſt veriſimile voluiſſe Summum Pontificem reſeruare vota ſimili modo facta in quocumque ſtatu inueniantur.

Ad fundamentum primæ ſentẽtiæ pro prima eius parte (nam in ſecunda cõuenit cum noſtra) reſpondetur; diſtinguendo maiorem votum caſtitatis, vel religionis eſt reſeruatum ſi ſit propriè votum caſtitatis, vel religionis formaliter, concedo maiorem: ſi non ſit propriè, & formaliter votum caſtitatis, vel religionis, ſed tantum improprie, & materialiter, nego maiorem, Cum autem votum pœnale caſtitatis, aut religionis non ſit propriè, & formaliter votum caſtitatis, aut religionis, ſed tãtum impropriè, & materialiter, nam formaliter eſt votum punitionis, vt ex dictis in probatione ſecundę paatis noſtræ ſentẽtiæ conſtat, ideo dictum votum pœnale caſtitatis, aut religionis, non eſt votũ reſeruatum, ſiquidem in reſeruatione continentur tantum vota caſtitatis, & religionis, quæ ſunt propriè, & formaliter talia.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, quoad ſecundam eius partem reſpondetur, diſtinguẽdo maiorem, Confeſſarius non poteſt virtute bullæ Cruciatæ com-

commutare vota abſoluta caſtitatis, & Religionis: ſi ſint propriè, & formaliter talia: concedo maiorem; ſi non ſint propriè, & formaliter vota abſoluta caſtitatis, & Religionis: ſed tantum impropriè, & materialiter talia; nego maiorem. Et ſimiliter diſtinguo minorem: votum pœnale caſtitatis, aut Religionis: impleta conditione tranſit in votum abſolutum caſtitatis, aut Religionis, & non dependet amplius à conditione: ac ſi nunquam eſſet poſita, in votum abſolutum caſtitatis, aut Religionis propriè, & formaliter; nego minorem: impropriè, & materialiter: concedo minorem, & nego conſequentiam. Nam vt ſupra dictum eſt: ſolum continentur ſub reſeruatione vota Religionis, & caſtitatis, quæ ſunt formaliter talia; ideſt illa, quæ proueniunt ex intentione, & amore per ſe caſtitatis, & Religionis: vota autem caſtitatis, & Religionis pœnalia non ſunt talia per ſe primo abſolutè, & ſimpliciter; ſed tantum ſecundum quid: quia eligun tur, vt media in ordine ad certum finẽ: media autem quia ſtant ſub determinatione finis in eſſe morali ab ipſo denominantur, & actus circa media ſumit ſpecificationem à fine. Et proindè intentio, quæ verſatur circa finem: tanquam forma determinans omnes alios actus; tribuit denominationem. Hinc Ariſtoteles 5. ethicorum cap. 2. inquit, quod ſi quis mẽcatur furandi cauſa iniuſtus eſt: non autem intẽperans. Et ideò cum hæc vota pœnalia ſtent ſub alia intentione iuxta ipſam iudicanda ſunt, & non venient propriè, & formaliter per ſe primo nomine votorum caſtitatis, & Religionis; cũ non ſint ex intentione ipſarum, ſed ex alia; ſi quidem formaliter ſunt vota punitionis, vt ſupra diximus.

353 Ad inſtantiam autem Patris Magiſtri Baſilij Pontij Legionẽſis poſitam num. 343. quatenus doctrinæ ſuperius datæ opponitur. Reſpondeo negando nullũ eſſe idoneum fundamentum ad aſſerendum vota pœnalia caſtitatis, aut Religionis poſt impletam conditionem non ttanſire in vota abſoluta primario, & per ſe: ex eo quod non ſunt facta ex affectu, & amore per ſe primo, caſtitatis, aut Religionis, vt cõſtat ex ſuperius dictis. Neque ex hoc ſequitur, quod qui vouit religionem ob aliquam commoditatem temporalem, aut ad euitandam mortem nõ teneatur ad dictum votum: tanquam ad votum abſolutum Religionis: quia qui ſic vouit Religionem, emittit votum ex amore per ſe primario ipſius Religionis; licet hoc faciat ad euitandum mortis periculum, aut ob aliquam temporalem cõmoditatem: honoris videlicet, aut dignitatis, quæ poteſt acquiri medio ſtatu Religioſo: ſicut qui vouit ingredi religionem; ſi talia peccata commiſerit non in vindictam peccatorum; ſed vt in Religione vitet pericula, & occaſiones ſic peccandi videtur illud votum fieri ſufficienter ex affectu ad Religionem: ſaltem, vt eſt actum medium ad vitanda peccata, quod eſt optimum voti motiuum. Vnde tale votum videtur potius conditionatè purum, quam propriè pœnale, & non videtur fieri ex affectu cauẽdi obligationẽ; ſed ſolũ ex affectu cauẽdi peccata, & vtendi conueniẽti remedio circa illa: ſolumq; videtur pro tũc apponi conditio ad ſumendam ſufficientem experiẽtiam neceſ-

ſi-

ſitatis talis remedij; ideoque impleta conditione ſatis voluntarium, & conditionatum relinquitur votum Religionis; vt remedij, & medicinæ contra peccata, quod meritò cenſendum eſt votum ſimpliciter religionis, ac ſubinde reſeruatum.

354 Aduertendum tamen eſt cum Patre Frãciſco Suarez vbi ſupra nu. 9. differentiam eſſe inter votum factum ſub tali conditione de præſenti, aut de præterito ex parte affectus vouentis: nam quando iam ſupponitur peccatũ factum, vt ſi quis dubitans an in tali actu peccauerit mortaliter: ita voueat: ſi in hoc peccaui mortaliter, in vindictam talis peccati voueo ingredi religionem, voluntas religionis etiãſi ſit in pœnam eſt abſoluta ex ſolo affectu vouentis: ſolumque videtur oriri ex dolore peccati iam commiſſi, quod non repugnat perfectioni voti, ſic enim frequentes peccatores vouẽt religionem, vt poſſint penitentiam agere de peccatis, & alia, quæ ſunt perfecta vota, & reſeruata. At vero, quando conditio eſt de futuro: quia nõ dũ ſupponitur culpa, quæ eſt cauſa pœnæ: ideò promiſſio religionis à principio fuit facta ex affectu fugiendi illam, vt ita etiam vitetur peccatum, & in hac parte votum illud, vt eſt religionis eſt valdè imperfectum ſub ea ratione: ideoque non eſt propriè votum religionis formaliter: ſed tantum imperfectè, & materialiter, & ideo non reſeruatum: etiam poſt impletam conditionẽ, ſeu incurſam pœnam, atque adeò commutabile per bullam Cruciatæ.

(:†:)

RESOLVTIO XXXIII.

Vtrum vota purè conditionalia caſtitatis, aut religionis ſint commutabilia vigore bullæ Cruciatæ.

355 PRo maiori claritate huius difficultatis ſupponendum eſt, quod votum, vt ſic diuiditur in abſolutum, & conditionatum, abſolutum votum eſt illud, quod abſolutè, & ſimpliciter nulla adiecta conditione emittitur, v. g. voueo religionem, caſtitatem, &c. conditionatum autem votũ illud dicitur, quando aliquid Deo promittitur aliqua appoſita conditione, v. g. voueo religionem ſi Pater meus conſenſerit. Hoc autem votum conditionale ſubdiuiditur in votum cõditionale pœnale, & in votum conditionale non pœnale, ſeu merè conditionale. Conditionale pœnale eſt, quoties vouens minimè eſt affectus ad rem ſub pœna in voto promiſſam, & illã ſub conditione aliqua ſibi in pœnam proponit, vt eius incurrẽdæ timore arceatur, & à crimine quod vitare optet abſtineat, v. g. ſi quis promittat ſe non luſurum ſub pœna religionis, vel caſtitatis ſeruandæ, de quo voto egimus reſol. præcedenti. Votum merè conditionale eſt illud, quãdo res promiſſa non promittitur quaſi odioſa, & velut pœna vindicatiua, ſed vel quaſi contrahendo cũ Deo petendo ab ipſo aliquid, & ad incitandum Deum, offertur illi materia promiſſa, vt ſic Deus ad rem optatam concedendum alliciatur, v. g. ſi quis morbo oppreſſus, aut in alio periculo conſtitutus promittat religionẽ ſe ingreſſurum, aut ſeruaturum perpetuam caſtitatem.

tem. Aduertendum tamen eſt, quod ad id, vt votum conditionale ſit verum conditionale nõ ſufficit, quod conditionali modo explicetur; ſed debet re vera interuenire conditio, quæ ſe habeat propriè per modum conditionis, ita vt in exiſtentiam ipſius cõditionis refundatur obligatio voti, & proinde de ſe inſuſpenſo maneat vſque ad purificationem illius. Vnde neceſſe eſt, quod ſit ex natura rei extrinſeca voto, nec ipſi tacitè inſit, quia dum ineſt ex natura rei non facit actum conditionatum l. condit. extrin. ff. de condit. & demoſt. quia etiam ſi non apponatur ſubintelligitur, & proinde interuenit etiam in actu abſoluto, vnde ſi quis voueret religionem exequendam poſt annũ habet tacitam conditionem ſi viuat: & tamen votum eſt abſolutum, vnde ſi expreſſe apponatur talis conditio non reddit votum conditionale, ſed relinquit ineſſe abſoluto, quia expreſſio illius, quod tacitè ineſt nihil operatur.

In hac ſicut in præcedenti difficultate tres verſantur ſentẽtiæ: duæ ex diametro oppoſitæ, & altera: quaſi media viam tenens. Prima negat vota conditionalia caſtitatis perpetuæ, aut Religionis eſſe commutabilia virtute priuilegij bullæ Cruciatæ, ſiue conditio: ſit impleta: ſiue non ſit impleta: ita Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. quæſt. 2. art. 1. ad 4. Corduba in ſumm. quæſt. 152. Rodriquez in bull. Cruc. §. 9. n. 125. Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 12. verſu ſi quis autem quærat. Azorius par. 1. lib. 11. cap. 19. q. 13. Vegapar. 2. ſumm. cap. 126. caſu 21. Sanctarellus de iubilæo cap. 11. dub. 2. Barboſa part. 2. de poteſt. Epiſcopi allegat. 37. n. 6. Nauarrus in manuali cap. 12. nu. 43. Guttierrez lib. 2. quæſtionum canonicarum cap. 22. nu. vltimo Valentia tom. 3. diſp. 6. punct. 7. verſo item poſſunt.

Probatur 1. quia votum conditionale non pœnale caſtitatis, aut Religionis ſit propriè, & per ſe ex affectu caſtitatis, aut Religionis: ergo obligatio dicti voti eſt perfecta: licèt ſuſpendatur executio in euentum conditionis atqui votum caſtitatis, aut Religionis, quod ſit ex affectu per ſe virtutis Religionis, aut caſtitatis eſt votum reſeruatum: ergo non poteſt commutari, ſiue ante; ſiue poſt impletam conditionem. Minor ſubſumpta probatur quia ideò votum pœnale caſtitatis, aut Religionis: non eſt reſeruatum: quia non fit per ſe ex affectu caſtitatis, aut Religionis: ſiue conditio ſit impleta, ſiue nõ ſit impleta.

Secundo probatur, quia vota conditionalia caſtitatis, & religionis obligant ante euentum conditionis: ergo ſunt reſeruata ante euentum conditionis; conſequentia ex antecedenti conſtat, & antecedẽs probatur: quia ſi vota conditionalia caſtitatis, aut religionis nõ obligarent ante euentum conditionis; liceret vouẽti conditionatè caſtitatem tranſire ad nuptias abſque peccato non expectato euentu conditionis: atqui hoc eſt falſum: cum omnes concedant ſic vouẽtem peccare contra caſtitatem; ſi tranſeat ad nuptias nõ expectato euentu conditionis: in quo diſtinguitur votum conditionale: mere conditionale caſtitatis à voto conditionali pœnali eiuſdem caſtitatis: nam habens votũ caſtitatis pœnale conditionale poteſt tranſire ad nuptias: abſq; eo quod peccet contra caſtitatẽ

ante

ante euentum cõditionis: ergo vota purè conditionalia caſtitatis, aut religionis obligant ante euentum conditionis: ergo ante euentum conditionis ſunt reſeruata, & conſequenter non poſſunt commutari virtute priuilegij bullæ Cruciatę, ſiue conditio ſit impleta, ſiue non ſit impleta.

359 Secunda ſententia in alio extremo affirmat vota conditionata caſtitatis, aut religionis non eſſe reſeruata; ac proinde poſſe commutari vigore bullæ Cruciatæ, aut iubilæi, ſiue ante, ſiue poſt impletam conditionem: ita Thoma Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 10. nu. 13. & in ſumm. to. 1. lib. 4. cap. 40. nu. 99. Gomez in bull. Cruc. clauſul. 19. nu. 99. Ledeſma in ſumm. part. 2. tract. 10. cap. 8. Toletus in ſumm. lib. 4. cap. 18. num. 11. Leon. de iubilæo par. 2. nu. 95. Trullẽch. in expoſit. bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 7. nu. 9. Caſtropalao part. 3. diſput. 2. de voti relaxatione punct. 12. nu. 15. Malderus 2. 2. tract. 10. de virtutibus cap. 5. dub. 10. verſu nota Boſſius de iubilæo ſect. 2. caſu 10. n. 35. Bartholomæus à Sancto Fauſto lib. 3. Theſauri religionis qu. 111. n. 3. & lib. 4. de iubilæo qu. 165. verſu alij vero Diana par. 1. tract. 11. reſolut. 54. Martinus à San Ioſeph in monita Confeſſariorũ lib. 2. tr. 14. de indulgentijs n. 12. Gobat. de iubilæo c. 40. n. 317. quę ſententia valde probabilis eſt, & tuta in praxi, & nouiſſimè eã defẽdit Zaccarias Paſqualigus de iubilæo qu. 296. n. 5. et 6. P. Franciſcus Bardi in explic. bull. Cruc. part. 2. tract. 7. n. 36. D. Carolus Latius in dilucidat. bull. Cruc. diſp. 8. quæſt. 2. diffic. 3. nu. 21. Pater Leander à Sanctiſsimo Sacramento part. 1. tr. 5. diſp. 14. quæſt. 130. & 131.

360 Probatur hæc ſententia quoad primam eius partem à Zaccaria Paſqualigno n. 5. citato, ſcilicet vota conditionalia caſtitatis, et religionis ante euentum conditionis non eſſe reſeruata, et proinde poſſe commutari virtute bullæ Cruciatæ, aut iubilæi; quia eo ipſo, quod dicta vota conditionalia caſtitatis, & religionis pendent ab euentu futuræ conditionis, ſeu exiſtentię ipſius remanent in ſuſpenſo: ita vt non inducant obligationem ad materiam voti, ſed tantum ſint in ductura verificata exiſtentia cõditionis, & de præſenti ſolum inducunt obligationem ad expectandum euentum ipſius: ergo non ſunt reſeruata; ſed poſſunt cõmutari vigore priuilegij bullę Cruciatę: aut virtute iubilæi. Antecedens patet, quia conditio ſuſpẽdit actum, & facit, quod non valeat; niſi exiſtente conditione l. ſi quis ſub cõditione ff. ſi quis omnino caueat, & l. cedere diẽ ff. de verb. ſignific. vnde obligatio nulla eſt; quouſque ponatur conditio: alioquin non eſſet verum dicere, quod conditio nihil poneret in eſſe. Quia tamẽ ponitur obligatio, veluti in radice ad euentum conditionis: ideò tenetur vouens expectare euentum conditionis. Conſequentia probatur: nam ante euentum conditionis tota obligatio, quæ de facto habetur eſt ſolum ad expectandam conditionem: ergo non adeſt votum caſtitatis, aut religionis; quia tale votum cum conſiſtat in actuali promiſsione dicit actualem obligationem ad religionem, ſeu caſtitatem. Ergo diſpenſatio, aut commutatio non verſatur circa tale votum; ſed ſolũ circa obligationẽ expectãdi conditionẽ, aut circa materiam talis cõditionis.

Se-

361. Secundam vero partem dictæ Sententiæ probat idem Pas qualigus vbi supra num. 6. scilicet vota conditionalia Castitatis, et religionis; etiam post impletam conditionem non esse reseruata; atque adeò posse commutari virtute Jubilæi, aut vigore privilegij bullæ Cruciatæ. Quia hæc vota attingunt suam materiam non secundum se præcisè: sed cum dependentia á materia in conditione posita: ita vt materia voti non cadat sub promissione: nisi vt connexa cum materia conditionis, atque adeo: quatenus illam trahit secum. Ergo non sunt vota pura Castitatis, et religionis, sed aliquo modo mixta cum alia materia: quia licet materia conditionis non cadat directè sub promissione: trahitur tamen á materia voti: quia ipsa non cadit sub promissione: nisi quatenus trahit materiam conditionis. Vnde cum reseruatio strictè accipienda sit, non erunt hæc reseruata: cum reseruatio debeat accipi de votis puris Castitatis, et religionis.

362 Confirmatur: quia ista vota conditionalia non obligant purificata conditione: nisi in virtute illius voluntatis conditionatæ, per quam emissa sunt; et proinde cum sine promissio facta Deo, includunt in suo esse illam voluntatem, cum in ipsa consistat promissio: ergo licet possit a conditione; fiant absoluta, sunt tamen imperfecta: nam eorum principium, quod inspiciendum est leg. Pompon. ff. De negot. gest. et l. nam origo. ff. quod vi, aut clam, imperfectum est, quia est voluntas conditionata, quæ non habet immobilitatem: nec per se primo fertur in materiam voti: sed ex affectu materiæ positæ in conditione; vnde obligatio fundatur in consensu voluntatis imperfecto, qui de se illam non infert, sed determinatur ab extrinseco, nempe ab euentu conditionis, vt inferat. Ergo hæc vota tanquam imperfecta in ratione voti; fiant absoluta; quia reseruatio tanquam stricte accipienda, non debet extendi vltra vota perfecta, quæ in perfecto consensu fundantur.

363. Tertia, et probabilior sententia media via procedit; affirmat enim posse commutari vota pura conditionalia Castitatis, et religionis ante euentum conditionis, in quo conuenit cum secunda sententia, et differt á prima; negat vero posse commutari vigore privilegij bullæ Cruciatæ prædicta vota conditionalia post impletam conditionem, in quo conuenit cum prima sententia, et differt á secunda: ita Pater Franciscus Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de irritatione, dispensatione, et commutatione voti cap. 22. á num. 11. Pater Magister Basilius Pontius Legionensis de matr. lib. 8. cap. 9. nu. 7. 8. et 9. Pater Paulus Layman in Theolog. moral. lib. 4. tract. 4. num. 10. Lessius de iust. et iure. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 106. versu aduertendum tamen. Sayrus in claui regia lib. 6. Cap. 11. n. 77. Filliucius tract 26. cap. 9. num. 269. Bonacina in præcepta Decalogi. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. num. 17. Versu dixi modo. Sabur de Jubileo part. 2. Cap. 27. num. 179. Ascanius Tamburinus tom. 2. de iure Abb. disp. 18. quæst. 6. num. 37. Reginaldus in praxi fori pœnitentiæ lib. 18. n. 336. Ludouicus á Cruce in exposit. bull. Cruc. disp. 1. Cap. 6. dub. 9. n. 16. Pater Antonius de Escobar. et Mendoça in universa Theolog. mor. tom. 1. lib. 7. de bulla Cruc. sect. 2. problema 71. n. 676. et alij apud ipsos. Hæc sententia quo ad primam partem manet probata fundamentis secundæ sententiæ, quo ad primam eius partem.

364. Quo ad secundam vero probatur primò á Patre Francisco Suarez d. n. 11. quia licet contractus fuerit á principio conditionatus impleta conditione purificatur, et tam perfectus manet; ac si á principio fuisset sine conditione factus: ergo idem est de voto conditionato

Ca-

Castitatis, et religionis: Consequentia patet á paritate rationis. antecedens autem probatur ex l. potior ad finem. ff. qui in pig. potiores, &c. vbi sic habet; Cum semel conditio extiterit; proinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est sine conditione facta esset: ergo &c.

Nec valet: si respondeas hoc verum esse, quantum ad obligationem: non vero quantum ad radicem obligationis, nam licet obligatio æqualis sit, tamen radix obligationis non est æqué perfecta. Hoc inquam non valet, nam contra hanc responsionem Primo Arguit Pater Suarez vbi supra n12. quia in alijs contractibus, non tantum obligatio, sed etiam contractus ipse est æqué perfectus conditione impleta, vt patet in matrimonio, et sponsalibus impleta conditione, et idem est in emptione et venditione, et quacunque humana promissione, ergo Voluntarium est solum votum excipere. Deinde: quia videtur impossibile obligationem esse æqué perfectam, et consummatam, et Consensum non esse æqué perfectum, cum obligatio sit quasi formalis effectus consensus et Voti, vel si sit in genere Causæ efficientis, est ita intrinseca, vt non possit esse maior perfectio in ratione obligationis, quam in ratione Voti. Ipse rea, quia commutatio, vel dispensatio non cadit in votum, vt est actus, qui præcessit, et iam non est, sed vt relinquit obligationem: ergo si perueniat ad eum statum, in quo tam perfectam obligationem inducit, sicut votum absolutum, erit æqué indispensabile, seu reseruatum. Vltrius alij actus, vel Contractus sub conditione facti impleta conditione eosdem pariunt effectus morales, quos pariunt similes Contractus absoluti á principio; ergo in præsenti erit eadem reseruatio, antecedens patet inductione, nam sponsalia sub conditione, quæ ante conditionem impletam non inducunt impedimentum publicæ honestatis: impleta conditione illam inducunt, non minus quam si á principio fuissent absoluta; Cap. Vnico §. ille de spons. in 6. Item datio beneficij sub conditione simoniaca de futuro ante conditionem impletam non inducit censuram, et alias pœnas, impleta vero conditione inducit, et idem est in similibus. Consequentia autem probatur á paritate rationis, Decere enim quod in reseruatione attenditur ad dignem, et non in sponsalibus, et alijs gratis dicitur, et nulla ratio differentiæ assignari potest.

Secundo Contra dictam responsionem Arguit idem Pater Suarez 13. quia illa imperfectio, quæ in Voto sub conditione facto, tanquam in radice consideratur nulla est, neque in ordine ad consensum, neque in ordine ad morales effectus: ergo solutio superius data, nulla est. antecedens vt declaret pater Suarez distinguit duos ordines horum votorum conditionalium sub uno constitutiuo omnia illa uota, quæ fiunt per modum pacti conditionati cum Deo, si periculum euasero, hoc faciam si tale beneficium conferueris, tale

ser

tale servitium faciam &c. In alio ponit alia vota, quæ sub simplici conditione fiunt sine figura pacti cum Deo, ut voveo castitatem, si Confessor probaverit; vel si pater meus consenserit. &c. In prioribus votis inquit Pater Suarez nulla imperfectio est ex parte consensus præter suspensionem, et imperfectionem Contractus, quæ durat, quandiu conditio non impletur, illa autem posita, tollitur suspensio, et imperfectio Contractus: ergo nulla imperfectio relinquitur ex vi illius originis, quia illa solum erat pro statu conditionis non impletæ, et ita ille met consensus, qui precessit, respicit duo tempora præsens, scilicet, dum non est conditio, et futurum pro quo erit, et licet pro priori sit imperfectus, pro posteriori est perfectus, et talis incipit esse statim ac conditio ponitur. Obligatio autem tunc non oritur ex consensu ut terminato ad tempus præcedens, sed ut terminato ad subsequens tempus in quo est impleta conditio.

Sed hæc probatio Patris Suarez, et impugnationes ab ipso factæ contra dictam responsionem non placent Patri Francisco Bardi loco superius citato, et ita ad argumentum supra factum a Patre Suarez respondet 3. n. 40. hoc ipsum argumentum esse solvendum ab ipso P. Suarez concedente votum conditionale pœnale non esse reservatum, etiam impleta conditione, nam eadem ratio militat in utroq? casu, quia impleta conditione illa sub qua votum pœnale fuit emissum, obligatio illa erit absoluta, ac si initio contracta fuisset absque conditione, et tamen hoc non obstante, dicet P. Suarez votum esse imperfectum ut pote proveniens ex imperfecta radice: ergo hoc ipsum possumus dicere de voto mere conditionali, et nihil officit maiorem inveniri imperfectionem in voto pœnali, et per consequens magis distare a perfectione voti simpliciter dicti: nam sufficit tanta imperfectio, per quam votum in materia debita, qualis est reservatio, non censetur comprehendum, et talis est imperfectio illa, quæ reperitur in voto conditionali, ut dicitur in responsione posita a dicto P. Suarez, et probant fundamenta allata pro secunda parte secundæ sententiæ.

Secundo directe ad argumentum respondet dictus P. Franciscus Bardi n. 41. ubi advertit, aliud esse loqui de obligatione voti; aliud vero de consensu, a quo consurgit ipsa obligatio. Concedit igitur P. Bardi obligationem adimpletæ conditionis esse absolute perfectam, sicuti est in aliis votis ab initio absolutis, et in cæteris contractibus, negat tamen consensum, ex quo resultat obligatio esse perfectum in his votis conditionalibus. Ad instantiam vero factam in oppositum a P. Suarez, negat obligationem esse effectum formalem consensus, nam eius effectus formalis, inquit, non est constituere formaliter hominem obligatum, sed consentientem, seu volentem, ex quo sequitur veluti proprietas quædam obligatio, Ad id autem, quod contra urget P. Suarez

scilicet, non posse perfectam obligationem proficisci ex imperfecto consensu, cum distinctione respondet dictus P. Franciscus Bardi, inquit enim perfectionem, aut imperfectionem obligationis, quæ provenit ex voto, vel esse attendendam in ordine ad effectum formalem intrinsecum et proprium ipsius obligationis, vel in ordine ad causam extrinsecam, á qua oritur. Si primo modo spectetur, ait: obligationis vim consistere in indivisibili, proinde quoad modum obligandi non dari unam obligationem altera maiorem, nam quæ cumq; posita, eodem modo votentem afficit; si vero spectetur secundo modo: nempe in ordine ad causam, unam esse posse altera perfectiorem, et sic obligatio, quæ provenit a votis, quæ emissa ab impuberibus, vel ab alijs personis, quæ subjuntur alteri, quoad potestatem dominativam non esse ita firma, sicut est illa, quæ resultat ex votis peruenarum, quæ sunt sui iuris, illa enim auferri potest ab eo, in quo dominativa residet potestas, at ista requirit hoc pacto tolli, atque adeo erit firmior in subiecto, et perfectior. His autem positis, respondet ad instantiam in oppositum, et dicit: impossibilem esse obligationem esse perfectam in ordine ad causam, á qua proficiscitur, et consensum, ex quo oritur ipsa obligatio, non esse perfectum, quia causa talis obligationis consensum involuit, nempe consensum in voto inclusum, at non esse impossibile obligationem quoad suum effectum formalem intrinsecum esse perfectam, consensum vero qui in voto includitur esse imperfectum imperfectione, de qua loquitur secunda sententia, videlicet, ea imperfectione, quæ minuit voti perfectionem, et obligationem.

Verum enim vero licet in supra dictis responsionibus: præcipue in secunda doctrina, valde probabilis contineatur, nihil ominus, non eneruant vim argumenti P. Francisci Suarez, nec infirmant efficaciam impugnationum eiusdem Patris Suarez, quibus impugnat solutionem ibi datam dicto argumento. in primis enim prima responsio eruditi P. Francisci Bardi non nocet doctrinæ traditæ a P. Suarez, nam vt ipse ait, respondendo ad simile argumentum Disp. Cap. 23. n. 16. Si liceret unum ex alteris inferre in dicto casu, potius concedendum esset, vota poenalia esse reseruata, impleta conditione, quam conditionalia non esse reseruata conditione impleta, ideoq. sistendo in doctrina dicti P. Magistri Suarez, concedo votum pœnale conditionatum non esse reseruatum, etiam impleta conditione: nego tamen inde sequi votum conditionale non pœnale castitatis, aut religionis non esse reseruatum, impleta conditione, et ratio disparitatis est, quam assignauimus cum eodem Patre Suarez supra resulut. 32. num. 347. scilicet, quia in voto pœnali vouens non intendit velle, et perse id, quod vouet in pœnam, scilicet religionem, vel castitatem, neque illud promittit perse intendens cultum Dei, sed potius affectat vitare talem rem, et ideo illam promittit sub tali conditione, vt ex affectu vitandi pœnam, cogatur vitare culpam, quare qui sic vouet, non vult religionem perse primo formaliter, aut castitatem, sed solum materialiter, et imperfecte, ideo que votum illud pœnale castitatis

aut

aut religionis, non est simpliciter votum castitatis, aut religionis, etiam conditione impleta, et consequenter non est votum reservatum indispensabile et incommutabile. quę ratio non militat in voto puro conditionali Castitatis, aut religionis, quod fit per modum pacti conditionati cum Deo. Nam tunc votens vult per se primario, et formaliter castitatem aut religionem, et ita est proprie et formaliter votum castitatis, aut religionis, et nulla est imperfectio ex parte consensus præter suspensionem et imperfectionem contractus, quę durat, quandiu conditio non impletur; illa autem posita, tollitur suspensio, et imperfectio contractus, vt optime docuit idem P. Suarez vbi supra. nu. 13. ergo non valet consequentia, votum conditionale pœnale castitatis et religionis de conditione futura non est reservatum post impletam conditionem: ergo votum puro conditionale castitatis, aut religionis, non est reservatum post impletam conditionem, cum magna sit inter dicta vota disparitas, vt supra diximus.

Nec secunda ratio infirmat doctrinam traditam a Patre Suarez, nam licet obligatio non sit effectus formalis consensus voti, cum non constituat hominem formaliter obligatum, sed consentientem, seu volentem, vt bene docet P. Franciscus Bardi, sed sit veluti proprietas quędam ipsius consensus, est tamen proprietas ita intrinseca, vt non possit esse maior perfectio in ratione obligationis, quam in ratione voti: ergo si obligatio adimpleta conditione est absolute perfecta, sicut est in aliis votis ab initio absolutis, et incertis contractibus, consequens est, vt impleta conditione, dictum votum conditionale sit perfectum in ratione voti, et cum sit de materia reservata castitatis, aut religionis, vt supponitur, necesse est, vt dictum votum sit reservatum adimpleta conditione. Nam imperfectio in motivo applicante voluntatem ad volendum, non satis est, vt votum non sit reservatum, si alias materia reservata sit. addo autem, quod in dicta responsione additur, scilicet, quod licet perfectio, aut imperfectio obligationis, quę provenit ex voto, si attendatur in ordine ad effectum formalem intrinsecum, et proprium ipsius obligationis, non sit una obligatio altera maior, cum quę cumque posita eodem modo volentem afficiat, licet si consideretur, vt provenit a causa extrinseca, una esse possit altera maior, vt constat in exemplo ibi allato de obligatione, quę provenit a votis, quę emissa sunt ab impuberibus, vel ab aliis personis, quę subduntur alteri quo ad potestatem dominativam &c. fateor hanc doctrinam valde probabilem esse, sed non potest doctrina tradita a P. Suarez nec. enervare eius efficaciam, nam ipse non affirmat, quod in voto conditionato castitatis, aut religionis non detur aliqua imperfectio; sed solum dicit, quod imperfectio, quę datur ex parte consensus, sic volentis in illis votis, quę fiunt per modum pacti conditionati cum Deo, nulla est imperfectio, quę sufficiat ad hoc, vt dicta vota conditionata non maneant reservata adimpleta conditione, cum nulla imperfectio sit in dictis votis ex parte consensus præter suspensionem, et imperfectionem contractus

quę du

quę durat quandiu conditio non impletur, et illa posita tollitur suspensio et imperfectio contractus, et consequenter nulla imperfectio relinquitur ex vi illius originis. quia illa solum erat pro statu conditionis non impletę, et ut bene aduertit dictus P. Suarez n. 13. supra citato. Consensus uouentis conditionate castitatem, aut religionem, duo respicit tempora pręsens, scilicet, dum non est conditio, et futurum proquo erit talis conditio, et quamuis dictus consensus, prout respicit tempus pręsens, in quo nondum est conditio purificata, sit imperfectus, tamen prout respicit tempus futurum, est perfectus, et talis incipit esse statim, ac conditio ponitur. Cum autem tunc non oriatur obligatio ex consensu ut terminato ad tempus pręcedens, sed terminato ad subsequens tempus, in quo est impleta conditio, consequens est, ut si impleta conditione, obligatio est ita perfecta, sicuti est in alijs uotis ab initio absolutis, ut concedit P. Franciscus Bardi, quod consensus, impleta conditione sit ita perfectus, sicuti est perfecta obligatio, ergo impleta conditione, votum conditionatum castitatis est votum perfectum castitatis, cum tunc constet ex perfecta obligatione, et ex perfecto consensu ex parte vouentis, atqui votum castitatis perfectum, tam ex parte consensus vouentis, quam ex parte obligationis ipsius vouentis est reseruatum, et incommutabile vigore bullę cruciatę. ergo votum conditionatum castitatis aut religionis, impleta conditione, manet reseruatum indispensabile, et incommutabile virtute priuilegij bullę cruciatę.

Sed dices: semper est hęc imperfectio, quod votum fit intuitu rei obtinendę à Deo. Sed contra arguit optime P. Suarez n. 14. nam hęc imperfectio, qualiscumq; illa sit, impertinens est ad reseruationem, nam votum religionis etiam si fiat intuitu honorum, et commoditatum temporalium religionis, et ex ea parte sit imperfectum, nihil ominus validum et reseruatum est, quia illa non est imperfectio in proprio obiecto seu materia voti, nec in plenitudine consensus, sed tantum est in motiuo ex parte vouentis, seu in applicatione ad uouendum. Idem autem est in voto illo conditionato: nam sto motiuum vouendi sit minus perfectum: tamen consensus est plenus, et pro tempore in quo fuerit posita conditio, est absolutus, cuius signum est, quia posita conditione, transit in absolutum, et consummat contractum sine sui mutatione per solam mutationem obiecti. Quod autem ille idem consensus prius fuerit conditionatus, nulla est imperfectio, quę sufficiat ad hoc, ut impleta conditione, dictum votum conditionatum castitatis non maneat reseruatum, et incommutabile virtute bullę cruciatę priuilegij, sicut non est imperfectio, quę ad rem pertineat, quod fiat sub conditione de pręsenti, vel pręterito. Ut v.g. si pater pro absente filio sic voueat, si filius meus uiuit hodie, voueo peregrinari compostellam, subsistente enim conditione, sine dubio est validum votum, et reseruatum secundum omnes, licet sit imperfectum in motiuo, vel in modo vouendi. Deinde quia in his votis, quatenus habent formam contractus, videtur esse maior

ra

ratio obligationis, quam in promissione absoluta, et simplici, ut inter homines magis obligat promissio sub conditione impleta ab alio, quam simplex. At vero in his votis ex parte Dei est perfectissimus consensus in contractu (ut sic dicam) et Deus ex parte sua perfecte implet contractum conferendo beneficium et custodiendo à periculo: ergo ut sit æqualitas etiam ex parte voventis est consummata obligatio et perfectum votum, et consequenter indispensabile et incommutabile vigore bullæ cruciatæ conditione impleta.

Ad id autem quod in sua responsione addit P. Franciscus Bardi de votis, quæ emissa sunt ab impuberibus et alijs personis, quæ subduntur alteri quoad potestatem dominativam, et possunt auferri ab eo, in quo denominativa residet potestas etiam post pubertatem, ex quo videtur inferri, quod etiam vota conditionalia castitatis, et religionis possint dispensari et commutari ratione radicis conditionatæ. respondeo esse disparem rationem, quia per pubertatem non extrahitur materia illa à potestate patris dum non confirmatur de novo. At vero in nostro casu per eventum conditionis extrahitur à potestate episcopi, et à potestate confesarij, quoad commutationem virtute bullæ cruciatæ, quia acquirit statum absolutum. illud autem votum dum non confirmatur, perseverat semper votum impuberis.

Secundo probatur eadem secunda pars nostræ sententiæ etiam in ordine votorum conditionatorum, quæ non fiunt per modum pacti conditionati cum Deo sed fiunt sub simplici conditione sine figura pacti cum Deo. v.g. voveo castitatem si confessarius probaverit, vel voveo religionem si Pater meus consenserit, quia in his votis materia voti est promissa directè et per se primo intenta à vovente, et solum est imperfectus consensus quandiu conditio est suspensa, illa autem completa absolutus est, atqui parum refert ad effectus morales, quod illa conditio precesserit, et consequenter, nec ad reservationem confert: ergo vota conditionalia castitatis aut religionis licet non fiant per modum pacti conditionati cum Deo, sed sub simplici conditione sine figura pacti cum Deo ad impleta conditione, manent reservata, et non possunt dispensari, nec commutari vigore privilegij bullæ cruciatæ, quod potest declarari doctrina superius tradita ex P. Francisco Suarez, nam consensus ille duplicem habet respectum ad duo tempora, et pro tempore consummatæ conditionis est omnino perfectus. Solumque in illo considerari potest, quod votum illud, quasi paulatim consummatur: nam prius est conditionatum, postea absolutum, et ita in eo proceditur, quasi ab imperfecto ad imperfectum; atqui hoc nihil impedit, quominus postquam est consummatum perfectum sit, ergo nihil impedit, quod postquam transijt de conditionato in absolutum ratione impletionis conditionis, seu positionis illius maneat reservatum, sicut manet absolutum, et perfectum castitatis votum, tam quoad obligationem, quam quoad perfectum consensum voventis, et consequenter indispensabile et incommutabile et declaratur amplius, quia in his votis conditionalibus quæ fiunt sub simplici conditione absque figura

pa

parti cum Deo, illa imperfectio sumeretur dependentia à iudicio et consilio alieno, quæ plane tollitur posito Consilio faciente Votum, vel forte erat expectatio alieni Consensus, quo posito, manet Consummatum Consensu nuncupantis, si iam fuit de præsenti datus, vt supponitur, ergo sicut in his votis nihil est ad imperfectissimam obligationem, ita neg. ad perfectam obligationem voti absoluti: in eis quæ verum est Commune axioma Conditionalem assertionem vel Consensum, posita Conditione, transire in absolutum: ergo nihil est talibus votis, quo minus reseruata sint, et Consequenter indispensabilia, et incommutabilia virtute priuilegij bullæ Cruciatæ.

Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur. Distinguendo antecedens, votum conditionale non pgnale Castitatis aut religionis fit proprié et per se ex affectu Castitatis, aut religionis dependenter à positione conditionis, concedo antecedens; independenter à positione Conditionis, nego antecedens, et nego similiter Consequentiam, quia votum Conditionatum, non impleta Conditione, nondum est Consummatum et perfectum votum, et ideo ad illud non extenditur reseruatio, quia Cum reseruatio sit odiosa, est restringenda, solum ad vota de reseruata reseruata, quæ solum talia et propria et per se sunt; non autem ad vota non consummata, et imperfecta, sicut sunt vota Conditionalia ante impletam Conditionem, nam sicut Contractus sub Conditione factus non est per se Contractus, vt in sponsalibus, matrimonio et similibus, videre licet: ita votum quod est quasi quidam Contractus Cum Deo; si est Conditionatum non est perfectum votum vsque dum impleatur, seu ponatur Conditio. Similiter distinguo minorem subsumptam: atqui votum Castitatis aut religionis quod sit ex affectu per se virtutis religionis, aut Castitatis, est votum reseruatum si sit Consummatum et perfectum, Concedo minorem, si non sit Consummatum et perfectum, sed non Consummatum et imperfectum, vt sunt vota Conditionalia Castitatis aut religionis, nego minorem. et similiter Consequentiam: nam si dictum votum Conditionatum, vt pote non Completum, nec perfectum ante euentum conditionis, non est reseruatum; Consequens est, vt in illo statu sit dispensabile, et commutabile virtute priuilegij bullæ Cruciatæ. Ad probationem minoris subsumptæ respondes Concedendo antecedens, et negando suppositum Consequentiæ, et ipsam Consequentiam. Supponitur enim in illa falsò, quod votum conditionatum meré Conditionatum, seu non pgnale Castitatis, aut religionis, fiat à volente ex affectu per se Castitatis aut religionis etiam ante euentum Conditionis, quod est falsum, vt supra diximus, et sic neganda est ultima Consequentia in sensu dicto; id est ante euentum Conditionis.

Ad secundum fundamentum respondetur, distinguendo antecedens, vota conditionata Castitatis aut religionis obligant ante euentum Conditionis ad euentum expectandum ipsius Conditionis, concedo antecedens, obligant ad Castitatem seruandam, aut ad ingressum religionis actu, nego antecedens, et similiter Consequentiam, ad pro-

ba

bationem autem antecedentis, reſpondeo diſtinguendo maiorem; liceret vouenti caſtitatem tranſire ad nuptias abſque peccato non expectato euentu conditionis: ideſt: abſque peccato, quod ſit contra virtutem caſtitatis: concedo maiorem, abſque peccato, quod ſit contra fidelitatem debitam Deo expectandi euentum conditionis: nego maiorem, et ſimiliter nego omnes concedere ſic vouentem peccare contra caſtitatem, ſi tranſeat ad nuptias non expectato euentu conditionis. Nam hæc vota conditionalia ante euentum cõditionis non obligant: niſi ad expectandam conditionem, vt ſupra diximus: vnde qui nuberet non expectata cõditione nequaquam peccaret contra caſtitatẽ: quia cum ante euentum conditionis maneant in ſuſpenſo nullam inducunt obligationem ad caſtitatem, aut Religionem; ſed ſolum contra fidelitatem debitam Deo.

376 Sed dices; conſenſus conditionalis vouentis caſtitatem, aut Religionem ſub conditione eſt ab initio perfectus; ergo ab initio obligat ad caſtitatem, aut religionem, & conſequenter ſi ſic vouens contrahat matrimonium ante euentum conditionis peccabit non ſolum contra fidelitatem Deo debitam de expectando euentu conditionis; ſed etiam contra caſtitatem, aut Religionem: conſequentia patet, & antecedens probatur ex l. vſufructus in fine: ibi: Ex præſenti vires accipit ff. de ſtipulat. ſer. & notat Afflict. deciſione 180. nu. 3. & 6. & alij, quos refert Barb. part. 2. de poteſtate Epiſcopi allegat. 37. nu. 6.

377 Reſpondetur diſtinguẽdo antecedens conſenſus conditionalis eſt ab initio perfectus perfectione illi conuenienti, prout eſt in ſtatu conditionato, & reſpicit tempus præſens, ſcilicet dum nõ eſt conditio, nego antecedens: prout reſpicit tempus futurum in quo erit talis conditio, concedo antecedens. Quia dictus conſenſus nullam habet imperfectionem ex parte ſui; præter ſuſpenſionem, & imperfectionẽ contractus, quæ durat quamdiù conditio non impletur; cum autem impletur, & ponitur ſuſpenſio, & imperfectio contractus tollitur. Ideoque nulla imperfectio relinquitur ex vi illius originis. Et in hoc ſenſu intelligẽda eſt dicta lex vſufructus poſita in probatione antecedentis, ex qua ſolum ſequitur, quod conſenſus, & obligatio vouentis ſolum ſit omnino perfecta poſt impletam conditionem, non autẽ prout dictus conſenſus eſt in ſtatu purè conditionato, nam in tali ſtatu dicit imperfectionem ſuſpenſionis, contractus, & obligationis, dum non purificatur conditio.

378 Ad fundamentum ſecũdæ ſententiæ pro ſecunda eius parte (nam in prima conuenit cum noſtra) rẽſpondetur concedendo antecedens, ſi intelligatur, vt debet intelligi, ſcilicet quod vota conditionalia non obligent ante euentum conditionis, non quia materia conditionis, ſeu in conditione poſita cadat ſub promiſſione, ſed quatenus promiſſio non eſt perfecta ante euentũ conditionis, & conditione poſita abſq; ſui mutatione redditur perfecta promiſſio, & redditur perfectus conſenſus vouentis: modo à nobis explicato in probationibus noſtra ſententiæ; Et negando conſequentiam, quia licet verum ſit, quod reſeruatio

eſt odioſa, & conſequenter debeat ſtricte accipi: inde non ſequitur, quod vota conditionalia caſtitatis, aut Religionis non ſint reſeruata purificata conditione: cum ex poſitione conditionis conſenſus, qui erat imperfectus in ſtatu conditionato; quatenus pro illo ſtatu dicit imperfectionem ſuſpenſionis contractus conditionalis, quæ ſuſpenſio, & imperfectio tollitur ex mera poſitione conditionis: cum origo illius imperfectionis ſit poſita ſolum reſpectu conſenſus: ſic vouentis ad tempus preſens, pro quo non dum eſt conditio, & nõ reſpectu ad tempus futurum pro quo conditio erit; & licet pro priori conſenſus ſit imperfectus; pro poſteriori autẽ eſt perfectus, & talis incipit eſſe ſtatim ac conditio ponitur. Cum autẽ obligatio tunc non oriatur ex conſenſu, vt terminato ad tempus precedens, ſed vt terminato ad ſubſequens tempus, in quo eſt impleta conditio, nulla imperfectio relinquitur ex vi illius originis: quia illa ſolum erat pro ſtatu conditionis non impletæ, vt ſupra diximus: ideoque impleta conditione votum illud caſtitatis, quod ante erat ſub ſtatu conditionato tranſit ad abſolutum, & eſt perfectus conſenſus, & obligatio, tunc ex parte vouentis abſque vllo veſtigio imperfectionis, & conſequenter eſt perfectum votum caſtitatis, aut Religionis reſeruatum, indiſpẽſabile, et incommutabile.

379 Ad confirmationem; reſpondetur diſtinguendo antecedens iſta vota conditionalia nõ obligãt purificata cõditione: niſi virtute illius volũtatis conditionatæ: per quam emiſſa ſunt. Virtute illius voluntatis conditionatę: prout dicta voluntas reſpicit tempus præſens: dum non eſt conditio poſita: nego antecedẽs: prout dicit ordinem, ſeu reſpicit tempus futurum, pro quo erit poſita conditio: concedo antecedens, & nego conſequentiã: quia cum in iſtis votis conditionalibus nulla imperfectio ſit ex parte conſenſus, vt ſupra diximus, præter ſuſpenſionem, & imperfectionem contractus conditionati facti cum Deo, quæ durat: dum conditio non impletur, & illa poſita tollitur ſuſpenſio, & imperfectio cõtractus: ideò nulla imperfectio relinquitur ex vi illius originis. Quia illa ſolum erat pro ſtatu conditionis nõ impletæ. Quare purificata conditione totum votum redditur abſolutum, & omnino perfectum: tam ex parte conſenſus vouẽtis, quam ex parte obligationis ipſius vouentis; itaque dicta obligatio purificata conditione non fũdatur in conſenſu voluntatis imperfecto, ſed in conſenſu voluntatis, qui aliàs fuit imperfectus in ſtatu conditionato (modo à nobis ſuperius explicato) & purificata conditione abſque vlla mutatione dicti conſenſus redditur omnino perfectus abſque veſtigio imperfectonis; etiam in ſuo origine. Sicut redditur omnino perfecta obligatio vouentis, ex mera purificatione conditionis. Nec lex potior allegata in confirmatione pro probatione conſequentię eſt oppoſita noſtrę doctrinæ; ſed potius illam fauet: nam vt in prima probatione noſtræ ſententiæ diximus in d.l. potior ad fin. ff. qui In pig. potior. &c. habetur cum ſemel conditio extiterit: perinde habetur; ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt ſine cõditione facta eſſet: ergo poſita; ſeu purificata conditione in dictis votis conditio

tionatis caſtitatis, aut Religionis redduntur dicta vota omnino perfecta caſtitatis, aut Religionis: tam ex parte conſenſus vouentis: quam ex parte obligationis ipſius; atqui votũ perfectũ caſtitatis, & Religionis eſt reſeruatũ indiſpẽſabile, & incõmutabile, ergo dicta vota cõditionata caſtitatis, aut Religionis: cũ purificata conditione reddantur abſoluta, & omnino perfecta in ratione voti caſtitatis, et Religionis manent omnino reſeruata, et incommutabilia vigore priuilegij bullæ Cruciatæ.

RESOLVTIO XXXIV.

Vtrum quando Epiſcopus iuſta, et legitima exiſtente cauſa poteſt diſpenſare in votis caſtitatis, et Religionis: poſſint etiã commutari à Confeſſario virtute priuilegij bullæ Cruciatæ.

380 COnueniunt communiter DD. quod vrgente aliqua graui neceſſitate poteſt Epiſcopus aliquando diſpenſare in votis caſtitatis, aut Religionis ad contrahendum matrimonium, vt ſi quis v. g. poſt votum caſtitatis emiſſum defloruit Virginem, quam niſi ſtatim in vxorẽ ducat ſequerentur grauia ſcandala, rixæ, homicidia, et ſimilia, et ſic in alijs caſibus Summo Põtifici reſeruatis, vt in voto Religionis, etc. Difficultas: ergo in præſenti eſt: an ſicut poteſt Epiſcopus in dictis votis caſtitatis, et Religionis diſpenſare ob vrgentem neceſsitatem, poſsint etiam eadem neceſsitate vrgente commutari à Confeſſario vigore priuilegij bullæ Cruciatę.

381 Prima ſentẽtia affirmat poſſe Confeſſarium in dicto caſu vrgentis neceſsitatis commutare virtute bullę Cruciatæ dicta vota caſtitatis, & Religionis: ſicut poteſt in eis Epiſcopus diſpenſare: ita Crouſers in reg. Sancti Franciſci cap. 7. lect. 29. Boſsius de iubiæo ſect. 2. caſu 20. nu. 25. Paſqualigus de iubilæo quæſt. 306. nu. 2. Probatur hæc ſentẽtia à Paſqualigo dicto n. 2. quia facultas commutandi vota conceſſa in iubilæo, et in bulla Cruciatę ſe extendit ad omnia vota non reſeruata, atqui vota caſtitatis, et religionis, quando ſubſtant talibus circumſtantijs, vt poſſit in ipſis Epiſcopus diſpenſare non ſunt reſeruata, ergo poterunt virtute iubilęi, aut bullę Cruciatę commutari. Maior eſt certa, et minor probatur, quia reſeruatio eſt tantum in ędificationem, non autem in deſtructionem, vt habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. de reform. per hæc verba. Vnde merito Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita cauſa, aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quãdo omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi in ædificationem; tamen non in deſtructionem liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cẽſura annexa eſt. Ergo reſeruatio ex ſui natura non ſe extendit ad caſus, ad quos ſi ſe extenderet, eſſet in deſtructionem; atqui eſſet in deſtructionem ſi ſe extenderet ad vota in caſu, in quo Epiſcopi poſſunt diſpenſare; nã tunc ſi non poſſent diſpenſare, pareret grauiſſimum damnum,

etiam ſpirituale, non autem vtilitatem. Ergo cum reſeruatio, ne ſit in deſtructionem, non ſe extendat ad talem caſum, vota in talibus circumſtantijs non erunt reſeruata, & hoc non quia ſubtrahãtur à reſeruatione ex præſumpta voluntate Pontificis, ſed quia reſeruatio ipſa non compræhendit dicta vota in talibus circumſtantijs poſita.

382 Secunda, & vera ſententia negat poſſe Confeſſarium virtute iubilei, aut vigore priuilegij bullæ Cruciatæ commutare vota caſtitatis, aut Religionis in illis caſibus, in quibus Epiſcopus ob grauibus, & vrgentibus cauſis poteſt in dictis votis diſpenſare ita Pater Franciſcus Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 26. n. 18. vbi citat Rodriquez in expoſit. bullæ Cruciatę §. 9. n. 118. Baſilius Pontius Legionenſis lib. 8. de matr. cap. 10. n. 12. in fine, & n. 11. in fine Emanuel Rodriquez tom. 1. qq. regul. queſt. 63. art. 6. Sayrus in claui regia lib. 6. cap. 11. n. 72. Henriquez lib. 6. ſumm. cap. 14. n. 7. & in Gloſſa litera P. Leon par. 2. de iubileo n. 106. Miranda in manuali queſt. 48. n. 4. Layman lib. 4. Theolog. moral. tract. 4. cap. 8. n. 17. §. obſeruandum Bartholomęus à Sancto Fauſto in Theſauro Religionis lib. 3. qu. 174. Bonacina in prȩcept. Decalogi diſp. 4. queſt. 2. punct. 7. §. 4. n. 16. Filliucius tract. 26. cap. 9. n. 277. Boſſius loco ſuperius citato n. 26. vbi Authores, qui hãc ſententiam tenent ab ipſo laudantur, Aſcanius Tamburinus tom. 2. de iur. Abb. diſp. 18. qu. 8. n. 4. Gobat. de iubilæo cap. 41. n. 321. Pater Antoninus Diana par. 6. tract. 6. reſol. 50. & par. 11. tract. 8. reſol. 6. Pater Andreas Mẽdo in dilucidat. bull. Cruc. diſp. 26. cap. 4. n. 59. Quintana dueñas de iubileo duarum hebdomadarum cap. 12. n. 12. Pater Magiſter Barnaba Gallegus in explicat. bull. Cruc. cap. 9. par. 3. §. 1. dub. 159. Pater Franciſcus Bardi in explicat. bull. Cruc. par. 2. tract. 7. ſect. 5. §. 13. num. 136. D. Carolus Latius in dilucidat. bull. Cruc. diſp. 8. queſt. 2. difficult. 8. n. 43. Lezana in ſũm. qq. regul. tom. 4. verbo votum n. 21.

383 Probatur hæc ſententia communiter à Doctoribus, & præcipuè à Patre Diana dic. par. 11. citata tract. 8. reſol. 6. §. quæ omnia, quia quamuis Confeſſarius poſſit virtute iubilæi, aut virtute bullæ Cruciatæ commutare vota, quæ poteſt Epiſcopus, intelligendum eſt de votis, quę poteſt Epiſcopus commutare iure ordinario, & ex natura reſeruationis, non autem de votis, quæ iure ſpeciali, aut per conſuetudinem diſpenſare, aut commutare poteſt, atqui diſpenſatio voti caſtitatis, aut religionis in magna vrgenteque neceſſitate non competit Epiſcopo iure ordinario, & ex natura reſeruationis, ſed iure ſpeciali, aut per cõſuetudinem, ergo non poteſt Confeſſarius virtute inbilæi, aut vigore priuilegij bullæ Cruciatæ dicta vota caſtitatis, aut religionis in dicto caſu commutare.

384 Sed hæc ratio nõ placet P. Frãciſco Bardi vbi ſupra n. 337. Quare illam ex doctrina Suarez dict. n. 18. ſupra citato, ita refutat, quia dicta ratio efficaciter intẽtum probaret ſi in bulla Cruciatæ cõcederetur poteſtas ad vota Epiſcopalia, tunc enim eſſet explicanda in ordine ad illa tantũ vota, ad quæ Epiſcopus iure ordinario poteſtatem habet, atqui poteſtas, quæ datur in bulla Cru-

Cruciatæ eſt ad omnia vota ſimpliciter dicta, & ſolùm excipiuntur illa tria, ergo latitudo huius priuilegij non debet menſurari limitatè per ordinẽ ad caſus Epiſcopales, ſed abſolutè per generalitatem conceſſionis ſub qua continentur omnia, exceptis reſeruatis, atqui illa tria in caſu poſito cum non cenſeantur Põtifici reſeruata compræhenduntur ſub ſuo priuilegio, ergo non conuincitur, ex eo quod diſpẽſare in dicto caſu in voto caſtitatis, aut Religionis non competat Epiſcopo iure ordinario, & ex natura reſeruationis, quod non poſſit Confeſſarius virtute priuilegij bullæ Cruciatæ dicta vota caſtitatis, aut Religionis in caſu propoſito commutare.

385 Ideoque n. 138. ex doctrina eiuſdem Suarez vbi ſupra nu. 19. aliter hanc ſententiam probat dictus Pater Franciſcus Bardi ex diuerſitate, quæ reperitur inter poteſtatem ordinariam, & delegatam: quia poteſtas delegata non ſe extendit vltra caſus illos, pro quibus eſt conceſſa: quamuis ponatur ſumma neceſſitas in caſibus non conceſſis in dicta poteſtate delegata: ergo cum in bulla Cruciatæ; licet concedatur facultas Confeſſario approbato ab Ordinario commutandi omnia vota non reſeruata Summo Pontifici, & excipiantur vota perpetuæ caſtitatis, & Religionis: non poterit Confeſſarius dicta vota commutare: etiam ſi ponatur ſumma neceſſitas in dictis votis caſtitatis, & Religionis: Antecedens videtur certum: nam cũ adæquatum obiectum talis poteſtatis ſint caſus conceſſi in dicta poteſtate delegata, nequit ipſa ampliari ad caſus non conceſſos: quia vt ſic egrederetur limites ſui adæquati obiecti, quod eſt impoſſibile, ergo poteſtas delegata non extenditur vltra caſus illos, pro quibus eſt conceſſa, quãuis magna occurrat neceſſitas commutandi caſus, pro quibus non eſt conceſſa, ex quo patet veritas conſequentiæ, nempè nõ poſſe Confeſſarium virtute priuilegij bullę Cruciatę cõmutare vota perpetuæ caſtitatis, & Religionis, etiam in caſu magnæ neceſſitatis, vtpotè excluſa in dicta facultate, & priuilegio bullæ Cruciatæ. Quæ ratio non videtur militare reſpectu Epiſcopi habentis iuriſdictionem ordinariam, quia ipſa ordinaria poteſtas ex ſua natura ad omnes illos caſus extenderetur, niſi fuiſſet limitata, ſeu niſi fuiſſet à ſua efficacia impedita; quare quando tales circumſtantiæ concurrerint, in quibus limitatio redundaret in detrimentum ſpirituale proximorum, tunc in illis circumſtantijs caſus, circa quem verſabatur limitatio, ſeu reſeruatio, relinquitur ſub ordinaria poteſtate Epiſcopi, & hoc per quãdam explicitam, ſeu tacitam Sũmi Pontificis voluntatem.

386 Verum enim vero probatio illa prima non differt re, ſed ſolo nomine à probatione, & doctrina allata à Suarez, & à Patre Franciſco Bardi ex ipſo. Quod ſic oſtendo. Vigore bullæ Cruciatæ datur facultas delegata Confeſſario commutãdi omnia vota, quę non ſunt iure Pontifici reſeruata; atqui in votis Pontifici reſeruatis poteſt Epiſcopus diſpenſare occurrente, magna neceſſitate non iure ordinario, & per ſe, ſed ſolum per accidens per virtutem Epychię, ſeu per voluntatem implicitam Summi Pontificis, quod idem eſt,

eſt, & iure ſpeciali, aut per conſuetudinem receptam, ergo idē eſt in ſubſtantia, & in re aſſerere non poſſe Cōfeſſarium commutare vota, quæ Epiſcopus poteſt diſpenſare ſolo iure ſpeciali, aut per conſuetudinem, ſed ſolum poſſe ea commutare, quę poteſt Epiſcopus diſpenſare iure ordinario, ac aſſerere poſſe Confeſſarium commutare illa vota vigore bullę Cruciatę, quę poteſt Epiſcopus diſpēſare, pręcisè ratione ſuę iuriſdictionis ordinarię, non autē ea, quę per accidēs diſpenſare non poteſt ratione reſeruationis factæ à Summo Pontifice, quæ reſeruatio in dicto caſu neceſsitatis cenſetur ablata à Summo Pontifice in ordine ad Epiſcopum, & hoc vt ſubueniatur neceſsitati fidelium, quæ nō cenſetur ablata ex voluntate Summi Pontificis in ordine ad alios Prælatos inferiores, aut in ordine ad priuilegia, per quæ conceditur facultas cōmutandi omnia vota, exceptis illis, quæ Summo Pontifici ſunt reſeruata, ſiue explicentur in priuilegio, vt explicantur illa tria in priuilegio bullæ Cruciatæ: ſiue non explicentur, ſed excludantur tantum per clauſulam generalē: quia cum poteſtas delegata non poſsit ſe extēdi vltra id, pro quo conceditur: eo ipſo, quod in priuilegio commutandi omnia vota concedatur facultas ea cōmutandi, excludendo per clauſulam generalem vota reſeruata Summo Pontifici, non poteſt dicta facultas delegata virtute dicti priuilegij ſe extendere ad vota reſeruata Summi Pōtificis: licet non ſint excluſa in ſpecie: ſed ſolum in genere in dicto priuilegio.

387 Nec valet ſi dicas, quod per bullam Cruciatæ datur facultas; ſeu poteſtas commutandi omnia vota, exceptis illis tribus, dum manent ſub reſeruatione Pontificia: atqui in caſu poſito ex benigna interpretatione voluntatis Summi Pontificis non manēt ſub reſeruatione, ergo cum in dicta bulla excipiantur pro eo ſtatu, pro quo ſtant ſub reſeruatione Pontificis, non pro alio ſtatu poterit Confeſſarius illa commutare virtute priuilegij bullæ Cruciatæ in dicto caſu neceſſitatis, in quo non intelligūtur ſub præciſa reſeruatione Sūmi Pontificis. Hoc inquam nō valet, nam ad hanc replicam optimè reſpondet Pater Franciſcus Bardi vbi ſupra n. 141. (& ex eo Pater Antoninus Diana dict. reſol. 6. decimæ partis verſu reſpōdeo.) Per bullam Cruciatæ dari poteſtatem commutādi omnia vota, quę abſolutè. & per ſe non ſunt reſeruata Pontifici, non autem illa, quæ ſolum per accidens non ſunt reſeruata Epiſcopo, in quantum ablatio dictæ reſeruationis intelligitur facta à Summo Pontifice ad ſubueniendum neceſſitati fidelium, & conceſſa per accidens ob hanc cauſam facultas diſpēſandi Epiſcopo; nam licet ex voluntate præſumpta Summi Pontificis intelligatur conceſſa, vt diximus per accidens, facultas diſpensādi in voto caſtitatis, aut Religionis ob magnam grauemque neceſſitatem occurrentem; Ex hoc tamen non infertur, quod dicta vota caſtitatis; & Religionis poſita in illis circumſtantijs abſolute, & ſimpliciter non ſint reſeruata: quia tunc etiam manēt ſub reſeruatione, & ſolum ſunt ſub poteſtate Epiſcopi, ex quadam benigna interpretatione voluntatis ipſiusmet Summi Pōtificis reſeruantis, vt ſupra diximus,

mus, qui cum ſit vniuerſalis Paſtor Catholicæ Eccleſiæ habere intentionem præſumitur ouibus ſuis ſubueniendi: quando neceſſitas occurrit; cum autem, hic, & nunc neceſſitas in tali voto diſpẽſandi occurrat, & ab ipſomet Summo Pontifice diſpenſatio fieri nequeat, ne remedio ſint deſtituti fideles, conueniẽs fuit, vt Pontifex non reſeruaret ſibi dicta vota in his circumſtantijs in ordine ad Epiſcopum, ſed diſpenſationem dictorum votorũ relinqueret ſub poteſtate Epiſcopi, ei conceſſa ex iure ſpeciali dictæ voluntatis interpretatiuæ Summi Pontificis; reſeruatione tamen manente, quoad alios inferiores cum nulla moralitas neceſſitas ſit, vt in prædictis circũſtantijs reſeruatio, etiam tollatur reſpectu inferiorum.

388 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur; concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; vota caſtitatis, & Religionis, vt ſubſtant talibus circumſtantijs, vt poſſit in ipſis Epiſcopus diſpenſare non ſunt reſeruata per ſe, & rationi ſui: nego minorem, non ſunt reſeruata per accidens, ex volũtate interpretatiua Summi Pontificis, vt ſupra diximus, concedo minorẽ, & nego cõſequentiam. Ad probationem autem minoris reſpõdeo: concedendo reſeruationẽ eſſe tantum in ædificationem, et non in deſtructionem, vt cõſtat ex Concilio Tridentino loco in argumẽto allegato. Ad hoc autem, quod reſeruatio poſita in talibus circumſtantis non cedat in deſtructionem fidelium, non eſt neceſſe, vt abſolutè tollatur reſeruatio, ſed ſufficit, quod intelligatur voluntas interpretatiua Summi Pontificis reſeruantis, ex qua benignè intelligatur non reſeruare caſum occurrentem in talibus circumſtantijs ſibi, in ordine ad Epiſcopum, ſed relinquere illum ſub poteſtate Epiſcopi, qui poſſit in dicto caſu diſpenſare, vtendo iuriſdictione ſpeciali illi à Pontifice delegata ex benigna interpretatione voluntatis Summi Pontificis, qui, vt ſupra diximus, vt vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor præſumitur habere intentionem ſubueniendi ouibus ſuis: quando neceſſitas occurrerit.

RESOLVTIO XXXV.

Vtrum vota reſeruata poſſint commutari in melius; ſi non concedatur facultas pro ipſis commutandis, vt non conceditur in bulla Cruciatæ.

389 COnueniunt cõmuniter DD. omnia vota reſeruata Sũmo Pontifici poſſe commutari in votũ Religionis conſtitutiuũ, vt conſtat ex cap. ſcripturæ de voto: vbi dicitur, quod omnia vota, ſiue reſeruata, ſiue non reſeruata Religionis voto ſpirant, & eius obligatio ceſſat: quia ſicut vnum votum etiam reſeruatum poteſt eſſe alio voto ſimiliter reſeruato præſtantius: ſicuti vnum opus bonum poteſt præſtantius alio eſſe: ſic votum Religionis extimatur præſtantius aliorum votorum: & ideo virtute dicti voti intelliguntur alia vota: etiam reſeruata ſpirare. Notanter dixi in votũ Religionis conſtitutiuũ: nam vt bene notat Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 21. num. 18. votũ Religionis poteſt dici conſtitutiuum, vel promiſſiuum Religionis. Cõſtitutiuum appellatur illud, quod emittitur in profeſſione Religionis, quod ordi-

dinariè eſt ſolemne. Promiſſiuũ autem eſt votum ſimplex Religionis: ideſt ingrediendi, aut aſſumendi ſtatum Religioſum. Per primum autem votum Religionis conſtitutiuum ſpirant omnia alia vota: etiã reſeruata: et ideo in illud poſſunt commutari: nam cap. ſcripturæ, ſupra relatum videtur loqui de voto conſtituente Religioſum: quia licet hac voce non vtatur, illud tamen ſignificat: cum ait licitum eſſe quodcumque temporale votum in perpetuam Religionis obſeruãtiam commutare. Cum autem ſola promiſſio ſimplex Religionis non poſsit perpetuam Religionis obſeruantiam appellari: conſequens eſt, vt dictum cap. ſcripturæ loquatur de aſſumptione ipſius ſtatus per profeſsionẽ.

390 Hoc ſuppoſito, quod in præſenti inquiritur eſt: an vota reſeruata Summo Pontifici poſsint vigore bullæ Cruciatæ in melius commutari: ita vt id, in quod commutantur, ſit etiam materia reſeruata: v. g. ſi quis velit commutare votum Sancti Iacobi in votum Sancti Petri, vel hoc in votum Hieroſolymitanum, vel hoc in votum caſtitatis. In qua difficultate prima ſententia affirmatiuè reſpondet: ita tuetur Caietanus in ſumm. verb. votũ cap. vlt. Aragon in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 88. art. 12. in explic. art. nam ſi loquatur de peregrinatione hieroſolymitana, et prius dixerat in voto caſtitatis, et Religionis nunquam poſſe fieri commutationem abſque authoritate Prælati tamen poſtea vniuerſaliter concludendo ait: Cæterum verius eſt dicere, quod ſi conſtat rem, in quam ſit commutatio eſſe meliorem non eſſe neceſſariam Prelati authoritatẽ: quia Papa quãdo ſibi reſeruat alicuius voti commutationem intelligendus eſt: dummodo res ſit dubia; nam ſi certum eſt eſſe meliorem, bene poterit fieri commutatio priuata authoritate, hanc opinionem ſequuntur Sayrus in claui regia lib. 6. cap. 12. num. 14. Valentia tom. 3. ſumm. Theolog. diſp. 6. quæſt. 6. punc. 7. verb. verſu hac ipſa ratione Boſſius de iubilæo ſect. 2. caſu 8. nu. 39. Moron. reſponſ. 98. nu. 345. Qui Doctores volunt, quod id, in quod ſit commutatio, ſit euidenter melius.

391 Fundamentũ huius ſententiæ eſſe poteſt: quia expectata natura rei poteſt non ſolum Cõfeſſarius vigore bullæ Cruciatæ vota cõmutare in euidenter melius: ſed etiam ipſemet vouens propria authoritate poteſt ſuum votum commutare in aliud euidenter melius, & gratius Deo: vt docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 12. & communiter concedunt DD. Atqui poteſt dari aliquid euidẽter melius cuicumque voto reſeruato Summo Pontifici; ergo quodcumque votum reſeruatũ poteſt in melius commutari vigore bullæ Cruciatæ à Confeſſario: imo, & propria authoritate ab ipſo vouente. Minor in qua eſt difficultas, probatur, diſcurrendo per tria illa vota reſeruata: nam ſi quis voueat peregrinationem Sancti Iacobi nil dubij eſt, quod peregrinatio Sancti Petri ſit perfectior, & gratior Deo, & peregrinatio hieroſolymitana perfectior peregrinatione Sancti Petri, & votum perpetuæ caſtitatis omnibus his ſit perfectius: ergo poteſt dari aliquid euidenter melius cuicumque voto reſeruato: nam quod attinet ad caſtitatem perfectius eſt votum Religionis voto caſtitatis; ergo optimè poſſunt vota reſeruata in aliud

liud euidenter melius commutari in eodem ordine reſeruationis. Imò, & in rem non reſeruatam; dummodò euidẽter melior ſit propter eamdem rationẽ: nã ſi ex natura rei, licet votum ab inferiori independenter à volũtate Superioris commutari in rẽ euidenter meliorem: ſi talis res detur: optimè ſequitur, quod poſſit quodcumque votum reſeruatum in rem euidenter meliorem: licet non reſeruatum cõmutari: atqui hæc res poteſt dari: ergo, &c. Quod autem poſſit dari talis res non reſeruata perfectior, quam res reſeruata oſtenditur. Quia votum caſtitatis, & Religionis ſunt vota perfectiora inter vota reſeruata: atqui perfectius eſt votum non peccandi mortaliter pro tota vita, quam votum ſimplex caſtitatis; aut religionis factum extra profeſſionem ſollemnẽ Religionis, ergo dabile eſt votum de materia non reſeruata, quæ perfectius, & gratius Deo ſit, quam quodcumque aliud votũ de materia reſeruata.

392 Pater Zaccharias Paſqualigus, licet cum Doctoribus prædictę ſententię affirmet vota reſeruata eſſe commutabilia vigore iubilęi, aut priuilegij bullę Cruciatę, imo & propria authoritate vouentis in rem meliorẽ, tamen cum diſtinctione loquitur tract. de iubilęo quęſt. 293. n. 4. inquit enim, quod vota reſeruata, etiam ſi non ſit pro ipſis conceſſa facultas in iubilęo poſſe commutari ineuidenter melius. Non tamen authoritatiuè, ſed tantùm per meram ſubrogationem alterius materię, quia cum ſint dicta vota reſeruata, nec pro ipſis conceſſa ſit facultas, Confeſſarius non habet circa illa aliquam iuriſdictionẽ, & ideo non poteſt procedere authoritatiuo modo, ſed tantũ per meram ſubrogationem alterius materię. Quod ſic probat dictus Pater Paſqualigus, quia Summus Pontifex, dum reſeruat ſibi commutationem horũ votorum coarctat iuriſdictionẽ, quam habent inferiores circa commutationem votorum, atque adeò ſolum ſibi appropriat commutationem fundatã in iuriſdictione, vnde relinquit in ſuo eſſe commutationem, quę ex natura rei poſſibilis eſt, ſeclusa authoritate. Commutatio autem in id, quod euidenter eſt melius eſt poſſibilis ex natura rei ex Diuo Thoma 2. 2. quęſt. 88. art. 13. vnde communiter docẽt DD. quòd poteſt fieri etiã à vouente. Et ratio eſt, quia cũ quod eſt euidenter melius ſit in maius obſequium Dei, & Deo magis placeat, quod cedit in ſuũ maius obſequium non eſt neceſſaria authoritas Superioris, qui nomine Dei faciat commutationem, & authorizet materiam ſubrogatam. Hęc Zaccharias Paſqualigus.

393 Vera tamen, & communis sẽtentia negat poſſe Confeſſarium virtute priuilegij bullæ Cruciatę dicta vota reſeruata commutare, nec in aliam materiam reſeruatam, nec in non reſeruatam, etiam ſi ſit euidenter melius, & multo minus hoc poſſe fieri à vouente propria authoritate. ita Pater Franciſcus Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 21. n. 17. & 18. Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. quæſt. 4. ar. 3. Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 18. quæſt. 4. Tabiena quæſt. 9. de diſpenſatione n. 11. Pater Franciſcus Bardi in explic. bull. Cruc.

par. 2. tract. 7. cap. 2. sect. 4. §. 7. n. 104. D. Carolus Latius in dilucidat. bull. Cruc. disp. 8. quæst. 2. difficult. 15. n. 18. qui pro hac sententia citant Ludouicum à Cruce de expositione bull. Cruc. disp. 1. cap. 8. dub. 2. n. 21. immerito tamen, nam Ludouicus à Cruce in dict. cap. & dub. 2. nihil de hac re tractat sed de alia valde diuersa, vtrum (scilicet) cũ in bulla detur facultas ad lucrandum omnes indulgentias Vrbis Romanæ, & an in ea compræhẽdantur indulgẽtiæ plenariæ. Nec in dicto dubio inuenitur numerus 21. cum finiatur n. 8. Verũ tamen est, quod de hac difficultate tractat dictus Pater Ludouicus à Cruce dicta disput. 1. cap. 6. dub. 3. sed potius stat pro contraria sententia, quã pro ista, pro qua illum citant dictus Pater Frãciscus Bardi, & D. Carolus Latius, vt ex verbis ipsius cõstat, sic enim ait dict. dub. 3. n. 9. §. aduerto tamen. Aduerto etiam cum Soto vbi supra, quod non debet quis propria authoritate commutare castitatis, aut Religionis votum, quia non ita facile reperiri potest euidenter æquale; & sic exponit se periculo grauiter errandi. Vera tamẽ est hæc cõditionalis, quod si aliquod detur euidẽter melius, aut euidenter æquale rectè possunt prædicta vota commutari iuxta dicta, ita Ludouic. à Cruce.

394 Fundamentũ potissimum nostræ sententiæ est, quia Summus Pontifex potest prohibere commutationem aliquorum votorũ etiam in melius, vt non possit fieri dicta commutatio authoritate priuata ob iustas, & legitimas causas, sed quod fieri debeat tantum authoritate Apostolica; atqui illa tria vota excluſa in bulla Cruciatæ à facultate commutandi vigore dicti prluilegij, vult Summus Pontifex vt nulla authoritate alicuius inferioris Summo Pontifici possint commutari, ergo etiam si commutatio dictorum votorum fiat in euidenter melius non potest fieri ab alio, quam à Summo Pontifice, vel de eius authoritate, & commissione, et consequenter non poterit Confessarius dicta vota commutare vigore bullæ Cruciatæ, etiam in rem euidenter meliorem. Maior est certa, nam dicta prohibitio facta à Sũmo Pontifice commutandi dicta vota absque Sedis Apostolicę expressa facultate, non est contra bonos mores, quia per hoc non prohibetur simpliciter melius bonum, sed præscribitur modus transferẽdi ad illud ex licentia supremi Vicarij Christi, cui aliud bonum erat in specie promissum. Minor vero expressè habetur in cap. Et si Dominici. 2. de pœnit. & remiss. in 6. vbi Sixtus Quartus in hac extrauaganti prohibet omnibus inferioribus Sedi Apostolicæ quacũque dignitate, authoritate, & prę eminentia functi sint, vt nõ possint dicta quinque vota cõmutare absq; Sedis Apostol. authoritate, & facultate, ergo, &c.

395 Nec valet si dicas, quia ex dictis sequeretur impediri exequutionem maioris boni, quod est rectæ rationi dissentaneum, & repugnat naturæ voti, quod est de meliori bono, & nequit esse maioris boni impeditiuum. Hoc inquam non valet: nam vt benè docet Pater Prãciscus Bardi vbi supra n. 106. negandum est antecedens, quia per hanc reseruationem non prohibetur, aut simpliciter impeditur melius bonum, sed solum præscribitur modus, quo eligi debet loco

.co materiæ promiſſæ per votũ.

396 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, diſtinguendo maiorem, expectatata natura rei, poteſt non ſolum Cõfeſſarius virtute bullæ Cruciatæ vota commutare in euidenter melius, ſed etiam ipſe vouens propria authoritate, ſi Summus Pontifex non præſcribat modũ, quo eligi debet loco materiæ per omiſſæ per votum, concedo maiorem, ſi Summus Pontifex præſcribat dictum modum cõmutandi dicta vota præſcribendo modum, quo eligi debet loco materiæ promiſſæ per votũ, nego maiorem. Cum autem Sũmus Pontifex expreſſe ſtatuat, quod nemo quacumque etiam Epiſcopali, aut maiori fulgeat dignitate prædicta quinque vota commutare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ facultate: vt conſtat ex dicta extrauaganti. Et ſi Dominici, hinc eſt, quod nec Confeſſarius vigore bullæ Cruciatæ, nec vouens propria authoritate poſſit dicta vota commutare in materiam euidenter meliorem, ſiue reſeruatam, ſiue non reſeruatam, cum iudicium de conuenientia huius commutationis in melius bonum ſibi Summus Pontifex reſeruet. Nec contrarium docet Diuus Thomas dict. art. 12. citato, vt conſtat ex ſolutione ad 3. argumentum, vbi ſic ait: ad 3. dicendũ, quod quia Summus Pontifex gerit plenariè vicem Chriſti in tota Eccleſia, ipſe habet plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in omnibus diſpenſabilibus votis. Alijs autem inferioribus Prælatis committitur diſpenſatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti diſpenſatione, vt habeant de facili homines ad quem recurrant, ſicut ſũt vota paregrinationum, & ieiuniorum, & aliorum huiuſmodi. Vota vero maiora puta continẽtiæ, & peregrinationis Terræ ſanctæ reſeruantur Summo Põtifici. Quare omiſſa minori, neganda eſt conſequentia, quia licet poſſit dari aliquid euidenter melius cuicũque voto reſeruato Summo Pontifici, inde non infertur poſſe Confeſſarium vigore Bullæ Cruciatæ, aut vouens propria authoritate dicta vota Summo Pontifici reſeruata in dictam materiam euidenter meliorem, ſi detur, commutare, quia vt ſupra diximus, licet Sũmus Põtifex in reſeruatione dictorum votorum non prohibeat, aut impediat ſimpliciter melius bonum, tamen præſcribit modum, quo eligi debet loco materiæ promiſſæ per votum, ideoq; nullus alius Summo Põtifici inferior poteſt dicta vota commutare in euidenter melius abſque facultate Sũmi Põtificis.

397 Ex quo patet ſolutio ad fundamentum *Patris Zachariæ* Paſqualigi, nam negandum eſt poſſe Confeſſarium vigore bullæ Cruciatæ commutare dicta vota Pontifici reſeruata in rem euidenter meliotem, etiam ſolũ per ſubrogationem meram alterius materiæ, cum iudicium dictæ ſobrogationis alterius materiæ in commutatione dictorum votorum ſibi reſeruet Summus Pontifex, prohibens omnibus alijs inferioribus cuiuſcumque ſtatus, conditionis, & dignitatis ſint dictam ſubrogationem alterius materiæ in commutatione dictotum votorum facere abſq; *Sedis Apoſtolicæ facultate.* Nec contrarium docet Diuus Thomas à dicto Paſqualigo allegatus 2.2. quęſt. 88. art. 12. vt ſupra ex eod. Diu. Thom. diximus.

FINIS TRACTATVS SECVNDI.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Quæ in hoc opere continentur.

T. Tractatum. R. Reſolutionem. P. Paginam.
N. Numerum ſignificant.

Abſolutio.

ABſolui poteſt ſacramentaliter ſub conditione moribundus catholicus catholicè viuens, qui ſenſibus deſtitutus nec petijt confeſſionem, nec aliud pœnitentiæ ſignum dedit. t. 1. r. 4. p. 43. n. 78. ſeq. & p. 55. n. 103.

Abſolui poteſt ſub conditione in opinione probabili; ſaltem ab extrinſeco moribundus Catholicus perditæ vitæ, qui ſenſibus deſtitutus, nec petijt confeſſionem, nec pœnitentiæ ſignum dedit. t. 1. r. 4. p. 65. num. 118. Probabilius eſt non poſſe etiam ſub conditione abſolui moribundum Catholicum perditæ vitæ, qui ſenſibus deſtitutus nullũ pœnitentiæ ſignũ dedit t. 1. r. 4. p. 53. nu. 98. & ſeq.

Abſolui poteſt licitè, & valide ille, qui in confeſſione particulari ob verecundiam, vel ad conſeruandam bonam famam, ſeu opinionem, quam de illo habet Confeſſarius, ſe accuſat de peccatis venialibus commiſſis, & de vltimo peccato v. g. adulterij ab ipſo commiſſo, nihil aliud in dicta confeſſione explicando t. 1. r. 8. p. 92. n. 165. & ſeq.

Abſolui poteſt Religioſus Regularis habens caſus reſeruatos ſuo ſuperiori, ſi Cõfeſſarius licentiam petat à ſuperiore, & ſuperior eam iniuſtè neget. t. 1. r. 9. p. 185. nu. 198.

Abſolui poteſt ſubditus Regularis habens caſus reſeruatos ſuo Superiori à Cõfeſſario inferiori petita licentia à ſuperiore, & non obtenta, ſeu iniuſtè denegata iudicio Confeſſarij, non ſolum vna vice tantum, ſed toties, quoties Cõfeſſario viſum fuerit conueniens petere à ſuperiore facultatem abſoluendi ſubditũ à caſibus Superiori reſeruatis; ſi Prælatus iniuſtè iudicio Cõfeſſarij licentiam neget ibid. nu. 200.

Abſolui non poteſt habens bullam Cruciatæ vigore illius ab vnoquoque caſu reſeruato quouſque abſoluatur ab omnibus, ab vnoquoque tamen ſemel durante anno publicationis Cruciatæ bullæ t. 2. r. 9. p. 309. n. 85. & ſeq.

Abſolui poteſt habens Bullam Cruciatæ à Confeſſario ab ipſo electo virtute ipſius bullæ priuilegij toties quoties à caſibus occultis Papæ reſeruatis t. 2. r. 10. p. 318. n. 204. & ſeq.

Abſolutio à peccatis venialibus poteſt reſeruari à Summo Pontifice t. 1. r. 23. p. 186. n. 394.

Abſolui poteſt licite, & validè à Confeſſario hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus: ſi antea non fateatur veritatem publicè t. 2. r. 27. licet non ſit improbabilis ſententia oppoſitum affirmans t. 2. r. 17. per totam p. 361. à n. 184.

Abſolui non poteſt vigore bullæ Cruciatæ ille, qui culpabiliter omiſit denunciare delicta contenta in edictis Dominorum Inquiſitorum: antequam actu denunciet, quando nulla eſt impotentia, aut neceſſitas communicandi, aut

alia causa legitima excusans ab actuali denunciatione facienda pro tali tempore t. 2. r. 18. p. 365. nu. 193. & seq.

Absolui potest virtute priuilegij bullæ Cruciatæ ille, qui omisit culpabiliter denunciare delicta contenta in edictis Dominorum Inquisitorum post factam denũciationem actualem, non solum à peccato commisso, sed etiam ab excommunicatione maiori, in quam incurrit propter dictam culpabilem omissionem denunciandi dicta delicta ibid p. 367. n. 198.

Absolutio data à Confessario virtute bullæ Cruciatæ ab excommunicatione publica iam deducta ad forum externum, seu contentiosum solum potest prodesse pro foro conscientiæ, & nullo modo pro foro fori, seu iudiciali etiamsi collata sit parte satisfacta t. 2. r. 25. p. 405. nu. 277. & seq.

Accusatio

Accusatio virtualis peccatorum sufficit, vt Confessarius impendat absolutionem sacramentalem sub conditione Catholico moribũdo sensibus destituto t. 1. r. 4. p. 63. nu. 115.

Actus

Actus efficax voluntatis, quo quis vult decem homines occidere includit circũstantiam necessario in confessione explicandam in opinione probabili; scilicet obiectorum numerum t. 1. r. 14 p. 139. n. 28. prope finem.

Actus efficax voluntatis, quo quis vult efficaciter decem homines occidere non includit circumstantiam necessario in cõfessione explicandam, scilicet obiectorũ numerum in probabiliori opinione t. 1. r. 14. p. 241. nu. 286. & 287.

Idem numero actus: siue bonus, siue malus non potest habere plures n. distinctas tantum bonitates, aut malitias necessario in confessione explicandas ibid.

Idem numero actus exterior, quoquis decem homines occidit includit in probabili opinione decem malitias morales numero distinctas necessario in confessione aperiendas ibid. n. 288.

Ille, qui vnico actu plures lædit maledicendo vnum solum peccatum committit: tam inesse physico, quam inesse morali t. 1. r. 28 p. 163. n. 347.

Ille, qui Plures actus carnales absque interruptione ead. nocte cum Amasia habuit plura peccata mortalia commisit necessario in confessione explicanda t. 1. r. 16. p. 150. n. 310. & seq.

Ille, qui vnico actu plures homines occidit non committit plura peccata mortalia numero distincta, sed tantum vnicum peccatum; tam inesse physicõ, quam inesse morali t. 1. r. 14. p. 142. n. 290. in fine.

Actus carnalis coniugati cum coniugata non est duplex peccatum adulterij nu. distinctum t. 1. r. 18. p. 160. n. 336.

Actus carnalis coniugati cum coniugata nõ constituit duo peccata mortalia adulterij specie diuersa ibid. p. 161. n. 338.

Actus carnalis coniugati cũ coniugata non iucludit duas malitias accidentales extrinsecas solo numero distinctas ratione quarum possit constituere duo peccata mortalia n. distincta intra speciem adulterij t. 1. r. 18. p. 161. nu. 342.

Actus carnalis coniugati cũ coniungata non includit duas malitias, seu duo accidentia relatiua solo numero distincta ratione quorum possit duo peccata mortalia adulterij n. distincta constituere ibid. p. 162. n. 343.

Actus carnalis coniugati cum coniugata est tantum vnus; tam inesse physico, quã inesse morali ibid. d. p. 162. n. 344.

Licet actus carnalis coniugati cum coniugata non includat duas malitias: nec absolutas extrinsecas, nec intrinsecas relatiuas, nec sit duplex actus, etiam inesse morali: nihilominus includit circumstantiam complicis necessario in confessione aperiendam ibid. d. p. 162. n. 345. & seq.

Actus interni; licet non possint præcipi ab Ecclesia, quando non sunt necessarij ad actus externos, vt eorum forma; bene tamen possunt præcipi ab Ecclesia; quatenus sunt necessarij ad actus externos, vt eorum forma t. 1. r. 32. p. 251. n. 517. & seq. & p. 253. n. 521.

Agonia

Agonia mortis: præcisè sumpta; vt agonia formaliter, est inditium probabile interioris contritionis, aut attritionis supernaturalis in moribundo catholico sensibus destituto, qui nullum pœnitentiæ signum dedit. Bene tamen si coniugatur cum vita catholicè acta à dicto moribundo catholico sensibus destituto, qui nullum pœnitentiæ signum dedit t. 1. r. 4. p. 59. nu. 108. & p. 61. nu. 111. & p. 63. nu. 114.

Annus

Annus durationis bullæ Cruciatæ accipiẽdus est pro anno Ecclesiastico ab v-

na

na vſque ad aliam publicationem dictæ bullæ, & non pro anno naturali, & ſolari t. 2. r. 1. p. 268. nu. 3. & ſeq.

Attritio

Attritio, quæ requiritur, vt Sacramentũ pœnitentiæ ſit validum, & formatum, nõ debet eſſe de omnibus peccatis propter eorum deformitatem, ſeu turpitudinem formaliter, ſed ſatis eſt: quod de omnibus pœnitens doleat ſub generali ratione offenſæ Dei t. 1. r. 1. p. 3. n. 6.

Attritio ſupernaturalis peccatorum, etiam abſque explicito, & expreſſo propoſito non peccãdi de cætero ſufficit ad hoc vt pœnitentiæ Sacramentum ſit validum, & formatum t. 1. r. 1. p. 4. nu. 8. & p. 5. nu. 9.

Attritio, quæ in re non eſt ſupernatulis, licet vt talis exiſtimetur à pœnitente non ſufficit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ t. 1. r. 1. p. 7. n. 11.

Attritio merè naturalis peccatorum nõ ſufficit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ t. 1. r. 1. p. 9. n. 13. & ſeq.

Attritio ſupernaturalis ſufficit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ: etiamſi pœnitens non habeat expreſsè, & explicite actus fidei diuinæ Dei iuſtificatoris, & ſpei veniæ t. 1. r. 1 p. 12. n. 20.

Attritio ſupernaturalis peccatorum, non ſolum eſt pars eſſentialis materialis Sacramenti pœnitentiæ; ſed etiam eſt diſpoſitio ad recipiendum effectum Sacramenti pœnitentiæ in anima, nempe gratiam reconciliationis cum Deo t. 1. r. 1. p. 20. n, 33. & ſeq.

Authoritas

Authoritas vnius Doctoris tantum peritus in ſcientia, & timoratæ conſcientiæ ſufficit ad conſtituendam opinionem extrinſecè probabilem: etiam ſi ſit contra communem Doctorum ſententiam t. 1. r. 31. p. 265. nu. 554.

Bulla Cruciatæ

Bulla Cruciatæ durat: ſolum ab vna vſque ab aliam dictæ bullæ publicationẽ t. 2. r. 1. p. 267. n. 3. et ſeq.

Bulla Cruciatæ gaudẽt omnes Religioſi Regulares vtriuſque ſexus, tam inferiores; quam Superiores: quoad effectum veſcendi ouis, & lacticinijs Dominicis diebus quadrageſimalibus t. 2. r. 3. p. 278. n. 23. & ſeq.

Per bullam Cruciatæ poteſt illam habens abſolui; tam in articulo, quam in Periculo mortis à quibuſuis peccatis, & cenſuris Papæ reſeruatis, excepto crimine hæreſi exteriotis t. 2. r. 8. p. 306. nu. 76.

Vigore bullæ Cruciatæ non poteſt illã habens lucrari indulgentiam plenariam in mortis periculo conceſſam in d. bulla Cruciatæ pro mortis articulo ibib. d. nu. 76. & ſeq.

Bulla Cruciatæ anni præteriti non poteſt prodeſſe alicui in anno ſequenti: quoad effectum obtinendi beneficium abſolutionis à peccatis, & cenſuris Papæ reſeruatis commiſſis in ipſo anno ſequenti, etiã ſi quis dicta nulla anni præteriti non fuiſſet vſus in dicto anno præterito, quoad effectum ſe abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis t. 2. r. 9. p. 315. n. 99. & ſeq.

Vigore bullæ Cruciatæ poſſunt à Confeſſario approbato ab Ordinario abſolui excommunicati, aut publici percuſſores Clericorum, & alij quorum excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum & lis non eſt finita t. 2. r. 24. p. 403. num. 267. & ſeq.

Virtute priuilegij bullæ Cruciatę ſolum poteſt quis abſolui a cenſuris iam deductis ad forum contentioſum in foro conſcientiæ non autem in foro Poli, ſeu contentioſo, etiam parte ſatisfacta t. 2. r. 25. p. 405. n. 277. & ſeq.

Per bullam Cruciatæ non poteſt commutari votum in rem minorem. t. 2. r. 26. p. 412. n. 291. & ſeq.

Virtute bullæ Cruciatæ poteſt cõmutari votum disiunctiuum de materia reſeruata, & non reſeruata: etiam quando vouens iam elegit materiam reſeruatam dicti voti, nempe caſtitatem ſeruare; dum tamen illa electio ſit electio ſimplex, & non confirmata noua, & explicita promiſſione ſeruandi caſtitatem t. 2. r. 30. p. 425. n. 325. & ſeq.

Per bullam Cruciatæ improbabili opinione poteſt commutari votum disiunctiuum conſtans ex vtraque parte reſeruata, v. g. votum caſtitatis, vel Religionis antequam ſic vouens ſe determinet ad vnam. vel alteram partem dicti voti. t. 2. r. 31. p. 430. n. 333. & ſeq.

Per bullam Cruciatæ in probabiliori opinione non poteſt commutari votum diſiunctiuum conſtans ex vtraqne parte reſeruata, v. g. votum caſtitatis, vel ingreſſus Religionis etiam antequam ſic vouẽs ſe determinet ad vnam, vel alteram partem dicti voti ibid. p. 431. n. 336. & ſeq.

Caſus reſeruati

Caſus reſeruatus ſuperiori ſæculari nõ poteſt: nec licitè, nec valide abſolui ab in-

inferiori Confeſſario abſque expreſſa licentia dict. ſuperioris ſæcularis t. 1. r. 9. p. 105. n. 197. in fine.

Caſus reſeruatus ſuperiori regulari poteſt licite, & valide abolui à Confeſſario inferiori petenti ex iuſta cauſa facultatē abſoluendi dictum caſum reſeruatum à dicto ſuperiore regulari, ſi ille iniuſtè dictā facultatem Cōfeſſario inferiori illam petenti neget. ibid. n. 198.

Caſus reſeruatus ſuperiori Regulari nō poteſt abſolui à Cōfeſſario inferiori licētia petita, & nō obtēta à ſuperiore regulari: quādo ſcādalum probabiliter timeri poteſt, aut monaſterij damnum cui ſuperior remediū adhibere valeat ſaluo ſacramētalis cōfeſſionis ſigillo t. 1. r. 9. p. 106. n. 202.

Caſus reſeruatus ſuperiori regulari nō poteſt abſolui à Confeſſario inferiori licētia à Superiore petita, & non obtenta: quando probabiliter timetur reciduum pœnitentis, vel alterius. ibid.

Caſus reſeruatus ſuperiori regulari nō poteſt abſolui à Confeſſario inferiori licēria à Prælato regulari petita, & non obtēta: qnando timetur damnum tertiæ perſonæ, quod damnum alia via vitari non poteſt: niſi reſeruando ſuperior regularis ſibi abſolutionem dicti caſus. Non obſtāte decreto Clementis 8. de reformat. quia tunc Prælatus iuſtè negat dictam licentiā abſoluēdi ſuum ſubditum in dicto caſu ab alio Confeſſario inferiori. ibid.

Caſus reſeruarus Superiori regulari, ex quo nullum ſequitur ſcandalum, aut monaſterij damnum, nec reciduum pœnitētis, vel alterius, nec timetur damnum tertiæ perſonæ poteſt abſolui à Confeſſario inferiori petita licentia à ſuperiore iuſta de cauſa, & non obtenta: non ſolum pro vna vice tantum, ſed toties quoties iudicio Cōfeſſarij videbitur conueniens dictam facultatem abſoluendi petere à ſuperiore regulari: cum ſi in tali caſu ſuperior regularis dictam licentiam, ſeu facultatem illi petitam à Confeſsario inferiori iniuſte neget t. 1. r. 9. p. 105. n. 200.

In caſu neceſsitatis; videlicet, quando adeſt præceptum annuæ confeſsionis, vel aliquis vult Sacrum celebrare, vel accedere ad ſacram communionem, quod nō poteſt vitari abſque magno ſcandalo, poteſt: imo, & debet habens caſus reſeruatos confiteri Confeſsario inferiori omnia peccata reſeruata cum non reſeruatis, vt à Confeſsario inferiori abſoluatur directè a peccatis non reſeruatis, & indirectè a reſeruatis: t. 1. r. 9. p. 99. nu. 183.

Caſus reſeruati Summo Pontifici: ſi occulti ſint deſinunt: omnino eſſe Papales, & ſunt omnino Epiſcopales t. 2. r. 10. p. 313. n. 113. & p. 324. n. 114.

Caſus hæreſis exterioris: etiam ſi occulſit: nunquam deſinit omninò eſse caſus Papæ reſeruatus, ſed ſemper retinet reſeruationem papalem ibid.

Circumſtantia

Circumſtantię mutantes ſpeciem ſunt neceſsario in confeſſione explicandę t. 1. r. 10. p. 108. n. 206.

Circumſtantiæ non mutantes ſpeciem; licet notabiliter aggrauent peccatum intra eamdem ſpeciem non sunt neceſsario in confeſſione explicandæ in opinione probabiliori t. 1. r. 13. p. 129. nu. 160. & ſeq.

Circūſtantiæ tantum aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem non ſunt neceſsario in confeſſione explicandæ; etiamſi pœnitens de illis interrogetur à Cōfeſsario. ibid. p. 132. nu. 264. & ſeq.

Circumſtantiæ notabiliter aggrauantes peccatū: ſi taliter aggrauent, quod multiplicent rationem formalem peccati debent neceſsario in confeſſione explicari: t. 1. r. 14. p. 138. n. 280. & r. 15. p. 146. n. 299. & ſeq. & p. 141. n. 285. & p. 142. nu. 390. & p. 246. n. 298.

Circumſtantiæ, quæ aggrauant peccatum notabiliter non multiplicando rationem peccati non ſunt neceſsario in confeſſione explicandæ. ibid. dicta r. 14. p. 148. n. 280. & p. 142. n. 290.

Circumſtantia plurium occiſorum vnico actu exteriori eſt neceſsario in confeſſione explicāda: licet qui vnico actu plures occidit non committat; niſi tantum vnicum peccatum mortale: tam ineſse phyſico: quam ineſse morali. t. 1. r. 14. p. 142. n. 290. in fine.

Circumſtantia plūralitatis obiectorum actus voluntatis, quo quis vult plures homines occidere non eſt neceſsario in confeſſione aperienda. t. 1. r. 14. num. 286. & 287.

Ille, qui efficaciter plures homines maledixit tenetur in confeſſione explicare circumſtantiam perſonarum: ſcilicet quot homines maledixerit t. 1. r. 15. p. 145. n. 295. prope finem.

Circumſtantia carnalis copulæ coniugati cum coniugata eſt neceſsario in confeſſione aperienda, & non ſufficit, quod talis coniugatus in confeſsione dicat ſe com-

commiſſiſse adulterium, ſed neceſse eſt, vt explicet in confeſſione ſtatum ſuum, & ſtatum ſui complicis t. 1. r. 18. p. 162. n. 345. & ſeq.

Circumſtantia matrimonij eſt neceſſario explicanda: quando coniugatus delectationem habuit circa ſoluram t. 1. r. 19. p. 163. n. 349. et ſeq.

Circumſtantia ordinis ſacri in Sacerdote græco vxorato, qui habuit copulam carnalem cum alia à ſua in opinione probabili non eſt neceſſario in confeſſione explicanda t. 1. r. 21. p. 174. nu. 374.

Circumſtantia ordinis ſacri in Sacerdote græco vxorato, qui aliam à ſua carnaliter cognouit in probabiliori opinione eſt neceſſario in confeſſione explicanda. ibid. p. 175. n. 375.

Circumſtantia ſponſalium ſponſi, vel ſponſæ de futuro cum alijs carnaliter ſe miſcentium eſt neceſſatiò in confeſſione explicanda; tam ex parte ſponſi; quam ex parte ſponſæ, & ex parte illorum cum quibus miſcentur carnaliter, dum hoc nõ fiat ſponſo, vel ſponſa conſentiente t. 1. r. 22. p. 178. nu. 381. et ſeq. et p. 180. n. 384. & ſeq.

Circumſtantiæ notabiliter aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem: etiam ſi ſint faciles cognitu non ſunt neceſſario in cõfeſſione explicãdæ t. 1. r. 14. p. 137. n. 236. Coniugatus

Coniugatus, qui morosè delectetur circa ſolutã tenetur circumſtantiã matrimonij in cõfeſſione explicare t. 1. r. 19. p. 163. n. 349. & ſeq. Confeſſarius

Confeſſarius poteſt licite, & valide pœnitentem abſoluere à peccatis mortalibus generice: dumtaxat confeſſis: quãdo aliter ob aliquod impedimentum phyſicum, aut morale confiteri illa non poteſt: præcipuè in mortis articulo t. 1. r. 3. p. 38. nu. 90. & ſeq.

Confeſſarius poteſt ſub conditione ſacramentaliter abſoluere moribundum catholicum catholicè viuentem, qui ſenſibus deſtitutus, nec petijt confeſſionem nec aliud pœnitentiæ ſignum dedit; t. 1. r. 4. p. 43. n. 78. et ſeq. et p. 55. n. 103.

Confeſsarius non ſolum poteſt ſub cõditione ſacramentaliter abſoluere moribundum catholicũ catholice viuentẽ, qui ſenſibus deſtitutus, nec petijt confeſsionec aliud pœnitentiæ ſignum dedit, ſed tenetur ſub mortali culpa eum ſub conditione abſoluere t. 1. r. 4. p. 66. n. 119.

Confeſſarius non poteſt: etiam ſub conditione (ſiſtendo in probabiliori opinione) abſoluere moribundum catholicum perditę vitæ, qui ſenſibus deſtitutus: nec petijt confeſſionem; nec aliud pœnitẽtiæ ſignũ dedit. t. 1. r. 4. p. 53. n. 98. & ſeq.

Confeſſarius poteſt (ſequendo opinionem probabilem: ſaltem ab extrinſeco) abſoluere ſub conditione moribundum Catholicũ perditæ vitę ſenſibus deſtitutũ, qui: nec petijt confeſſionem: nec aliud dedit pœnitẽtiæ ſignũ t. 1. r. 4. p. 65. n. 118.

Confeſſarius poteſt licite, & valide abſoluere moribundum, quem inuenit ſenſibus deſtitutum, qui: nec petijt confeſſionem, nec aliud dedit pœnitentiæ ſignum; ſi inueniat aliquam ſchedulam, in qua dictus moribundus habebat ſcripta ſua peccata ad ea integrè confitenda abſque: eoquod per hoc contraueniat decreto Clemẽtis 8. t. 1. r. 5. p. 67. n. 123. & ſeq.

Confeſſarius poteſt in caſu neceſſitatis, v. g. quando adeſt præceptum confeſſionis, vel quando aliquis vult ſacrum celebrare, vel accedere ad ſacram communionem, quod non poteſt vitari abſque magno ſcandalo pœnitentem habentem caſus reſeruatos abſoluere directè à peccatis non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis t. 1. r. 9. p. 99. n. 183.

Confeſſarius Regularis petita licentia a ſuperiore regulari iuſta exiſtente cauſa ad abſoluendum ſubditum regularem à caſibus dicto ſuperiori reſeruatis poteſt eum abſoluere: etiamſi Prælatus licentiam non concedat, dum iniuſtè eam neget iuxta iudicium prudentis Confeſſarij dictam licentiam petentis t. 1. r. 9. p. 105. n. 198. Et non ſolum pro vna vice tantum, ſed etiam illis vicibus, in quibus Confeſſarius expedire dictam licentiam abſoluẽdi ſubditum à reſeruatis à Prælato impetrari, quam ſi neget Prælatus iniuſte videtur negare ibid. n. 200.

Confeſſarius Regularis nõ poteſt licitè, & validè abſoluere ſubditum regularem à peccatis ſuo Prælato reſeruatis licentia petita, & non obtenta à Prælato Regulari: ſi eam Prælatus iuſtè neget. ibid. p. 106. n. 201. in fine, & n. 202.

Confeſſarius electus virtute bullæ Cruciatæ non poteſt pœnitentem abſoluere: ſemel ab vnoquoque caſu reſeruato in ſpecie: quouſque eum ab omnibus caſibus reſeruatis ſpecie diuerſis abſoluat durante anno publicationis bullæ Cruciatæ t. 2. r. 9. p. 309. nn. 85. & ſeq.

Confeſſarius electus vigore bullæ Cruciatæ poteſt pœnitentem abſoluere toties

quoties à casibus Pontifici reseruatis: dũmodo occulti sint t. 2. r. 10. p. 318. n. 104. & seq.

Confessarius non potest absoluere pœnitentem à casibus Papæ reseruatis virtute bullæ Cruciatę, aut bullarum præteritorum annorum, quibus pœnitens non fuit vsus annis præteritis quoad effectum obtinendi beneficium absolutionis à casibus Papæ reseruatis t. 2. r. 9. p. 315. nu. 96. & seq.

Confessarius nõ potest virtute priuilegij bullæ Cruciatæ pœnitentem absoluere ab hæresi exteriori occulta t. 2. r. 10 p. 323. n. 113. & p. 324. n. 114.

Licet concedatur gratis Confessarium posse vigore bullæ Cruciatæ pœnitentem absoluere ab hæresi exteriori occulta, hoc non habet locum in Regnis, in quibus sanctum Inquisitionis Tribunal reperitur ibid. p. 325. n. 115. qui ex errore impressionis inuenies n. 114.

Confessarius potest licite; & valide cõfessionem audire hæretici occulti, qui nõ potuit absolutionẽ criminis hæresis obtinere ab Episcopo, aut ab alio habente potestatem ipsum absoluẽdi, nec recurrere pro absolutione dicti criminis hæresis ad pœnitentiariam, nec Romam adire eumque directè à peccatis non reseruatis absoluere, & indirectè à crimine hæresis. t. 2. r. 10. p. 325. n. 116. per errorem impressionis inuenies n. 15. in fine. & pag. 326. n. 117.

Confessarius potest licitè, & validè cõfessionẽ hæretici occulti audire, qui misit ad Summum Pontificẽ, vt sui absolutionẽ alicui committat, & interim si non communicet, aut celebret grauem infamiam incurret, & scandalum magnum oriretur ibid. dicto n. 116. in fine.

Cõfessarius virtute bullæ Cruciatæ potest absoluere Schismaticos, fautores, & receptores hæreticorum, & reliquos etiã, qui in bulla Cœnæ Domini continentur, excepto hæretico exteriori: semel in vita; & semel in mortis articulo t. 2. r. 16. p. 353. n. 165. & seq.

Confessarius virtute bullæ Cruciatæ potest suos pœnitentes toties quoties absoluere à casibus sanctæ Inquisitionis reseruatis, exceptis illis, qui simul in bulla Cœnæ Domini continentur, aut ex alio capite sunt Summo Pontifici reseruati. t. 2. r. 15. p. 357. n. 173. & seq.

Confessarius administrans Sacramentũ pœnitentiæ in peccato mortali peccat mortaliter: nisi per accidens excusetur ob impossibilitatem moralem se iustificãdi per actum contritionis. t. 1. r. 16. p. 152. n. 313. & 314.

Cõfessarius, qui in peccato mortali plurium confessiones excipit successiuè multipliciter peccat; hoc est tot peccata mortalia committit, quot confessiones excipit. ibid p. 153. n. 316. & p. 154. nu. 318. & seq.

Confessarij Regulares: præcipuè ordinum mẽdicantium approbati simpliciter ab vno Episcopo ad confessiones audiendas in opinione probabili possunt in tota Ecclesia Dei cõfessiones fidelium audire licitè, & valide absque noua alterius Episcopi approbatione non obstantibus bullis Vrbani 8. & Innocentij 10. t. 1. r. 28. p. 220. n. 457. & p. 221.

Confessarij Regulares *Societatis* Iesu approbati ab aliquo Episcopo non possũt virtute priuilegij Gregorij 13. audire cõfessiones fidelium aliarum diœcesum præsentibus Episcopis, aut eorum Vicarijs Generalibus absque eorum licentia, neq; illis absentibus contradicentibus Parochis t. 1. r. 28. p. 223. n. 460. Nec dictũ priuilegium Gregorij 13. est hodie reuocatum per constitutionem nonagesimam secundam Vrbani 8. editam die 17. Septembris 1628. vt malè iudicant Lazana, & Murga. ibid. n. 461. & seq.

Confessarij Regulares Societatis Iesu, qui approbati ab vno Episcopo virtute priuilegij Gregorij 13. in alijs diœcesibus absentibus Episcopis, eorumque Vicarijs Generalibus fidelium confessiones audiunt non tenentur petere licentiam a Parocho ad excipiendas confessiones, sed satis est, quod Parochus non contradicat. Si autem Parochus contradiceret inualidę essent confessiones ab ipsis factæ vigore dicti priuilegij. p. 225. n. 463.

Confessarius, siue sæcularis: siue regularis ab vno tantum Episcopo approbatus simpliciter ad excipiendas confessiones fidelium potest vbique, ideſt in toto Orbe sæcularium Sacerdotum confessiones licitè, et valide audire t. 1. r. 29. p. 227. n. 467. 468.

Confessarius, siue sæcularis: siue regularis non potest licitè vti scientia habita in confessione sacramentali ad regimen externum suarum actionũ Reipublicæ, aut communitatis, & contraria sententia est improbabilis post decretum Clementis 8. t. 1. r. 30. p. 234. nu. 480. & seq.

Con-

Confeſſarius poſt auditam confeſſionē ſacramentalem habet obligationem ſeruandi ſecretum confeſſionis, quæ obligatio oritur ex iure humano Eccleſiaſtico, & ex iure pure naturali, ex iure naturali diuino t. 1. r. 30. p. 236. n. 482.

Confeſſarius ob crimen occultum auditum in confeſsione non poteſt; etiam occultè negare pœnitenti ſuffragium, vel remouere eum ab officio adnutum amobili. ibid.

Confeſſarius non poteſt ex notitia habita in confeſſione ſacramentali negare etiam in occulto pœnitenti ſacram communionem abſque fractione ſigilli confeſſionis; ſaltem indirectè t. 1. r. 30. p. 239. nu. 490.

Confeſſarius, qui ſcit ex notitia habita in confeſsione, quod quædam Mulier nobilis: quando vocat Confeſſarium in domum ſuam ad confitendum; ſæpius illum ſollicitat ad actus inhoneſtos, ſeu ad venerem. Si ipſe eſt vocatus à tali muliere in domum ſuam ad confitendum debet adire; nec tenetur ſe excuſare: ac ſi nihil ſciret. ibid. nu. 491.

Confeſſarij Regulares approbati ab Epiſcopo ad ſæcularium confeſsiones audiendas, & reprobati à ſuis ſuperioribus, etiam iuridicè per ſententiam latam poſſunt validè: quamuis non licitè Sæculariū confeſsiones excipere virtute priuilegij bullæ Cruciatæ. t. 2. r. 5. p. 289. nu. 44. & ſeq.

Confeſſarij Regulares approbati ab Ordinario ad ſuarum ouium ſæcularium confeſsiones audiendas poſſunt validè, illas excipere abſque licentia ſuorum Prælatorum: imo ipſis Prælatis contradicentibus. Et ſunt eligibiles virtute bullæ Cruciatæ ad aliorum ſæcularium valide confeſsiones audiendas. t. 2. r. 5. pag. 290. nu. 47.

Confeſſarij Regulares ab Ordinario approbati ad ſæcularium confeſsiones excipiendas: licet poſsint abſque licentia ſuorum Prælatorum: imò ipſis contradicentibus, & repugnantibns virtute priuilegij bullæ Cruciatæ Sacramentum pœnitentiæ fidelibus adminiſtrare, valideque eos a ſuis peccatis abſoluere; tamen non poſſunt Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare virtute priuilegiorum ſuę Religionis abſoluendo fideles à caſibus reſeruatis, à quibus poſſunt virtute dictorū priuilegiorum abſoluere abſque licentia, & facultate ſuorum ſuperiorum. ibib. pag. 293. n. 51.

Confeſſarius Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſuorum ſubditorum confeſſiones audiendas abſque licentia ſui ſuperioris: imo ipſo repugnante, poteſt valide: licet non licitè confeſſiones ſubditorum dicti Epiſcopi approbantis audire t. 2. r. 6. pag. 296. num. 57. 58. & 59.

Confeſſarius Regularis priuatus iuridicè per ſententiam latam facultate excipiendi ſæcularium confeſſiones ob aliquod delictum commiſſum in materia confeſsionis: ſiue ſententia ſit lata à Capitulo generali, aut prouinciali; ſiue à Prælato: ſeu ſuperiore locali ſui ordinis: dummodo de dicto delicto ſit conuinctus non poteſt dictus Religioſus; ita iuridice priuatus validè pœnitentiæ Sacramētum adminiſtrare ſæcularibus; etiamſi approbationem habeat ab Epiſcopo ibid. n. 57. & p. 297. n. 60. & ſeq.

Confeſſarius Regularis approbatus ab Ordinario ad ſæcularium confeſſiones audiendas, & ſuſpenſus iuridicè à ſuis ſuperiobus à facultate excipiendi ſæcularium confeſſiones: licet virtute approbationis Epiſcopi tantum non poſſit audire, nec licite; nec valide confeſſiones ſubditorū dicti Epiſcopi approbantis; poteſt ſæcularium confeſſiones audire validè virtute priuilegij bullæ Cruciatæ ibid. p. 298. nu. 62.

Confeſſarius, ſiue ſæcularis, ſiue regularis approbatus ab Ordinario virtute iubilęi; quantūuis pleniſſimi ſit ſuos pœnitētis abſoluere nō poteſt in foro cōſcientiæ ab hæreſi exteriori occulta vigore clauſulę generalis, quæ iubilæis pleniſſimis ponitur, in qua conceditur Confeſſarijs ab ordinario approbatis à Summo Pontifice facultas abſoluendi ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis: etiam contentis in bulla Cœnæ Domini: quamuis in dicto iubilæo pleniſſimo expreſſe non excludatur facultas abſoluendi ab hæreſi exteriori occulta t. 2. r. 13. p. 350. nu. 161.

Confeſſarius, ſiue ſæcularis, ſiue regularis approbatus ab Ordinario non poteſt pœnitentem abſoluere, qui culpabiliter omiſit denunciare delicta quæ ſunt in edicto Sanctæ Inquiſitionis contenta: antequam defacto denunciet, quando nulla eſt impotentia, aut vrget neceſſitas cōmunicandi, aut alia cauſa legitima excuſans ab actuali denunciatione pro tali tempore facienda t. 2. r. 18. p. 365. num. 193. & ſeq.

Con

Confeſſarius poteſt virtute priuilegij bullæ Cruciatæ pœnitentem abſoluere ab excomunicatione incurſa propter omiſſionem culpabilem denunciandi delicta contenta in edictis Dominorum Inquiſitorum poſt adimpletum denunciationis præceptum ibid. p. 367. nu. 198.

Confeſſarij Regulares approbati ab ordinario de licentia ſui Prælati poſſunt vigore ſuorum priuilegiorũ abſoluere ſuos pœnitentes toties quoties à caſibus contẽtis in edictis Dominorum Inquiſitorum, excepto crimine hæreſis exterioris: dum non contineantur ſimul in bulla Cœnæ Domini t. 2. r. 16. p. 359. n. 178. & ſeq.

Confeſſarius virtute priuilegij bullæ Cruciatæ non poteſt, ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo abſoluere pœnitẽtem ab hęreſi exteriori occulta t. 2. r. 10. p. 323. n. 113.

Confeſſarius Regularis virtute ſuorum priuilegiorum non poteſt abſoluere ſuos pœnitentes ab excommunicatione lata in edicto Dominorum Inquiſitorum contra eos, qui culpabiliter omiſerunt tempore præfixo denunciare crimina contenta in dicto edicto Dominorum Inquiſitorum nulla exiſtente cauſa legitima, quæ poſſit pœnitentem excuſare ab actuali denunciatione facienda t. 2. r. 19. P. 370. n. 204. & ſeq.

Confeſſarius ſollicitans ad venerem in ſacramentali confeſsione eſt denunciandus Dominis Inquiſitoribus à perſona ſollicitata etiam ſi dicta perſona ſollicitata non poſsit illi crimen ſollicitationis probare. t. 2. r. 20. p. 376. nu. 212. & ſeq.

Confeſſarius ſollicitans mulierem ad actus turpes, & inhoneſtos in ſacramentali confeſsione eſt denunciandus Dominis Inquiſitoribus à muliere ſollicitata, vel à quocumque alio ſciente dictam ſollicitationem, etiamſi illam ſciat ſub ſecreto naturali; imo etſi iuramento firmauerit ſeruare dictum ſecretum. t. 2. r. 21. Pag. 381. n. 223. & ſeq.

Confeſsarius, qui in Tribunali ſacramẽtalis confeſsionis ſcit aliquem eſſe hæreticum formalem; aut aliquem Confeſsarium aliquam mulierem ſollicitaſſe ad actus inhoneſtos in ſacramentali confeſsione non tenetur: imo nec poteſt dicta crimina ſic ſcita Dominis Inquiſitoribus denunciare. t. 2. r. 21. p. 385. num. 231. & 232.

Confeſsarius ſollicitans ad venerem aliquam mulierem in ſacramentali confeſsione eſt ſtatim denunciandus Dominis Inquiſitoribus à muliere ſollicitata nulla præmiſſa correctione fraterna t. 2. r. 20. p. 389. n. 239. & ſeq. & præcipuè p. 391. n. 243.

Confeſſarius, qui in confeſſione ſacramentali aliquam mulierem ad venerem ſollicitauit: ſi ſit iam emendatus de qua emendatione certo perſonæ ſollicitatæ conſtet in probabili opinione non tenetur perſona ſollicitata Confeſſarium denunciare Dominis Iuquiſitoribus t. 2. r. 22. p. 396. n. 253. licet improbabiliori opinione teneatur dicta mulier ſollicitata ad venerem in ſacramentali confeſsione Confeſſarium ſollicitantem denunciare Dominis Inquiſitoribus, eriamſi ſciat certo ipſum iam eſſe emendatum. ibid.

Confeſſarius ſollicitans mulierem in ſacramentali Confeſsione ad actus venereos etiamſi de tali crimine ſollicitationis non ſit diffamatus debet denunciari Dominis Inquiſitoribus à muliere ſollicitata. t. 2. r. 23. P. 399. n. 257. & ſeq.

Confeſſarius poteſt virtute bullæ Cruciatæ abſoluere excommunicatos, & publicos Percuſsores Clericorum, aut alios, quorum excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, & lis non eſt finita ſolum in foro conſcientiæ t. 2. r. 24. pag. 403. n. 267. & ſeq.

Confeſſarius virtute bullæ Cruciatę licet poſsit abſoluere in foro conſcientiæ excommunicatos publicos quorum excommunieatio deducta eſt ad forum contentioſum, & lis non eſt finita non tamen dicta abſolutio poteſt prodeſſe pœnitentibus pro foro externo, ſeu contentioſo etiam ſi collata ſit parte ſatisfacta t. 2. r. 25. p. 405. n. 277. & ſeq.

Confeſsarius ſiue proprius, ſiue alienus electus per bullam Cruciatæ à pœnitẽte tenetur ſub mortali commutare vota pœnitentis, ſi pœnitens id petat, & Confeſſeſſarius ſi ſit alienus admittat electionẽ factam à pœnitente, audiatque ſacramẽtaliter pœnitentis peccata, & ſit requiſitus à pœnitente in ipſo actu confeſsionis vt ei commutet ſua vota vigore bullæ Cruciatæ, dummodo ad talem commutationem nullum ſit impedimentum eam impediens ex parte pœnitentis. t. 2. r. 27. p. 415. n. 301. & ſeq.

Confeſsarius electus virtute bullæ Cruciatæ non tenetur commutare vota pœnitentis ſi ſit Confeſsarius extraneus, & nõ proprius ex eo præciſe, quod pœnitentis

pec-

peccata ſacramentaliter excipiat, ſed ex eo, quod acceptet electionem factam à pœnitente in illius Cõfeſſariũ vigore bullæ Cruciatæ, abſolute, & abſque aliqua limitatione, & reſtrictione ibid. p. 416. n. 304.

Confeſsarius electus per bullam Cruciatæ ab aliquo illam habente ad effectum, vt ei ſua vota diſpenſet virtute facultatis delegatæ dicto Confeſsario immediatè à Summo Pontifice per dictam Cruciatam bullam, licet antequam electionem acceptet non ſit proprius, ac neceſsarius delegatus ad diſpenſandum, nihilominus poſtquam illam acceptauit libere, & voluntarie, eſt proprius, ac neceſsarius delegatus ad diſpenſandum; quare non poteſt abſque culpa, ſuppoſita dicta acceptatione, dictam diſpenſationem denegare pœnitenti. t. 2. r. 27. p. 418. nu. 307.

Confeſsarius virtute bullæ Cruciatę nõ poteſt commutare votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium ad petendum debitum à vouente. t. 2. r. 28. p. 420. n. 313. & ſeq.

Confeſſarius Regularis approbatus ab ordinario poteſt de licentia ſui Prouincialis vigore priuilegiorũ Regularibus conceſſorum diſpenſare ad petendum debitũ cum his, qui poſt votum caſtitatis matrimonium inierunt. t. 2. r. 28. p. 421. n. 318.

Cõfeſsarius virtute Priuilegij bullę Cruciatæ poteſt commutare votum disiunctiuum ſeruandi caſtitatem, aut tribuendi certam elemoſynam alicui determnatæ Eccleſiæ ſi vouens deueniat ad tantam paupertatem, vt non poſſit adimplere dictum votum quoad materiam non reſeruatam tribuendi, ſcilicet dictam elemoſynam dictæ Eccleſiæ, itaque in hoc caſu poteſt Confeſsarius commutare dictum votum, quoad materiam reſeruatam nẽpe quoadcaſtitatem voto promiſsam, quã poteſt vouens adimplere. t. 2. r. 29. p. 422. n. 321. & ſeq.

Cõfeſſarius vigore priuilegij bullæ Cruciatæ poteſt votum disiunctiuum de materia reſeruata, & non reſeruata commutare: etiã quando vouens iam elegit materiam reſeruatam dicti voti, nempe caſtitatem ſeruare; dum tamen illa electio, ſit electio ſimplex, & non confirmata noua, & explicita promiſſione ſeruandi caſtitatem. t. 2. r. 30. p. 425. n. 325. & ſeq.

Confeſſarius virtute priuilegij bullæ Cruciatæ poteſt in opinione probabili cõmutare votum disiunctiuum conſtans ex vtraque parte reſeruata: v. g. votum caſtitatis, & Religionis antequam ſic vouens ſe determinet ad vnam, alterã partem. t. 2. r. 31. p. 430. n. 333. & ſeq.

Confeſſarius in probabiliori opinione non poteſt virtute priuilegij bullæ Cruciatæ commutare votum disiunctiuum cõſtans ex vtraque parte reſeruata, v. g. Religionis, vel perfecta caſtitatis antequam ſic vouens ſe determinet ad vnam, vel alteram partem dicti voti. ibid. p. 431. n. 336. & ſeq.

Confeſsarius approbatus ab ordinario non poteſt virtute priuilegij bullæ Cruciatæ diſpenſare in votis caſtitatis, & Religionis iuſta, & legitima exiſtente cauſa, licet in illis poſſit Epiſcopus diſpenſare. t. 2. r. 34. p. 452. nu. 381. & ſeq.

Confeſsarius virtute priuilegij bullæ Cruciatæ non poteſt commutare vota Summo Pontifici reſeruata, neque in materiam euidenter melius reſeruntã neq; in materiam non reſeruatam. t. 2. r. 35. p. 457. nu. 393. & ſeq.

Confeſſio.

In confeſſione Generali non eſt neceſsario explicare tempus, in quo peccata in dicta confeſſione confeſsa fuerunt commiſsa, ſed poſsunt peccata recenter commiſsa confiteri, tacendo tempus, in quo fuerunt commiſsa: dummodo ſpecies, & numerus explicetur peccatorum à pœnitente r. 1. r. 7. p. 86. n. 154. & ſeq.

Aliqui DD. hoc limitant; niſi à Confeſsario pœnitens interrogetur de tempore, quo commiſit talia peccata. ibidem nu. 155.

Alij DD. dictam limitationem non approbant, ſed abſolutè affirmant, quod pœnitens interrogatus à Confeſsario in actu ſacramentalis confeſsionis de tempore, in quo dicta peccata commiſit, poteſt reſpondere illa non tunc, ſed ante commiſſiſse, & quod talis confeſsio erit licita, & valida, ibid. n. 156. & 157.

Qui in confeſſione generali ſimul cum alijs peccatis mortalibus: antea commiſſis confiteatur alia peccata mortalia recenter commiſsa, & non antea confeſsa, ſi interrogetur à Confeſsario tempus, in quo illa commiſit tenetur illud explicare: aliàs confeſſio erit nulla. t. 1. r. 7. p. 88. n. 158. & ſeq. Vide verbo pœnitens.

Qui cõfeſsus eſt ſe centies plus minuſue furatum fuiſse; ſi poſtea reperiat furta ab ipſo commiſsa fuiſse centumquinquaginta tenetur exceſsum confiteri. t.

1. r. 6. p. 77. nu. 136. & ſeq.

Vnica ſacramentali confeſsione poteſt quis adimplere præceptum confeſſionis duorum annorum: præteriti ſcilicet, & ſequentis, ſi diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequentis, & initio anni ſequentis confiteatur de peccatis mortalibus commiſſis in anno præterito, & de mortalibus commiſsis anno ſequenti, in quo facit confeſsionem. t. 1. r. 31. p. 243. n. 498. et ſeq

Confeſsio ſacramentalis facta ab aliquo, qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequentis, ſi illam faciat initio anni ſequentis de peccatis mortalibus in anno præterito ſolum commiſsis pertinet ad annum præteritum & non poteſt illa confeſſione adimpleri præceptum confeſsionis anni ſequentis, in quo faciat dictam confeſsionem. ibid.

Ille, qui putans inuincibiliter non eſſe mortale aliquod mortale, & ob hanc rationem illud omiſit confiteri non tenetur iterare confeſsiones. t. 1. r. 35. pag. 262. nu. 546.

Commutatio

Vide verb. votorum commut.

Copula.

Copula illicita fidelis cum infideli, aut hæretica habet ſpeciem ſacrilegij contra virtutem catholicæ Religionis neceſsario in confeſsione explicãdam. t. 1. r. 10. p. 109. n. 210. et ſeq.

Copula carnalis habita cum matre, aut ſorore non includit malitiam ſpecie diuerſam ab inceſtu: itaque gradus conſanguinitatis non eſt neceſsario in confeſsione explicandus t. 1. r. 14 p. 129. nu. 259. et ſeq. & p. 136. nu. 247. cum ſeq.

Ille, qui plures copulas, ſeu actus carnales in vna nocte habuit cum ead. fœmina commiſit plura peccata mortalia neceſsario in confeſsione explicanda: etiam ſi non habuerit interruptionem montis, vel operis. t. 1. r. 16. p. 150. num. 310. et ſeq.

Qui copulam habuit cum ſoluta non ſatisfacit dicendo in confeſsione cum ſoluta peccaui grauiter in materia caſtitatis, ſed tenetur copulam explicare. t. 1. r. 17. p. 157. n. 326. et ſeq.

Copula coniugalis occultè habita in cleſia, aut loco ſacro: ſi fiat cum circumſtantijs tollentibus irreuerentiam loci ſacri non eſt mortale peccatum. t. 1. r. 12. p. 120 n. 236.

Copula coniugalis occultè habita in loco ſacro, aut in Eccleſia, ſi fiat cum circumſtantijs non tollentibus irreuerentiã loci ſacri eſt peccatum mortale pertinens ad ſpeciem ſacrilegij. ibid. et r. 13. p. 124. nu. 247. et pag. 125. n. 248 et pag. 126. nu. 249.

Copula carnalis ſponſi de futuro cum alia, à ſua ſponſa includit circumſtantiã contra virtutem iuſtitiæ neceſsario in confeſsione explicandam; tam ab ipſo ſponſo: quam à complici in ipſa copula carnali et idem eſt de copula ſponſæ de futuro cũ alio, a ſuo ſponſo: dummodo ſponſus, aut ſpõſa in hoc non conſentiãt. t. 1. r. 22 p. 178. n. 381. & ſeq. et pag. 180. n. 384. et ſeq.

Declaratio

Declarationes ſacræ Congregationis Eminẽtiſsimorũ Cardinalium, ſi de illis authentice non conſtet nullam fidem faciũt in iudicio, aut extra illud t. 1. r. 28. pag. 218. n. 453.

Declarationes ſacræ Congregationis Eminentiſsimorum Cardinalium, etiamſi de illis authenticè conſtet non habent vim legis. ibid. p. 219. per errorem impreſsionis inuenies 319. n. 454. et p. 220. n. 455. et 456.

Defloratio

Defloratio virginis conſentientis in ſua defloratione non includit malitiam ſpecialem ſtupri diſtinctam a ſimplici fornicatione neceſsariò in confeſsione explicandam t. 1. r. 11. p. 113. n. 120 et ſeq.

Dies

Dies Dominicæ quadrageſimæ ſũt propriè dies quadrageſimales t. 12. r. 3. p. 279. n. 25. & ſeq.

Dies Dominicæ quadragesimę; licet non ſint dies abſtinentiæ, prout abſtinẽtia includit abſtinentiam ciborum, & quoad quantitatem, et quoad qualitatẽ ciborum, ſunt tamen latè dies abſtinentiæ ſumpta abſtinentia: prout dicit abſtinentiam à ciborum qualitate tantum. t. 2. r. 4 p. 285. n. 37. & ſeq.

Denunciare

Qui ſcit aliquem commiſiſſe aliquod delictum ex contentis in edicto Dominorum Inquiſitorum tenetur illud Dominis Inquiſitoribus denunciare, etiamſi tale delictum probare non poſſit. t. 2. r. 20. p. 376. n. 212. et ſeq.

Ille, qui ſcit aliquem Confeſſarium ſollicitaſſe aliquam mulierem ad actus turpes, & inhoneſtos in ſacramentali confeſſione dictum Confeſſarium ſollicitantem denũcia-

ciare Dominis Inquiſitoribus; etiam ſi hoc ſciat ſub ſecreto naturali: imo, & ſi ſub iuramento firmauerit ſeruare dictum ſecretum. t. 2. r. 21. p. 381. n. 223. & ſeq.

Qui ſcit ſub ſigillo ſacramentalis confeſſionis aliquem Confeſſarium ſollicitaſſe ad venerem aliquã mulierem in ſacramentali confeſſione non tenetur: imo nec debet dictum Confeſſarium Dominis Inquiſitoribus denunciare, & idem eſt ſi ſub dicto ſigillo ſacramentalis confeſſionis ſciat aliquem eſſe hæreticũ formalem. t. 2. r. 21. p. 385. n. 231. et 232.

Denunciandus eſt Dominis Inquiſitoribus hæreticus formalis quantumuis occultus nulla præmiſſa correctione fraterna, et idem eſt dicendum de Confeſſario ſollicitante ad venerem aliquam mulierem in ſacramentali confeſſione. t. 2. r. 22. p. 389. n. 239. & ſeq.

Denunciandus eſt Confeſſarius ſollicitans ad venerem in ſacramentali confeſſione: etiamſi de tali crimine ſollicitationis non ſit diffamatus t. 2. r. 23. p. 399. n. 257. et ſeq.

Epiſcopus

Epiſcopus habet facultatem, et authoritatem à Concilio Tridentino abſoluẽdi in foro conſcientiæ ſuos ſubditos in ſua Diœceſi à caſibus occultis Papæ reſeruatis t. 2 r. 10. p. 319. n. 106.

Epiſcopis non competit authoritas illis conceſſa à Concilio Tridentino abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis ratione propriæ induſtriæ, et attenta prudentia Epiſcopi, ſed iuriſdictione ordinaria ratione ſuæ dignitatis Epiſcopalis, et ſic dicti caſus Papales: dum iunt occulti deſinunt; omnino eſſe Papales; et ſunt omnino Epiſcopales, ſeu Epiſcopis reſeruati. ibid p. 321. n. 109.

Epiſcopus per ſe ipſum ſolum poteſt abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta authoritate illi conceſſa in Concilio Tridentino t. 2. r. 10. p. 323. nu. 113. et p. 324. nu. 114.

Licet Epiſcopus (dato, & non conceſſo) poſſet vti ſcientia habita in confeſſione ad regimen externum, non tenebitur tamẽ tali ſciẽtia vti ſub peccato mortali, etiam ſi non vſu ſequatur damnum notabile, vel ſibi, vel alicui tertio. t. 1. r. 30. p. 231. nu. 476. & ſeq.

In Epiſcopo debet concurrere maturitas ætatis, grauitas morum, & literarum ſcientia. t. 2. r. 2 p. 275. n. 14. prope medium.

Facultas, quæ Epiſcopis conceditur in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. abſoluendi ſuos ſubditos in propria diœceſi à caſibus occultis Papę reſeruatis non manet derogata per annuam publicationem bullæ Cruciatæ. t. 2. r. 12 p. 339 n. 139.

Epiſcopus poteſt vigore facultatis illi cõceſſæ à Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. in opinione valde probabili ſuos ſubditos abſoluere per ſe ipſum ab hæreſi occulta, prout occultum opponitur contra notorium publicum; vt famoſum. t. 2. r. 13. p. 344. n. 148. & ſeq.

Epiſcopus in probabiliori opinione non poteſt virtute facultatis illi conceſſæ à Concilio Tridentino ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi externa occulta, prout occultum diſtinguitur contra manifeſtum, notorium, & famoſum; ſi dictũ crimen hæreſis ſit probabile per duas, vel tres teſtes; licet dictum crimen hæreſis occultum, non ſit deductum ad forum contentioſum. ibid. p. 346. n. 152.

Epiſcopus virtute facultatis illi conceſſæ in Concilio Tridentino poteſt ſuum ſubditum ſæcularem abſoluere in foro cõſcientiæ ab hæreſi occulta, ſi hæreſim mẽtalem exprimat ſe ſolo, non coram alijs: imò etiamſi id faciat coram vno teſte. ibid & p. 347. n. 155. & ſeq.

Epiſcopi licet habeant facultatem abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientiæ ab hæreſi exteriori occulta; hæc tamen poteſtas fuit a Concilio Epiſcopis conceſſa ſolum ob ſpecialem perſonæ induſtriam, & authoritatem, & ad vitandum periculum animarum. t. 2. r. 10. p. 323. nu. 113.

Epiſcopus non poteſt alteri delegare facultatem ei conceſſam à Concilio Tridẽtino ſeſſ. 24. art. 6. de reformat. abſoluẽdi ſuum ſubditum in foro conſcientiæ ab hæreſi exteriori occulta. ibid.

Epiſcopis diuerſo genere facultatis cõceditur facultas abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis, ac à crimine hæreſis occultæ. t. 2. r. 10. pag. 324. n. 114.

Equites.

Equites militares Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Diui Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, &c. poſſunt confiteri ſimplici Sacerdoti non approbato ab ordinario; ſiue talis Sacerdos ſit Regularis, ſiue ſæcularis: de licentia tamen ſui prælati. t. 1. r. 26. p. 210. nu. 442.

Eru-

Erubeſcentia

Magna erubeſcentia pœnitentis confitendi ſua peccata mortalia proprio Sacerdoti; ſeu Confeſſario non eſt ſufficiens cauſa validè, & licitè confitendi peccata mortalia ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti, non approbato ab Ordinario. t. 1. r. 9. p. 100. n. 185. & ſeq.

Fornicatio

Fornicatio occulta habita in Eccleſia, aut loco ſacro pertinet ad ſpeciem ſacrilegij: atque adeo neceſſe eſt in confeſſione explicare loci circumſtantiam t. 1. r. 12. p. 117. n. 229. & ſeq.

Furtum

Qui furatus eſt mille aureos non tenetur in confeſſione explicare quantitatem furti: ſed ſatis eſt ſe accuſare commiſſiſſe peccatum furti in materia graui t. 1. r. 15. p. 144. n. 295. & ſeq.

Qui furatus eſt mille aureos à decem non tenetur in confeſſione dictam circũſtantiam explicare ſi illos furatus fuit vnica actione, ſeu vice t. 1. r. 15. pag. 147. nu. 302.

Qui furatus eſt mille aureos non tenetur: etiam interrogatus à Confeſſario dictam quantitatem furti in confeſſione explicare. ibid. pag. 148. num. 304. & 305.

Gradus

Gradus conſanguinitatis, omnes ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ t. 1. r. 14. pag. 129. nu. 260.

Gradus conſanguinitatis in primo, & ſecundo gradu non differunt ſpecie inter ſe, & ab alijs gradibus conſanguinitatis. t. 1. r. 14. p. 137. n. 275.

Gradus conſanguinitatis cum vxore vterina, & cum altera ex vtroque parente non differunt ſpecie, nec ſi quis frater earum cum eis peccet carnaliter tenetur circumſtantiam conſaguinitatis explicare in particulari. t. 1. r. 14. p. 135. n. 271. prope finem, & p. 137. n. 278.

Gradus conſanguinitatis à gradibus affinitatis differunt ſpecie. t. 1. r. 14. pag. 137. n. 279.

Horæ Canonicæ

Recitatis horis canonicis præſentis diei poteſt obligatus recitandi horas canonicas immediatè poſt completorium recitatum recitare matutinas, & laudes diei ſequentis abſque culpa mortali: imo etiam abſque veniali ſi hoc faciat ex iuſta cauſa t. 1. r. 31. p. 245. nu. 503.

Quando in die præſenti, & die craſtina recitatur de duobus Sanctis de communi vnius Martyris, aut de duobus Confeſſoribus, quorum officium totum ſit de cõmuni vnius martyris, aut de communi Confeſſorum non poteſt obligatus ad recitandum officium diuinum: ſi non eſt recitatus matutinas diei præſentis: ſed tantum horas minores vſque ad commutorium incluſiuè dictæ diei: ſi recitet matutinas, & laudes diei ſequentis poſt cõpletorium dictũ diei præſentis adimplere, præceptum recitandi matutinas diei præſentis, & ſequentis diei; ita vt eiſdem matutinis, & laudibus ſemel recitatis vtrique obligationi ſatisfaciat. ibid. n. 504. & 505.

Obligatus recitandi has horas canonicas: aut ratione Ordinis ſacri, aut ratione beneficij Eccleſiaſtici, ſi voluntariè diſtractus internè horas recitet peccat mortaliter, & non adimplet præceptum recitandi: etiamſi nullum ſignum externum illius detractionis internę exhibeat. t. 1. r. 31. p. 253. n. 521.

Indulgentia Plenaria

Indulgentia Plenaria, quæ conceditur in bulla Cruciatæ pro mortis articulo poteſt applicari deficiente Sacerdote à Clerico tonſurato infirmo conſtitutiuo in mortis articulo, & deficiente Sacerdote, & Clerico tonſurato poteſt laicus illam applicare in dicto artticulo mortis. t. 2. r. 7. p. 301. nu. 69. & ſeq.

Indulgentia Plenaria, quæ pro mortis articulo conceditur in bulla Cruciatæ non poteſt à ſacerdote, alicui applicari in mortis periculo conſtituto t. 2. r. 8. p. 306 n. 75. & ſeq.

Integritas.

Licet habeatur præceptum de integritate materiali confeſſionis ſacramentalis nihilominus integritas materialis confeſſionis non eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ. t. 1. r. 9. p. 98. n. 182.

Laicus

Laici non poſſunt diebus Dominicis Quadrageſimæ edere oua, & lacticinia abſque bulla Cruciatæ t. 2. r. 4. p. 284. n. 33. & ſeq.

Laici pauperes ratione pauperratis poſſunt edere oua, et lacticinia diebus prohibitis abſque bulla Cruciatæ ſi non poſſunt commodè habere aliud, quod comedant, vel poſſunt hæc facile inuenire: non autem piſces, et idem dic de agricolis

lis. t. 2. r. 4. p. 284. n. 35.

Laici pauperes oſtiatim mẽdicantes, qui non habent; aliàs vnde ſubſtententur, niſi ex fragmentis ouorum, et lacticiniorum, quæ hìc, vel ibi illis dantur poterũt licitè ea comedere diebus prohibitis: licet careant bulla Cruciatæ. ibib.

Laicus poteſt moribundo infirmo indulgentiam plenariam in bulla Cruciatæ conceſſam pro articulo mortis illi applicare deficiente Sacerdote, et Clerico tõſurato, qui illam applicare valeant, ne dictus infimus applicatione dictæ indulgentiæ careat in mortis articulo t. 2. r. 7. p. 301. n. 69. & ſeq.

Laicus in articulo mortis poteſt deficiente Sacerdote, & Clerico conſurato moribundum abſoluere à cenſuris, vt in loco ſacro ſepeliri valeat. Ibid. p. 303. nu. 71. prope finem.

Meretrices

Meretrices non adimplentes præceptũ annuæ confeſsionis non incurrunt in excommunicationem latam in conſtitutionibus ſynodalibus contra non adimplentes præceptum annuæ confeſsionis. t. 1. r. 34. p. 261. n. 543. & ſeq.

Occidere

Qui vnico actu voluntatis vult decem homines occidere tenetur in confeſſione explicare pluralitatem obiectorum. t. 1. r. 14. p. 139. n. 280. prope finem.

Ille, qui vnico actu exteriori decem homines occidit in opinione probabili decem peccata morralia committit: neceſſario in confeſſione explicanda. t. 1. r. 14. p. 141. n. 288.

Ille, qui vnico actu decem homines occidit in probabiliori opinione tantum vnum peccatum mortale committit; tam ineſſe phyſico, quam ineſſe morali. ibid. p. 142. n. 290. in fine.

Oſcula

Oſcula in Eccleſia: dum non ſunt in partibus inhoneſtis, aut cum magno periculo effuſionis ſeminis in ipſo loco ſacro non habent circumſtantiam ſacrilegij neceſſario in confeſſione explicandam t. 1. r. 13. p. 123. n. 245.

Parochus

Parochus in probabili opinione poteſt ſuam iuriſdictionem delegare ſimplici Sacerdoti ad excipiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum. t. 1. r. 27. p. 213. n 445.

Parochus in probabiliori opinione non poteſt hodie poſt Concilium Tridentinum ſuam delegare iurisdictionem ſimplici Sacerdoti non approbato ab Ordinario ad ſuorum ſubditorum confeſsiones audiendas ibid. dicto n. 445. & ſeq.

Parochus poteſt eligere quemcumque alium Parochum extra propriam diæceſim ad ſuorum ſubditorum confeſsiones audiendas. t. 1. r. 28. p. 214. n. 448.

Parochus poteſt exponere ad confeſſiones audiẽdas in ſua Parochia quoſcumq: Sacerdotes à quocumque Epiſcopo approbatos aliarum Diæceſum à propria diæceſi ipſius Parochi t. 1. r. 28. p. 216. n. 450. & ſeq.

Parochi; licet habent à iure facultatẽ delegandi ſuam iuriſdictionem alteri Sacerdoti idoneo ad audiendas confeſsiones in ſua Parochia; non tamen poſſunt aliquem Sacerdotem ſimplicem idoneum declarare ad pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem, ſed debent ſupponere illum declaratum idoneum ab aliquo Epiſcopo. t. 1. r. 28. p. 225. n. 464.

Peccatum

Peccatum confeſſum, vt dubium: ſi poſtea habeatur certè fuiſſe commiſſum à pœnitente, non tenetur pœnitens poſtea illud confiteri, vt certum. t. 1. r. 2. p. 25. n. 46. & ſeq.

Peccatum dubium eſt materia neceſſaria Sacramenit pœnitentiæ. ibid. & p. 31 n. 54. & p. 34. n. 60. & ſeq.

Peccata mortalia generice dumtaxat ſumpta; quando inculpabiliter ob aliquod impedimentum phyſicum, aut morale: aliter confiteri non poſſunt ſunt materia vera Sacramenti pœnitentiæ. t. 1. r. 3. p. 38. nu. 69. & ſeq.

Peccata mortalia recenter commiſſa inter vnam, ſcilicet, & alteram confeſſionem, ſi in generali confeſsione confiteantur ſimul cum alijs peccatis mortalibus iam iterum confeſsis in alijs confeſſionibus non eſt neceſſarium ad validitatem dictæ confeſſionis generalis explicare fuiſſe recenter commiſſa; hoc eſt inter vnã, et alteram confeſſionem. t. 1. r. 7. p. 86. n. 154. & ſeq.

Ille, qui vnico actu exteriori occidit plures homines non committit plura peccata mortalia nu. diſtincta: ſed tantum vnicum peccatum mortale: tam ineſſe phyſico: quam ineſſe morali t. 1. r. 14. p. 142. n. 290. & r. 15. pag. 147. num. 301. & 302.

Ille, qui vnica actione: ſeu verbo plures homines maledixit non commiſit plura peccata mortalia nu. diſtincta:

ſed vnum tantum tam phyſicè, quam moraliter. t. 1. r. 15. p. 149. n. 295.

Peccatum carnale coniugati cum coniugata vnum tantum peccatum eſt: tam ineſſe phyſico, quam ineſſe morali; licet teneatur dictus coniugatus in cõfeſſione explicare circumſtantiam ſui ſtatus, & ſtatus ſui complicis. t. 1. r. 18. per totam p. 159. à nu. 331.

Peccata venialia, quoad eorum abſolutionem poſſunt reſeruari à Summo Põtifice. t. 1. r. 23. p. 186. n. 394.

Pœnitens

Pœnitens, qui in confeſſione generali confitetur aliqua peccata, non dum: iterum confeſſa, ſed recenter commiſſa: ſimul cum alijs peccatis mortalibus; iam iterum confeſſis in alijs confeſſionibus, nõ tenetur in dicta confeſſione explicare dicta peccata non fuiſſe iterum confeſſa: ſed recenter commiſſa poſt vltimam confeſſionem t. 1. r. 7. p. 86. nu. 154.

Aliqui DD. hoc limitant: niſi pœnitẽs interrogetur à Confeſſario de tempore, in quo commiſit talia peccata. ibid. n. 155

Alij dictam limitationem non admittunt, iudicant enim, quod pœnitens interrogatus à Confeſſario de tempore, in quo talia commiſit peccata poteſt cœlare veritatem, & reſpondere ſe dicta peccata non tunc ſed antea commiſiſſe, & quod dicta confeſſio erit licita, & valida. ibid. n. 156. & 157. & p. 88. n. 158. & ſeq.

Pœnitens, qui in confeſſione generali ſimul cum alijs peccatis mortalibus: antea in alijs cõfeſſionibus ritè cõfeſſis cõfitetur lia peccata mortalia recenter commiſſa, & non antea confeſſa tenetur explicare tempus, in quo illa commiſit: ſi de hoc interrogetur à Confeſſario in ſacramentali confeſſione; aliàs confeſsio erit nulla. & ſacrilega. t. 1. r. 7. p. 88. n. 158. & ſeq.

In caſu neceſsitatis: videlicet: quando adeſt præceptum annuæ confeſsionis, vel aliquis vult ſacrum celebrare, vel accedere ad ſacram communionem, quod non poteſt vitare abſque magno ſcandalo poteſt in opinione probabiliſsima pœnitẽs, qui habet caſus reſeruatos abſolui ab inferiori Confeſſario directè à peccatis non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis. t. 1. r. 9. p. 99. n. 183.

In dicto caſu neceſsitatis, ſi pœnitens non habeat alia mortalia non reſeruata, ex quibus teneatur confiteri; ſed tantum venialia poteſt ſimul cum venialibus mortalia reſeruata confiteri inferiori Sacerdoti, vt ab ipſo à venialibus abſoluatur directe, & indirecte à mortalibus reſeruatis: imo in opinione probabili poteſt confiteri venialia, & mortalia reſeruata ſimplici Sacerdoti non approbato, vt ab ipſo abſoluatur directè à venialibus, et indirecte à mortalibus reſeruatis. ibid. n. 184.

Sola erubeſcentia magna pœnitentis confitendi ſua peccata mortalia proprio Sacerdoti, ſeu Confeſſario non eſt ſufficiens cauſa validè, et licitè confitendi peccata mortalia ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti non approbato. t. 1. r. 9. p. 100. n. 185. et ſeq.

Si pœnitens præter verecundiam magnam, quam habet confitendi ſuum peccatum mortale proprio Confeſſario timeat probabiliter aliquod damnum; ſeu malum extrinſecum, ſiue temporale, ſiue ſpirituale et adeſt obligatio implendi præceptum annuæ confeſsionis, vel vult communicare, aut celebrare, quod vitare nõ poteſt abſque magno ſcandalo, ſi non adeſt præter proprium Confeſſarium alius approbatus, et dubitat de contritione, poteſt: imo, et tenetur confiteri venialia ſimul cum mortalibus ſimplici ſacerdoti non approbato cum onere repetendi confeſsionem quoad mortalia: poſtea Confeſſori approbato. ibid. n. 188. et p. 101. n. 189. et 190.

Si pœnitens non timeat probabiliter aliquod damnum extrinſecum; ſed tantum leuiter ſuſpicetur, aut dubitet non poterit: etiam ſuppoſita magna erubeſcentia ſua peccata mortalia confiteri alteri, quã proprio Confeſſario, et multo minus ſimplici Sacerdoti. t. 1. r. 9. p. 102. n. 191.

Pœnitens in dicto caſu neceſsitatis, ſi non dubitat de contritione, et non habet copiam Confeſſarij approbati, vel non habet aliud peccatum mortale: præter illud, ex cuius confeſſione damnum timet, non tenetur venialia ſimul, et mortalia confiteri ſimplici ſacerdoti, vt abſolutus indirectè à mortalibus communicet, aut celebret. ibid. n. 192. et ſeq.

Pœnitens ſæcularis, qui ob magnam erubeſcẽtiam confitendi ſuum peccatum mortale cum ſuo legitimo Superiori petijt ab eo licentiam ſe confitendi cum alio Confeſſario inferiori, ſi Prælatus ei neget dictam licentiam non poteſt ſe inferiori Sacerdoti confiteri, nec licite, nec valide. t. 1. r. 9. p. 105. n. 197. in fine.

Pœ-

Pœnitẽs regularis habens aliquẽ caſum ſuo Superiori reſeruatũ ſi petat facultatẽ ſe confitendi cum alio Confeſſario inferiori, & Prælatus illam dare noluerit poteſt pro illa vice cum alio Confeſſario inferiori confiteri, et ab illo licitè, et validè abſolui à dicto caſu Superiori reſeruato, ibid. n. 198.

Pœnitens Regularis poteſt à Confeſſario inferiori à caſibus Prælato Regulari reſeruatis licitè abſolui: quoties Confeſſarius iuſta de cauſa licentiam petijerit à Prælato, ſi Prælatus dictam licentiam iniuſtè iudicio Confeſſarij neget. t. 1. r. 9. p. 105. nu. 200.

Exceptis aliquibus caſibus. ibid. p. 106. n. 202.

Pœnitens non poteſt ab vnoquoque caſu reſeruato virtute bullæ Cruciatæ abſolui à Confeſſario; quouſque abſolũatur ab omnibus: ab vnoquoque tamẽ ſemel durante anno publicationis bullæ Cruciatæ t. 2. r. 9. p. 309. n. 85. & ſeq.

Pœnitens non poteſt vti Priuilegio bullæ præteritæ, aut præteritis bullis; quoad effectum recipiẽdi beneficiũ abſolutionis à caſibus Papæ reſeruatis: ſi dictis bullis: quoad dictũ effectũ obtinendi dictã abſolutionem à reſeruatis non fuit vſus in dictis annis præteritis t. 2. r. 9. p. 315. n. 96. et ſeq.

Pœnitens virtute bullæ Cruciatæ poteſt abſolui à Confeſſario approbato, ab ipſo electo: toties: quoties à caſibus occultis Papæ reſeruatis. t. 2. r. 10. p. 318. n. 104. et ſeq.

Pœnitens non poteſt vigore bullæ Cruciatę abſolui à Confeſsario ab hæreſi exteriori occulta. t. 2. r. 10. p. 323. nu. 113. et p. 324. nu. 114.

Pœnitens incurſus in crimen hæreſis occultum, qui ad mentem redijt, et nec ab Epiſcopo, nec ab alio abſolutionem in foro conſcientiæ obtinere potuit non tenetur ſe prodere, nec crimen ſuum fateri coram teſtibus, et notorio, vt ſic in vtroque foro à Dominis Inquiſitoribus abſoluatur t. 2. r. 10. p. 325. n. 116. qui per errorem impreſſionis inuenies 115. poſt medium verſũ et ſi iterum inquiras.

pœnitens, qui in hęreſim occultam incidit, & non potuit abſolutionem in foro conſcientiæ obtinere ab Epiſcopo, aut ab alio, nec per viam pœnitentiariæ, poteſt non detecto ſuo nomine ad Pontificem mittere, vt ſui abſolutionem alicui committat, nec poteſt Romam adire, & inſtet tempus implendi præceptum annuæ confeſſionis, & communionis, quam ſine graui ſcandalo, aut infamia vitare non potaſt, poterit cuilibet Confeſsario approbato confiteri, qui illum directè abſoluẽs à peccatis, non reſeruatis, indirecte abſoluat a crimine hæreſis. t. 2. r. 10. p. 326. n. 116. per errorem impreſsionis 115. et n. 117.

Pœnitens incurſus in crimen hæreſis occultum, qui ad Summum Pontificem miſit, vt ſui abſolutionem alicui committat, et interim ſi non communicet, aut celebret grauem infamiam incurret, aut ſcandalum magnum oriretur poteſt confiteri Confeſsario approbato, qui eum directe abſoluat a peccatis non reſeruatis, et indirectè à crimine hæreſis occulto. ib. dicto n. 116. in fine.

Pœnitens nunquam tenetur in confeſſione explicare quantitatem furti, quod commiſit, quantumuis magna ſit: tenebitur tamen ſi annexam habeat reſeruationem, aut excommunicationem dicere in confeſsione ſe furatum fuiſse quantitatem grauem, quæ annexam habet reſeruationem, vel tantam quantitatem, vt in excommunicationem incurrerit. t. 1. r. 15. p. 146. n. 298.

Pœnitens qui furatus eſt mille aureos, etiam ſi interrogetur à Confeſsario, non tenetur dictam quantitatem in confeſsione explicare. t. 1. r. 15. p. 148. n. 304. et 305.

Pœnitens coniugatus, qui cum coniugata copulam carnalem habuit: licet per talem actum vnum tantũ peecatum mortale committat: tam ineſſe phyſico, quam ineſſe morali; nihilominus tenetur in confeſsione declarare ſtatum ſuum, et ſtatum ſui complicis. t. 1. r. 18. p. 162. n. 345.

Pœnitens coniugatus, qui habuit delectationem moroſam circa ſolutam tenetur in confeſsione explicare circumſtãtiam matrimonij t. 1. r. 19. p. 163. n. 349. et ſeq.

Pœnitens voto caſtitatis adſtrictus, qui proprijs tactibus impudicis alium, uel aliam polluit tenetur circumſtantiam uoti caſtitatis in confeſsione explicare. t. 1. r. 20. p. 168. n. 362. et ſeq.

Pœnitens in articulo, aut periculo mortis conſtitutus non poteſt licite, et ualidè à ſimplici Sacerdote impedito hæreſi, apoſtaſia, ſchiſmate, aut ſimilibus abſolui à peccatis, et cenſuris præſente Sacerdo

do

dote approbato, aut alio non impedito, vel præſente ſuperiore. t. 1. r. 25. p. 197. n. 417. & 418.

Pœnitens in mortis articulo conſtitutus, ſi abſolutionem ſuorum peccatorum petat à ſimplici Sacerdote impedito cenſura, hæreſi, &c. ignorans habere tale, aut talia impedimenta in præſentia alterius Sacerdotis approbati, aut carentis dicto impedimeno, & à dicto ſimplici Sacerdote: alioquin impedito abſolutionē ſuorum peccatorum accipiat, confeſſio, & abſolutio erit valida. ibidem p. 498. n. 418.

Pœnitens, qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequētis vnica confeſſione poteſt ſatisfacere vtrique præcepto; anni ſcilicet præteriti, & ſequentis, ſi in confeſſione anni ſequentis confiteatur: non ſolum peccata mortalia commiſſa in anno præterito, ſed etiam commiſſa in anno ſequenti, in quo dictā confeſſionē facit t. 1. r. 31. p. 243. n. 498. & ſeq.

Pœnitens, qui diſtulit confeſsionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequentis, ſi initio anni ſequentis confiteatur de ſolis peccatis commiſſis in anno præterito, ex eo quod in anno præſenti nullum commiſit peccatum mortale non poteſt ead. cōfeſsione adimplere præceptum confeſsionis anni præteriti: ſcilicet, & ſequentis in quo confeſſionem facit; ſed ſi in anno ſequenti poſt dictam confeſsionem in peccatum mortale lapſus fuerit; tenetur iterum confiteri in dicto anno ad adimplendum præceptum annualis confeſſionis dicti anni. ibid

Pœnitens, qui ob legitimam cauſam diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad initium anni ſequentis, aut ſine illa cum intentione: tamen ſe confitendi poſt duos, vel tres dies anni ſequentis, & de facto cōfitetur de omnibus peccatis mortalibus commiſſis in anno præterito adimplet præceptum confeſſionis anni præteriti, abſque eo quod mortaliter peccet. t. 1. r. 31. p. 247. n. 506.

Pœnitens per confeſſionem nullam, & inualidam ex defectu doloris, aut propoſiti emendæ: etiam ſi omnia ſua peccata mortalia in confeſſione aperiat nō poteſt adimplere præceptum annuæ confeſſionis. t. 1. r. 32. p. 249. n. 512. & ſeq.

Pœnitens faciens inualidam confeſſionem ob defectum ſolius doloris interni de peccatis non euadit cenſuras, & pœnas impoſitas in conſtitutionibus ſynodalibus contra non adimplentes præceptum annuæ confeſſionis. t. 1. r. 33. p. 257. n. 531. & ſeq.

Pœnitentes meretrices non adimplentes præceptum annuæ confeſſionis non incurrunt excommunicationem ſynodalē latam contra non adimplentes præceptum annuæ confeſſionis. t. 1. r. 34. p. 261. n. 543. & ſeq.

Pœnitens, qui inuincibiliter putauit nō eſſe mortale peccatum aliquod mortale, & ob hanc rationem illud omiſit confiteri in præteritis confeſſionibus, non tenetur iterare dictas confeſsiones. t. 1. r. 35. p. 262. n. 546.

Pœnitens, qui nunquam ſe accuſauit: antea in ſuis confeſſionibus de deſiderijs carnis, furti, odij, &c. eo præcisè: quia putabat inuincibiliter ea non eſſe peccata mortalia, aut de illis nunquam dubitauit ſint ne peccata, non tenetur huiuſmodi deſideria; aliàs non confeſſa, modo confiteri. t. 1. r. 35. p. 263. n. 549. & ſeq.

Pœnitens, qui habuit tactus inhoneſtos cum diuerſis mulieribus diuerſorum ſtatuum: nempe cum ſoluta, cum virgine, cum coniugata, &c. & in confeſſionibus ſe accuſauit ſe habuiſſe diuerſos tactus inhoneſtos cum diuerſis mulieribus non explicādo ſtatum dictarum malierum iudicando inuincibiliter has circumſtantias non eſſe neceſſariò in confeſsione aperiēdas; poſtquam ſciuit eſſe circumſtantias mutantes ſpeciem non tenetur in prima confeſſione ab ipſo facienda illas confiteri t. 1. r. 35. p. 266. n. 555.

Pollutio

Pollutio voluntaria habita in Eccleſia, aut loco ſacro eſt ſacrilega; ideoque includit circumſtantiam ſacrilegij neceſſario in confeſſione explicandā. t. 1. r. 12. p. 117. n. 229. & ſeq.

Ille, qui adſtrictus voto caſtitatis proprijs tactibus alium, vel aliam polluit tenetur in confeſſione explicare circumſtātiam voti caſtitatis t. 1. r. 20. p. 168. n. 362. & ſeq.

Qui paſſus eſt tactibus alienis pollui tenetur in confeſſione explicare ſtatum complicis; videlicet, ſi eſt Religioſus, aut in ordine ſacro conſtitutus, &c. t. 1. r. 20. p. 168. n. 362. & ſeq.

Prælatus

Prælatus ſæcularis tenetur ſub mortali concedere Confeſſario inferiori facultatē abſoluendi ſuum ſubditum à peccatis ipſi re-

reſeruatis, quando Confeſſarius dictam licentiam petit exiſtente iuſta cauſa. t. 1. r. 9. p. 105. n. 197. in fine.

Prælatus Regularis tenetur ſub mortali non denegare licentiam ex iuſta cauſa ei petitam à Confeſſario inferiori ad abſoluendum ſuum ſubditum à peccatis ipſi Prælato reſeruatis, & ſi illam neget poterit Confeſsarius inferior pro illa vice illum ſubditum à reſeruatis abſoluere. ibid. n. 198.

Prælati locales Regulares Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum: ſcilicet commendatores poſſunt, aut ratione itineris, aut alia rationabili de cauſa ſuis ſubditis facultatem concedere, vt cuilibet Sacerdoti ſimplici eiuſdem Religionis confiteãtur non obſtante diſpoſitione conſtitutionum dictæ recollectionis diſtinct. 1. cap. 23. de Confeſſoribus, & confeſſionibus. t. 1. r. 26. p. 209. n. 441.

Prælatus Regularis: etiam ſi poſsit in opinione aliqua vti ſcientia habita in cõfeſsione ad regimen externum ſuæ communitatis (de cuius opinionis probabilitate maxime dubium eſt) tamen nunquã tenebitur dicta ſcientia vti ſub peccato mortali, etiam ſi ex non vſu talis ſcientiæ ſequatur damnum notabile ſibi ipſi, vel alicui tertio, communitati, aut Reipublicæ. t. 1. r. 30. p. 231. n. 476. & ſeq.

Prælati regulares non poſſunt ſuos ſubditos abſoluere ab omnibus caſibus Summo Pontifici reſeruatis: etiam ſi occulti ſint vigore decreti Concilij Tridentini. ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. t. 2. r. 11. p. 327. n. 123.

Prælati Regulares in dicto decreto Cõcilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat. non intelliguntur nomine Epiſcoporum. ibid. p. 329. n. 125. & p. 338. n. 138.

Prælati Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſsunt ſuos ſubditos abſoluere, à caſibus occultis Papæ reſeruatis; etiam contentis in bulla Cœnæ Domini, excepto crimine hæreſis exterioris, ſi poſsit per teſtes in foro contentioſo probari. t. 2. r. 12. p. 333. n. 130. & ſeq.

Prælati, tam ſæculares, quam Regulares poſsunt virtute bullæ Cruciatæ edere oua, & lacticinia dominicis quadrageſimalibus. t. 2. r. 3. p. 378. n. 23. & ſeq.

Prælati Regulares vigore ſuorum priuilegiorum poſsunt ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ per ſe ipſos; ſicut poſsunt Epiſcopi virtute Concilij Tridentini ſeſs. 24. cap. 6. de reformat. per ſe ipſos ſuos ſubditos ab hæreſi occulta abſoluere non obſtante annua publicatione bullæ Cœnæ Domini t. 2. r. 13. p. 344. n. 148. & ſeq. tantum in opinione probabili.

Prælati Regulares in probabiliori opinione nõ poſsunt ſuos ſubditos abſoluere vigore ſuorum priuilegiorum ab hæreſi exteriori occulta: prout occultum diſtinguitur contra manifeſtum, notorium, & famoſum, ſi dicta hæreſis externa ſit probabilis in foro contentioſo per duos, vel tres teſtes: licet ad forum contentioſum non ſit deducta ibib. p. 346. n. 152. et ſeq.

Prælati Regulares poſsunt vigore ſuorum priuilegiorum ſuos ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta exteriori, ſi talis ſubditus Regularis hæreſim mentalem exprimat; imo etiam ſi id faciat coram vno teſte. ibid. & p. 347. n. 155. & ſeq.

Priuilegia

Priuilegia Regularium non intelliguntur derogata per illas clauſulas Bullæ *Cœnæ* Domini nullus prætextu quarumlibet facultatum, etiam mendicantibus conceſſarum abſoluere audeat, &c. t. 2. r. 12. p. 336. n. 134.

Priuilegia Regularium non manent reuocata per annuam publicationem bullæ Cœnæ Domini, quoad facultatem in illis conceſſam Regularibus abſoluendi à caſibus occultis Papæ reſeruatis: etiam contentis in bulla Cœnæ Domini, excepto crimine hæreſis. ibid. p. 337. n. 136. & ſeq. & præcipuè p. 339. n. 140.

Priuilegia Superiobus Regularibus cõceſsa abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus occultis Papæ reſeruatis non manet derogata per decretum Vrbani 8. latum die 17. Nouembris 1628. t. 2. r. 12. p. 340. n. 141. & ſeq.

Puer

Puer, qui vſque ad decimumtertium annum in ſuis cõfeſsionibus non ſe accuſauit de ordinarijs pollutionibus, quas faciebat ignorans inuincibiliter eſſe peccata mortalia: ſciens poſtea peccata mortalia eſſe non tenetur: modo dictas polutiones confiteri. t. 1. r. 35. p. 263. n. 549. & ſeq.

Religoſi Regulares

Religioſi Regulares de licentia ſuorum Prælatorum poſsunt confiteri cuilibet Sacerdoti ſimplici; etiam ſæculari. t. 1. r. 26. p. 208. n. 438. & ſeq.

Religioſus Regularis habens facultatẽ conceſſam à ſuo ſuperiore eligendi Confeſſarium, ſiue ratione itineris, ſiue alia rationabili cauſa poteſt eligere quemcumque Sacerdotem ſimplicem ab Epiſcopo non approbatum, ſiue talis Sacerdos ſit Regularis: ſiue ſæcularis: dummodo alias non ſit impeditus, & ſit ſufficiens, & idoneus. ibid. p. 209. n. 440.

Religioſus, qui proprijs tactibus impudicis alium, vel aliam polluit tenetur circumſtantiam ſui ſtatus in confeſſione explicare t. 1. r. 20. p. 168. n. 362. & ſeq.

Religioſi Regulares præcipuè ordinum mendicantium approbati ſimpliciter ab vno Epiſcopo ad excipiendas fidelium confeſſiones poſſunt in opinione probabili in tota Eccleſia Dei fidelium confeſsiones audire abſque noua alterius Epiſcopi approbatione non obſtantibus bullis Vrbani 8. & Innocentij 10. t. 1. r. 28. p. 220. & 221. n. 457.

Religioſus Regularis, qui ex præcepto ſuæ regulæ tenetur ſemel in menſe confiteri: ſi differat confeſſionem menſis præteriti vſque ad menſem ſequentem, & initio menſis ſequentis confiteatur de peccatis commiſſis in menſe præterito, & ſequenti non tenetur iterum confiteri in menſe ſequenti, ſed vnica illa confeſſione vtrique obligationi ſatisfacit, ſcilicet confitendi in menſe præterito, & ſequẽti t. 1. r. 31. p. 247. n. 507.

Religioſus obligatus ex præcepto ſuæ Regulæ ad confitendum ſemel in menſe: ſi differat confeſſionem menſis præteriti vſque ad initium menſis ſequentis, & initio dicti menſis poſt duos, vel tres dies cõfiteatur adimplet præceptum confeſsionis menſis præteriti: apſque eo quod peccet mortaliter. ibid. p. 249 n 507.

Religioſi Regulares; tam ſuperiores, quàm inferiores vtriuſque ſexus poſsunt virtute priuilegij bullę Cruciatæ diebus Dominicis quadrageſimæ edere oua, & lacticinia. t. 2. r. 3. p. 278. n. 23. & ſeq.

Religioſi Regulares approbati ab Ordinario ad excipiendas ſæculariũ confeſſiones, & reprobati à ſuis ſuperioribus; etiã iuridice per ſententiam latam poſsunt valide; quamuis non licitè ſæcularium confeſſiones audire virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ. t. 2. r. 5. p. 289. n. 44. & ſeq.

Religiosi Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas confeſſiones ſæcularium ſubditorum ordinarij approbantis ipſos poſsunt eas excipere valide abſque licentia ſuorum Prælatorum: imo ipsis Prælatis contradicentibus. Et ſunt eligibiles virtute bullæ Cruciatæ ad aliorum Sæcularium valide confeſsiones audiendas. t. 2. r. 5. p. 290. n. 47.

Religioſi Regulares approbati ab ordinario ad ſæcularium confeſsiones audiendas: licet poſsint abſque licentia ſuorum Superiorum, imo ipſis contradicentibus, & repugnantibus virtute priuilegijs bullæ Cruciatæ pœnitentię Sacramentum adminiſtare, pœnitenteſque validè à ſuis peccatis abſoluere; non tamen poſsunt Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare virtute priuilegiorum ſuę Religionis abſolnendo fideles à caſibus reſeruatis, à quibus poſſunt abſoluere virtute dictorum priuilegiorum abſque licentia, & facultate ſuorum Prelatorum. ibidem P. 293. n. 51.

Religioſus Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſuorum ſuqditorum confeſſiones audiendas abſque licentia ſui Superioris: imo ipſo repugnante poteſt valide licet non licitè confeſſiones dictorum ſubditorum Epiſcopi approbantis audire. t. 2. r. 6. p. 296. n. 57. 58. & 59.

Religioſus Regularis priuatus iuridicè ſuis Superioribus per ſententiam latam facultate excipiendi ſæcularium confeſſiones ob aliquod delictum commiſſum in materia confeſſionis; ſiue ſententia ſit lata à Capitulo Generali ſui Ordinis, ſiue à Capitulo Prouinciali, ſiue à Prælato, ſeu à Superiore locali: dummodo de dicto delicto ſit conuinctus: non poteſt dictus Religioſus; ita iuridicè priuatus valide pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare ſæcularibus, etiamſi habeat approbationem ab Epiſcopo. ibid. n. 57. & p. 297. n. 60. & ſeq.

Religioſus Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſuorum ſubditorum confeſſiones audiendas, & iuridicè ſuſpenſus à ſuo Superiore per ſententiam latam (ſiue ſẽtentia lata ſit à Capitulo Generali, aut Prouinciali ſuæ Religionis, aut à Prælato, ſeu a Superiore locali) munere excipiendi ſæcularium confeſſiones: licet non poſit virtute ſolius approbationis Epiſcopi: nec licite, nec valide confeſſiones ſubditorum Epiſcopi approbantis audire: tamẽ poteſt validè. quamuis non licitè virtute priuilegij bullæ Cruciatæ dictorum ſubditorum Epiſcopi approbantis ipſum, & aliorum ſæcularium confeſſiones excipere. ibid. p. 298. n. 62.

Re-

Religioſus Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſuorum ſubditorum confeſſiones audiendas abſque licentia, & approbatione ſui Superioris, aut ipſo repugnãte, & contradicente non accipit iuriſdictionem adminiſtrandi pœnitentiæ Sacramentum immediatè à Summo Pontifice, ſed immediatè ab Epiſcopo ipsũ approbãte: ſicut eam accipiunt Sacerdotes ſæculares. t. 2. r. 5. p. 298. n. 63.

Religioſus Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſæcularium cõfeſſiones audiẽdas: præſuppoſita prius præſentatione, & licentia ſui Superioris, dictus Religioſus non accipit iurisdictionem immediate ab Epiſcopo: ſicut Sacerdotes ſæculares, ſed immediatè à Summo Põtifice. ibid. p. 299.

Religioſi Regulares approbati ab ordinario de licentia ſuorum Superiorum poſſunt in foro conſcientiæ vigore ſuorum Priuilegiorum ſuos pœnitentes abſoluere ab omnibus caſibus; etiam Papæ reſeruatis: dummodo non contineantur in bulla Cœnæ Domini, & eos abſoluere à caſibus contentis in Edictis Dominorum Inquiſitorum: dummodo non contineantur ſimul in dicta bulla Cœnæ Domini. t. 2. r. 16. p. 359. n. 178. & ſeq.

Religioſi Regulares virtute ſuorum priuilegiorum non poſſunt ſuos pœnitentes toties, quoties abſoluere ab hæreſi occulta. t. 2. r. 10. p. 325. n. 114.

Religioſi Regulares: etiam ſi probabilis eſſet ſententia affirmans, quod vigore ſuorum priuilegiorum poſſunt toties: quoties ſuos pœnitentes abſoluere ab hæreſi occulta) hoc non habet locum in regnis, in quibus ſanctæ Inquiſitionis Tribunal reperitur. ibid. n. 115. per errorẽ impreſſionis innenies 114.

Religioſi Regulares vigore ſuorum priuilegiorum non poſſunt validè abſoluere eum: qui culpabiliter omiſit tempore præfixo denunciare crimina contenta in edicto Dominorum Inquiſitorum ab excommunicatione, in quam incurſit propter dictam omiſſionem denunciandi dicta delicta nulla exiſtente cauſa legitima, quæ poſſit pœnitẽtem excuſare ab actuali denunciatione facienda. t. 2. r. 19. p. 370. n. 204. & ſeq.

Religioſi Regulares vigore ſuorum priuilegiorum poſſunt de licentia ſuperioris Prouincialis diſpenſare cum ſuis pœnitentibus, qui poſt votum caſtitatis matrimonium inierunt ad petendum debitum coniugale. t. 2. t. 28. p. 421. n. 318.

Religioſi Regulares approbati ab Ordinario de licentia ſui Prælati ad ſæcularium confeſſiones audiendas, licet poſſint vigore ſuorum priuilegiorum vota ſuorum Pœnitentium commutare nihilominus non peccarent mortaliter ſi nolent virtute ſuorum priuilegiorum vota pœnitentis commutare, imo nec venialiter peccarẽt. t. 2. t. 27. p. 419. n. 310.

Ruſticus

Ruſticus, qui groſſo modo ſuo, ſua peccata confeſſus fuit ſuo Parocho indocto non explicando explicitè numerum peccatorum non tenetur poſtea, quando cõfitetur alio docto Confeſſario repetere confeſſiones factas cum ſuo Parocho indocto, ſi in eo Ruſtico maneat ead. impotentia melius explicandi ſuum ſtatum. t. 1. r. 6. p. 82. n. 144.

Ruſticus, qui groſſo modo ſuo confeſſus fuit ſua peccata confusè ob ſui ruſticitatẽ, & naturalem: veluti impotentiam: licet poſtea propter maiorem notitiam, quam habuit, vel acquiſiuit, vt melius iam poſſet explicare numerum peccatorum, quæ ſub illa generalitate, & ita groſſo modo dixerat in confeſſionibus bona fide, antea factis non tenetur iterare, ſeu repetere dictas confeſſiones. t. 1. r. 6. p. 82. n. 146. & 147.

Sacerdos

Sacerdos adminiſtrans Sacramentum pœnitẽtiæ in peccato mortali peccat mortaliter, niſi per accidens excuſetur ob impoſſibilitatem moralem ſe iuſtificandi per actum contritionis. t. 1. t. 16. p. 150. n. 113. & 314.

Sacerdos, qui in peccato mortali plurium confeſſiones excepit ſucceſſiuè, multipliter Peccat: hoc eſt tot peccata mortalia commiſit, quot confeſſiones excipet t. 1. r. 16. p. 153. n. 316. & p. 154. n. 318. et ſeq.

Sacerdos, qui in peccato mortali adminiſtrat Sacramentum Euchariſtiæ alijs perſonis, ſiue in miſſa, ſiue extra eam nõ peccat mortaliter: ſed tantum venialiter. t. 1. r. 16. p. 152. n. 315. & p. 155. n. 320.

Sacerdos, qui proprijs tactibus impudicis alium, vel aliam polluit tenetur in confeſſione circumſtantiam ſui ſtatus explicare. t. 1. r. 20. p. 168. n. 362. & ſeq.

Sacerdos græcus, qui cum alia, à ſua vxore copulam carnalem habuit ſtante opinione probabili, quod Sacerdos græcus in ſua ordinatione non emittit votum caſtitatis, etiam coniugalis explicite, vel im-

implicite non committit peccatum ſacrilegij, nec tenetur circumſtãtiam ordinis in confeſſione explicare t. 1. r. 21. p. 174. n. 374.

Sacerdos græcus vxoratus, qui carnaliter accedit ad aliam mulierem à ſua in probabiliori opinione peccat peccato ſacrilegij contra virtutem Religionis, & teneatur circumſtantiam ſacri ordinis in confeſſione explicare. ibid. p. 175. n. 375.

Sacerdos ſimplex: tam ſæcularis: quam Regularis non approbatus ab Ordinario valide: & licite poteſt abſoluere à peccatis venialibus, & à mortalibus, antea ritè confeſſis. t. 1. r. 23. p. 183. n. 391. & ſeq.

Sacerdos ſimplex ab Epiſcopo non approbatus habet iuriſdictionem ab Eccleſia abſoluendi valide, & licite à venialibus peccatis, & à mortalibus: antea ritè confeſſis. t. 1. r. 23. p. 184. n. 392.

Sacerdos ſimplex abſoluens ſacramentaliter à peccatis venialibus, aut à mortalibus: antea ritè confeſſis, ſi eſſet vera opinio affirmans, quod non habet iuriſdictionem abſoluendi à peccatis venialibus ab Eccleſia, non ſolum peccabit venialiter, ſed indubitanter peccabit mortaliter. t. 1. r. 23. p. 183. n. 394. poſt medium.

Sacerdos Regularis non approbatus, nec à ſuo Superiore, nec ab Epiſcopo poteſt licitè, & valide quemlibet à ſolis peccatis venialibus abſoluere, & à mortalibus iam ritè confeſſis. t. 1. r. 33. p. 189. n. 398.

Sacerdos ſimplex Regularis prohibitus à ſuo Superiore ſub præcepto formali ſanctæ obedientiæ ne excipiat confeſſiones peccatorum venialium, ſi illas excipiat peccabit mortaliter contra votum obedientiæ, confeſſiones tamen erunt validæ. ibid.

Sacerdos ſimplex poteſt in mortis articulo, aut periculo pœnitentem abſolnere ab omnibus peccatis, & cenſuris: quantumuis reſeruatis, etiam præſente Confeſſario approbato, aut ſuperiore: ſi alioquin non ſit impeditus. t. 1. r. 25. p. 295. n. 411. & ſeq.

Sacerdos ſimplex impeditus hæreſi, apoſtaſia, ſchimate, & ſimilibus, ſi dicta impedimenta ſint nota pœnitenti conſtituto in mortis articulo, aut periculo non poteſt eum valide abſoluere à peccatis, & cenſuris præſente Confeſſario approbato, aut Prælato, ſeu ſuperiore. ibid. p. 197. nu. 417. & 418.

Sacerdos non poteſt in articulo mortis præſente Superiore pœnitentem in tali periculo conſtitutũ abſoluere à cenſuris reſeruatis tantum, extra pœnitentiæ Sacramentum. t. 1. r. 25. p. 201. n. 424.

Sacerdos ſimplex non habet poteſtatẽ, & iurisdictionem à iure diuino abſoluẽdi pœnitentem conſtitutum in articulo, aut periculo mortis à ſuis peccatis, & cenſutis. t. 1. r. 25. p. 204. n. 430. & ſeq.

Sacerdos ſimplex Regularis de licentia tantum ſui Superioris Generalis; videlicet, vel Prouincialis poteſt audire confeſſiones Religioſorum, & monialium ſui ordinis: imò de licentia ſui Superioris localis poteſt excipere confeſſiones Religioſorum in ſuo Conuentu commorantiũ, dum in ſua Religione non ſit conſtitutio in contrarium. t. 1. r. 26. p. 207. n. 436.

Sacerdos ſimplex; ſiue Regularis, ſiue ſiue ſæcularis poteſt confeſſiones Religioſorum Regularium excipere de licentia tantum ſuorum Superiorum abſque Epiſcopi approbatione. t. 1. r. 26. p. 208. n. 438. & ſeq.

Sacerdos ſimplex, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis ab Ordinario non approbatus poteſt licitè, & validè audire confeſſiones religioſorum militarium Sancti Ioannis D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. de licentia ſuorum Prælatorũ. t. 1. r. 26. p. 210. n. 442.

Sacerdos ſimplex ſæcularis, aut regularis non poteſt poſt Concilium Tridentinum de licentia ſolius Parochi ſuorum ſubditorum confeſſiones audire. t. 1. r. 27. p. 213. n. 445. & ſeq.

Sacerdos, ſiue ſæcularis, ſiue regularis, à quocũque Epiſcopo approbatus poteſt approbari à Parocho ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum: etiamſi non ſit approbatus ab Epiſcopo illius diœceſis. t. 1. r. 28. p. 216. n. 450. & ſeq.

Sacerdos, ſiue ſæcularis, ſiue regularis approbatus ſimpliciter ab vno Epiſcopo ad fidelium confeſſiones audiẽdas poteſt in toto Orbe confeſſiones ſæcularium Sacerdotũ audire licitè, & validè. t. 1. r. 29. p. 227. n. 467. & 468.

Sacerdos, ſiue ſęcularis, ſiue regularis non poteſt vti ſcientia habita in confeſſione ſacramentali ad regimen ſuarum actionum Reipublicæ, aut communitatis, & contraria ſententia eſt improbabilis poſt decretum Clementis 8. t. 1. r. 30. p. 234. n. 480. & ſeq.

Sacerdotibus Confeſſarijs: tam ſæcularibus: quam Regularibus non licet vti ſci-

ſcientia habita in Tribunali ſacramentalis pœnitentiæ ad negandum, etiam in ſecreto pœnitenti ſacram communionem t. 1. r. 30 p. 239. n. 490.

*S*acerdotes regulares ordinum militarium Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Alcanteræ, Calarrauæ, *S*ancti Iacobi, &c. non gaudent priuilegio bullæ *C*ruciatæ edendi oua, & lacticinia diebus prohibitis t. 2. r. 2. p. 272. n. 12.

Sacerdotes ſæcularæs, & regulares perſonæ vtriuſque ſexus, tam ſuperiores, quã inferiores poſſunt Dominicis quadrageſimalibus virtute priuilegij bullæ Cruciatæ edere oua, & lacticinia. t. 2. r. 3. p. 278. n. 23. & ſeq.

Sacerdos quilibet, etiam ſimplex poteſt in mortis articulo abſoluere pœnitẽtem, & quemlibet alium peccatorem à peccatis, & cenſuris, quibus adſtrictus eſt, vt habetur in cap. his, qui. cauſa 16. quæſt. 6. t. 2. r. 14. p. 355. n. 171.

Sacramentum Pœnitentiæ

*S*acramentum pœnitentiæ non poteſt eſſe valdium, & informæ. t. 1. r. 1. p. 3. n. 21. & ſeq. per totam reſolutionem

*S*acra Congregatio

*S*acræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium declarationes, ſi de illis authenthicè non conſtet nullam fidem faciunt, nec in iudicio, nec extra illud. t. 1. r. 28. p. 218. n. 453.

Sacræ Congregationis declarationes, etiamſi de illis authenticè conſtet non habent vim legis ibid. p. 219. quæ per errorem impreſſionis inuenis 319. n. 454 & p. 220. n. 455. & 456.

Sponſi

*S*ponſi de futuro cum alijs, à ſuo ſponſo, vel à ſua ſponſa fornicantes tenetur circumſtantiam ſponſalium in confeſſione explicare, & ſimiliter eorum complices, dummodo hoc non fiat ipſis ſponsis conſentientibus. t. 1. r. 22. p. 178. n. 381 & ſeq. & p. 180. n. 384. & ſeq.

Stuprum

*S*tuprum varijs modis definitur à Doctoribus. t. 1. r. 11. p. 112. n. 215.

Tactus impudici

Tactus inhoneſti, & impudici in Eccleſia, aut loco ſacro, dum nõ ſint in partibus inhoneſtis, aut cum magno periculo effuſionis ſeminis in ipſo loco ſacro non habent circumſtantiam ſacrilegij neceſſariò in confeſſione explicandã. t. 1. r. 13. p. 123. n. 245.

Tactus impudicos, & inhoneſtos præſertim ex grauioribus, & in partibus inhoneſtis habitos in Eccleſia, aut loco ſacro, ſiue habeantur cum pollutionis periculo, ſiue ſine illo vàlde probabile eſt eſſe graue peccatum ſacrilegij, et debere neceſſario explicari in confeſsione loci ſacri circumſtantiam. ibid p. 124. n. 246. 247. et p. 125. n. 248. et p. 162. n. 149.

Tactus impudicos, & inhoneſtos habitos in Eccleſia, aut loco ſacro abſque pollutionis periculo probabilius eſt non continere circumſtantiam ſacrilegij neceſſario in confeſſione explicandam: etiamſi habeantur in partibus inhoneſtis, dummodo tales tactus turpes non fiant publice in Eccleſia, aut loco ſacro t. 1. r. 13. p. 126. n. 250. et ſeq.

Qui tactibus impudicis alium, vel aliã polluit tenetur in confeſſione explicare ſtatum ſuum, et ſtatum complicis: videlicet ſi eſt adſtrictus voto caſtitatis, coniugatus, &c. t. 1. r. 20. p. 268. n. 362. & ſeq.

Votorum commutatio

Voti commutatio etiam virtute priuilegij bullæ Cruciatæ non poteſt fieri in rem minorem. t. 2. r. 26. p. 414. n. 291. & ſeq.

Ad votorum commutationem tenetur ſub morrali Confeſſarius electus virtute priuilegij bullæ Cruciatæ, ſi pœnitẽs id petat, ſiue Cõfeſſarius ſit proprius, ſiue alienus; dum ſi alienus Confeſſarius ſit admittat electionem factam à pœnitente virtute dictæ bullæ Cruciatæ, audiatque ſacramentaliter pœnitentis peccata, & ſit requiſitus à pœnitente in ipſo actu confeſſionis, vt ei cõmutet ſua vota vigore bullæ Cruciatæ: dummodo ad talem commutationem nõ illum ſit impedimentum eam impediens ex parte pœnitentis. t. 2. r. 27. p. 415. n. 301. & ſeq.

Votum disiũctiuum caſtitatis, vel dãdi certam quãtitatem elemoſynæ alicui determinatæ Eccleſiæ ſi ſic vouens deueniat ad tantam paupertatem, vt non poſſit adimplere dictum votum, quoad materiã non reſeruatam poteſt commutari virtute priuilegij bullæ Cruciatæ, quoad materiam reſeruatam, nempe quoad caſtitatem ſeruandam perpetuo. t. 2. r. 29. p. 422. n. 320. & ſeq.

Votũ disiunctiuum de materia reſeruata & non reſeruata, poteſt commutari virtute priuilegij bullę Cruciatæ etiam quãdo vouens iam elegit materiam reſeruaram dicti voti dum tamen illa electio ſit

electio ſimplex, & non confirmata, noua, & explicita promiſſione ſeruandi dictum votum quoad materiam reſeruatam. t. 2. r. 30. p. 425: n. 325. & ſeq.

Votum disiunctiuum conſtans ex vtraque parte reſeruata, vt ſi quis v.g. voueat vel ingredi Religionem, vel perpetuam caſtitatem ſeruare; poteſt in probabili opinione virtute priuilegij bullæ Cruciatæ commutari antequam ſic vouens ſe determinet ad vnam, vel alteram partem. t. 2. r. 31. p. 430. n. 333. & ſeq.

Votum disiunctiuum conſtans ex vtraque parte reſeruata: In probabiliori opinione non poteſt commutari virtute priuilegij bullæ Cruciatæ, antequam ſic vouens ſe determinet ad vnam, vel alteram partem dicti voti. ibid. p. 431. n. 336. & ſeq.

Votum pœnale caſtitatis, aut Religionis poteſt commutari à Cõfeſſario approbato virtute priuilegij bullæ Cruciatæ nõ ſolum ante completam conditionem, ſed etiam poſt illam impletam. t. 2. r. 32. p. 434. n. 347. & ſeq.

Votum conditionale pœnale caſtitatis, aut Religionis factum ſub conditione de præterito ex parte affectus vouentis, v. g. quando iã ſupponitur peccatũ factũ, vt ſi quis dubitans an in tali actu peccauerit mortaliter ita voueat; Si in hoc peccaui mortaliter in vindictam talis peccati voueo ingredi Religionem non eſt commutabile à Confeſſario virtute priuilegij bullæ Cruciatæ ibid. p. 438. n. 354.

Vota conditionata non pœnalia caſtitatis, aut Religionis in opinione probabili non ſunt reſeruata: ideoque poſſunt commutari à Confeſſario approbato virtute priuilegij bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, ſiue ante, ſiue poſt impletam conditionem. t. 2. r. 33. p. 440 n. 359. & ſeq.

Vota pure conditionalia caſtitatis, & Religionis ante euẽtum conditionis poſſunt commutari à Confeſſario virtute priuilegij bullæ Cruciatæ. t. 2. r. 33. p. 441 n. 363.

Vota pure conditionalia caſtitatis, & Religionis non poſſunt commutari virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ poſt impletã conditionem. ibid. p. 442. n. 364. & ſeq.

Vota caſtitatis, & Religionis, quæ iuſta, & legitima, exiſtente cauſa poſſunt Epiſcopi diſpenſare: non poſſunt diſpenſari à Confeſſario virtute priuilegij bullæ Cruciatæ eadem legitima exiſtente cauſa. t. 2. r. 34. p. 452. n. 382. & ſeq.

Vota reſeruata Summo Pontifici non poſſunt à Confeſſario vigore bullæ Cruciatæ cõmutari in melius materiam, ſiue reſeruatam ſiue non reſeruatam. t. 2. r. 35. p. 457. n. 393. & ſeq.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE

P. 4. col. 1. n. 7. lin. 4. fieri lege fieri. p. 12. col. 1. n. 19. lin. 23. ac proinda lege ac proinde. p. 14. col. 1. n. 25. lin. 27. diſpoſitio leg. diſpoſitione. p. 20. col. 2. lin. 39. & ornatur leg. & ornatum. p. 26. col. 2. n. 47. lin. 15. qualitas leg. qualitatem. p. 39. col. 1. n. 70. lin. 9. aiio leg. alio. p. 43. col. 1. li. 14. non faciat lege non fecit. p. 47. col. 2. n. 86. lin. 28. deſideretur leg. deſeretur. p. 51. col. 1. n. 93. lin. 10. requititur lege requiratur. p. 55. col. 2. n. 103. lin. vlt. horis leg. horas. p. 58. col. 2. n. 107. lin. 43: interno leg. externo. p. 79. col. 1. lin. 30. quod lege quid. p. 87. col. 2. lin. 27. aliorum lege illorum. p. 89. col. 2. lin. vlt. quodſi leg. quodſi. p. 91. col. 1. lin. 10. ex hoc ego leg. ex hoc ergo. p. 90. col. 1. n. 180. lin. penult. eum lege cum p. 101. col. 1. lin. 11. aut mortalia leg. aut mortalibus. p. 106. col. 1. n. 201. lin. 3. quæ lege nequè p 108. col. 1. n. 207. lin. 4. neceſſario leg. nec neceſſario. p. 113. col. 1. n. 218. li. 1. totieſcũque leg. quotieſcũque p. 114. col. 1. n. 221 li. vlt. circumſtantiarũ leg. circumſtãtiam. p. 117. col. 1. lin. 16. ſemine lege ſeminis. p. 121. col. 1. n. 238. lin. 1. probetur lege probatur. ead. p. col. 2. lin. 22. apponuntur leg. opponuntur. ead. p. col. 2. n. 239. lin. 7. tali leg tales ead. col. & n. lin. 16. pudicos leg. impudicos. p. 122 col 1. n. 240. lin. 8. meretrium leg. meretricem. p. 125. co. 1. lin. 3. vlt. poni-

ponimus leg. vt ſupponimus. p. 125. col. 2. n. 248. lin. 27. docet leg. non docet. p. 126. col. 2. n. 152. lin. 19. & irreuerentiam lege & reuerentiam. p. 139. col. 2. n. 282. lin. 5. iudicari lege iudicare. p. 144. col. 2. n. 294. lin. 15. furauit lege furatus fuit. p. 146. col. 1. lin. vlt. n. leg. numerum. p. 148. col. 1. n. 304. lin. 2. & iam lege etiam. p. 157. col. 1. n. 326. lin. vlt. ſi puriſis lege ſi pure. p. 160. col. 1. n. 335. lin. 3. probetur lege probatur. p. 162. col. 2. lin. 4. ſeu leg. ſed: p. 162. col. 2. n. 344. lin. 6. ſicut, & cum. lege ſicut, & eum. p. 164. col. 2. num. 352. lin. 21. à legatis lege allegatis. ibid. num. 353. linea 4. delectetiones lege delectationis. pagina 166. col. 1. linea 5. mutuu tactuum. lege mutuum tactum. pag. 167. col. 1. lin. 14. D. Marcus Vital lege Vidal. pag. 167. col. 2. n. 357. lin. 8. it. leg. ita p. 168. col. 1. lin. 1. poſſiſtbilem leg. poſſibilem. p. 174. col. 2. n. 374. lin. 5. ex motiua leg. ex motiuo p. 376. reſol. 22. in tit. cum alij lege cum alijs p. 177. col. 2. nu. 378. lin. 40. includat leg. includit. p. 178. col. 1. n. 379. lin. 3. tam lege tum. p. 178. col. 2. n. 381. lin. penult. irrogetur lege non irrogetur p. 183. col. 1. n. 389. lin. 19. quoad abſolutione lege quoad abſolutionem. p. 186. n. 394. lin. 25. multiſquæ lege multiſque. p. 186. col. 2. lin. 26. expiari lege experiri. p. 189. col. 1. lin. vlt. Sacerdoti. lege Sacerdotis. p. 191. col. 1. lin. 9. illiquæ lege illeque p. 191. col. 2. lin. 2. eſt lege ex. p. 192. col. 2. lin. 24. recidere lege reincidere. ibib. lin. 33. eum lege cum p. 195. col. 1. n. 410 lin. 32. nolimus lege nolumus. p. 197. col. 2. lin. 15. ab alia lege ab alio p. 200. col. 2. n. 423. lin. 8. facultatem conceditur lege facultas conceditur. p. 202 col. 2. n. 428. lin. penult. Sacerdori lege Sacerdotis. p. 203. li. 6. connerſu lege conuerſus ibid. lin. 17. inſtantia lege inſtantiæ p. 213. col. 2. n. 446. lin. 12. aliquos Sacerdotes lege reliquos Sacerdotes p. 219. per errorem, quæ eſt pagina 319. col. 1. n. 454. lin. 9. delectationes lege declarationes. p. 222. col. 1. lin. 10. confitere lege conferre p. 230. col. 2. lin. 6. præſentarum lege præſentiarum. ibid. lin. 12. magna lege magno. ibib. lin. 20. indiebitatũ lege indubitatũ. p. 230. col. 2. n. 474. lin. 11. non eſt ſecũdũ leg. nõ eſt ſecundũ ſe p. 232. col. 1. li. 14. & ſi ficeretur lege efficeretur. p. 232. col. 2. n. 478. li. 21. ſiue lege ſiue non, non tenetur. P. 233. col. 1. lin. 7. ſi ignore lege ſi ignoret. p. 237. col. 1. n. 484. lin. 30. & addetur lege, & redderetur ibib. col. 2. n. 486. lin. 8. ſupradictum decretum lege ſupradicto decreto p. 241. col. 1. n. 493. lin. 13. quia lege qui p. 242. col. 1. lin. 4. ſtatuendum lege ſtatuendam. p. 214. col. 1. n. 500. lin. 1. quod lege quoad p. 249. col. 2. n. 513. lin. 2. præceptum lege præcepto p. 250. col. 1. n. 514. lin. 10. in lege id ibid. col. 2. lin 19. quoad reliquam eſt lege quoad reliquum eſt. p. 251. col. 2. lin. 27. Eccleſiam rationem lege Eccleſia orationem. ibid. lin, 29. interna lege internas. p. 252. col. 2. lin. 6. current lege incurrent. ibid lin. 25. impendendum lege impendendam p. 253. col. 1. n. 520. lin. 1. ſecunda lege ſecundo. p. 254. col. 2. n. 522. lin. 14. cũ ſit medicum lege cum ſit medium p. 258. col. 1. n. 535. lin. 2. neque exeruat cum lege nec eneruat vim. p. 277. in præmio ad t. 2. lin. 1. tractatem lege tractatum p. 272. col. 1. n. 12. in principio lineæ 8. adde Bardi in bull. Cruciatæ p. 284. col. 2. n. 34. lin. 7. quæ sẽtentiam. lege quæ ſententia. p. 347. col. 2. n. 156. lin. vlt. & curior lege, & ſecurior p. 358. col. 1. n. 175. lin. 14. abſoluere lege abſolute in ead. lin. abſerere, lege aſſerere. p. 369. n. 102. col. 2. linea 14. in aliquem lege in aliquod.

LAVS DEO

UNIVERSIDAD DE GRANADA

Af Lavmund Helgi. M.

Nº A 1-328